This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



600084508V

FREDERICK H. M. BLAYDES,

CH. CH. OXFORD.

[illegible] 1[illegible]

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBRI QUI SUPERSUNT OMNES.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBRI QUI SUPERSUNT OMNES,

EX RECENSIONE

ARN. DRAKENBORCHII.

ACCEDUNT

NOTÆ INTEGRÆ

EX EDITIONIBUS

J. B. L. CREVIERII.

CUM

INDICE RERUM LOCUPLETISSIMO.

TOM. IV.

OXONII,
EXCUDEBAT W. BAXTER;
IMPENSIS J. PARKER; ET G. B. WHITTAKER, LONDINI.
MDCCCXXV.

294. e. 119.

BODLEIAN LIBRARY
27 NOV 83
OXFORD.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBRI.

EPITOME LIBRI XLI.

IGNIS in æde Vestæ exstinctus est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit, monumentumque operum suorum, Gracchurim oppidum in Hispania constituit. Et a Postumio Albino proconsule Vaccæi ac Lusitani subacti sunt. [1] *uterque triumphavit. Antiochus, Antiochi filius, obses Romanis a patre datus, mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto successerat, in regnum Syriæ ab urbe dimissus. Lustrum a censoribus conditum est. censa sunt civium capita ducenta sexaginta tria millia ducenta nonaginta quatuor.* [2] *Q. Voconius Saxa tribunus plebis legem tulit, ne quis hæredem mulierem institueret. suasit legem M. Cato. exstat oratio ejus. Præterea res contra Ligures, Istros, Sardos, et Celtiberos, a compluribus ducibus prospere gestas, et initia belli Macedonici continet, quod Perseus, Philippi filius, moliebatur. miserat enim ad Karthaginienses legationem, et ab iis nocte audita erat: sed et alias Græciæ civitates sollicitabat. qui* [3] *præter religionem, quod quam multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis Jovis Olympii,* [4] *et Antiochiæ Capitolini, vilissimum regem egit.*

1 *Uterque triumphavit*] Antea legebatur *de utrisque triumphavit*: quo admisso, sileretur de triumpho Gracchi. Emendavit Sigonius ex vet. lib. et Livio infra, c. 7. Consentit Campanus.

2 *Q. Voconius*] Suum quoque huic tribuno restituit nomen Sigonius. Olim, *Q. Volumnius*.

3 *Præter religionem, qua multa templa . . . vilissimum regem egit*] Hic sequimur, post Clericum, Gronovii mentem. Antea enim hæc omnia ad totius epitomes finem attexebantur in hunc modum: *sed et alias Græciæ civitates sollicitabat: qui, præter religionem, quod quam multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis, Jovis Olympii, et Antiochiæ, Capitolini, vilissimum regem egit.* Itaque hæc ad Persen referebantur, quæ tamen constat ex Polybio et Diodoro ad Antiochum pertinere. Quum igitur manifestum vitium esset, Gronovio obsecuti sumus, qui reponendo in ordinem suum male trajectas voces cum levissimis mutationibus locum sanavit, aut certe ad historiæ veritatem revocavit.

4 *Et Antiochiæ, Capitolini*] Vocem ultimam adjecit Sigonius ex Livio, infra, c. 20.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XLI.

* * * * * * * * *

U.C. 574. A.C. 178. [1]a patre in pace habitam armasse, eoque juventuti prædandi cupidæ pergratus esse dicebatur.

Istricum bellum.

I. Consilium de Istrico bello quum haberet consul, alii gerendum extemplo, antequam contrahere copias hostes possent, alii consulendum prius senatum censebant. Vicit sententia, quæ diem non proferebat. Profectus ab Aquileia consul castra ad lacum Timavi posuit; (inminet mari is lacus) eodem decem navibus C. Furius duumvir navalis venit. Adversus Illyriorum classem creati duumviri navales erant, [2]qui tuendam viginti navibus mari superiore Anconam, velut[a] cardinem haberent: inde L. Cornelius dextra litora usque ad Tarentum, C. Furius læva usque ad Aquileiam tueretur. Eæ naves ad proximum portum in Istriæ fines cum onerariis et magno commeatu missæ: secutusque cum legionibus consul quinque ferme millia a mari posuit castra. In portu emporium brevi perfrequens factum, omniaque hinc in castra subportabantur. et, quo id tutius fieret, stationes ab omnibus castrorum partibus circumdatæ sunt: [3]in Istriamque suum præsidium stativum, repentina

[a] *veluti* Gron. Crev.

1 *A patre in pace habitam*] Quinque horum librorum fragmenta quæ habemus, publici juris fecit Simon Grynæus in Helvetiis anno 1531. reperta apud monasterium Laurissenum, vulgo Lorssense, e regione Borbetomagi: nec alius postea erui potuit codex, quocum illa conferrentur. Ex unici igitur illius exemplaris fide descripti sunt hi libri.

2 *Qui tuendam viginti navibus mari superiore Anconam*] Hunc locum feliciter emendavit sive Florebellus, sive Muretus, hoc modo: *qui tuendæ viginti navibus maris Superi oræ Anconam velut cardinem haberent.* Sic l. XL. c. 18. *Inter duumviros ita divisa tuenda denis navibus maritima ora, ut promontorium iis Minervæ velut cardo in medio esset.*

3 *In Istriamque suum*] Rescribit Gronovius: *in Istriam versum stativum præsidium. Repentina cohors* videtur exponi debere cohors ex eo militum genere, qui *subitarii* passim a Livio nominantur. Sic infra c. 10. *repentinus et tumultuarius exercitus.*

cohors Placentina obposita inter mare et castra: et, ut idem aquatoribus ad fluvium esset præsidium, M. Æbutius tribunus militum secundæ legionis duos manipulos militum adjicere jussus est. T. et C. Ælii tribuni militum legionem tertiam, quæ pabulatores et lignatores tueretur, via, quæ Aquileiam fert, duxerant. Ab eadem regione mille ferme passuum castra erant Gallorum: [4]Catmelus[b] pro regulo erat tribus haud[c] amplius millibus armatorum. U.C. 574. A.C. 178.

II. Istri, ut primum ad lacum Timavi castra sunt Romana mota, ipsi post collem occulto loco consederunt; et inde obliquis itineribus agmen sequebantur, in omnem occasionem intenti: nec quidquam eos, quæ terra marique agerentur, fallebat. Postquam stationes invalidas esse pro castris, [5]eorum turba inermis frequens inter castra et mare mercantium, sine ullo terrestri aut maritimo munimento, viderunt; duo simul præsidia, Placentinæ cohortis, et manipulorum secundæ legionis, adgrediuntur. Nebula matutina texerat inceptum: qua dilabente ad primum teporem solis, [6]perlucens jam aliquid, incerta tamen, ut solet, lux, speciem omnium multiplicem intuenti reddens, tum quoque frustrata Romanos, multo majorem iis, quam erat, hostium aciem ostendit. qua territi utriusque stationis milites ingenti tumultu quum in castra confugissent, haud paullo ibi plus, quam quod secum ipsi adtulerant, terroris fecerunt. Nam neque dicere, quid fugissent, nec percunctantibus reddere responsum poterant: et clamor in portis (ut ubi nulla esset statio, quæ sustineret inpetum) audiebatur: et concursatio in obscuro incidentium aliorum in alios incertum fecerat, an hostis intra vallum esset. Una vox audiebatur ad mare vocantium. Id forte temere ab uno exclamatum totis passim personabat castris. Itaque primo, velut jussi id facere, pauci armati, major pars inermes, ad mare decurrunt: dein plures, postremo prope omnes, et ipse consul; quum, frustra revocare fugientes conatus, nec imperio, nec auctoritate, nec precibus ad extremum, valuisset. Unus remansit M. Licinius Strabo, tribunus militum tertiæ legionis, [7]cum tribus signis ab legione sua relictus. Hunc, in

Istri tumultum creant in castris Romanis.

Fugiunt ad mare Romani.

[b] *Carmelus* Gron. Crev. [c] *aut* Gron.

4 *Carmelus pro regulo erat*] Hæc nobis suspecta sunt. Possis tamen utcunque explicare: Carmelus quidam loco reguli, qui ipse non aderat, in iis castris erat cum tribus haud amplius millibus armatorum. *Haud amplius* legi jusserunt Florebellus et Gronovius pro *aut amplius*.

5 *Eorum turba inermis frequens*] Egregie Jos. Scaliger *forum* pro *eorum*. Totam periodum sic format Gronovius: *forum turba inermi frequens inter castra et mare mercantium. Forum* intellige emporium illud, quod brevi perfrequens factum fuisse dixit supra Livius.

6 *Perlucens jam aliquid, incerta tamen, ut solet, lux*] Lux jam aliqua ex parte perrumpens obstantia, incerta tamen, ut solet esse, quum nebulis dilabentibus oriri incipit.

7 *Cum tribus signis*] Cum tribus

U. C. 574. A. C. 178.

vacua castra inpetu facto, Istri, quum alius armatus iis nemo obviam isset, in prætorio instruentem atque adhortantem suos obpresserunt. Prœlium atrocius, quam pro paucitate resistentium, fuit: nec ante finitum est, quam tribunus militum, quique circa eum constiterant, interfecti sunt. Prætorio dejecto, direptis, quæ ibi fuerunt, [8] ad quæstorium forum quintanamque hostes pervenerunt. Ibi, quum omnium rerum paratam expositamque copiam, et stratos lectos in quæstorio invenissent, regulus adcubans epulari cœpit. mox idem ceteri omnes, armorum hostiumque obliti, faciunt: et, ut quibus insuetus liberalior victus esset, avidius vino ciboque corpora onerant.

Istri epulantur in castris Rom.

Trepidatio Romanorum.

III. Nequaquam eadem est tum rei forma apud Romanos: terra, mari trepidatur: nautici tabernacula detendunt, commeatumque in litore expositum in naves rapiunt: milites in scaphas et mare territi ruunt: nautæ, metu ne compleantur navigia, alii turbæ obsistunt, alii ab litore naves in altum expellunt. inde certamen, mox etiam pugna cum vulneribus et cæde in vicem militum nautarumque oritur, donec jussu consulis procul a terra classis submota est. Secernere inde inermes ab armatis cœpit. vix mille ducenti ex tanta multitudine, qui arma haberent, perpauci equites, qui equos secum eduxissent, inventi sunt. cetera deformis turba, velut lixarum calonumque, præda vere futura, si belli hostes meminissent. [9] Tunc[d] demum nuncius ad tertiam legionem revocandam, et Gallorum præsidium: et simul ex omnibus locis ad castra recipienda demendamque ignominiam rediri cœptum est. Tribuni militum tertiæ legionis pabulum lignaque projicere jubent: centurionibus

Redeunt ad castra recipienda.

[d] *Tum* Crev.

manipulis. Vid. not. 2. ad l. XXXIII. c. 1.

8 *Ad quæstorium forum Quintanamque*] Duo fuere in castris Romanis fora rerum venalium: alterum ad prætorium, sive tabernaculum ducis, de quo diserte Polybius, libro sexto: alterum ad quæstorium, sive tabernaculum quæstoris. Ceterum et quæstorium, et hoc proinde forum quæstoris olim versus portam Decumanam fuisse jam annotavimus ad l. XXXIV. c. 47. Situm erat nempe in media Quintana, quæ via transversa erat, secans longitudinem castrorum, paralella Principiis. Atque hinc forum ipsum quæstoris sæpissime Quintana dicebatur. Quintana dicta a quintis cohortibus juxta eam tendentibus. Apparet ex hoc Livii loco jam nunc mutatum fuisse situm quæstorii, ita ut illud tum esset, quo loco Polybius statuit, in fronte castrorum ad prætorii latus. Ideo hostes prætorio dejecto ad quæstorium perveniunt. Quæstorio igitur translato in partem superam castrorum, simul et forum quæstoris eodem translatum est. Quin et via proxima quæstorio Quintana quoque vocitata est a similitudine veræ Quintanæ, in qua olim quæstorium positum fuerat. Et hæc in loco quem explicamus intelligenda est Quintana, non illa altera vetus, quæ nimium longe abest a prætorio. Hæc ita explicare conamur, ut brevitati simul et claritati consulamus. Sed qui totam rem apertius perspicere volet, adeat Lips. l. V. de Mil. Rom. Dial. 3.

9 *Tum demum nuntius*] Supple *missus est:* et intellige Gallorum præsidium de quo hic agitur, cujusque mentio facta est supra c. 1. stetisse a parte Romanorum.

imperant, ut graviores ætate milites binos in ea jumenta, ex quibus onera dejecta erant, inponant: equites ut singulos e juvenibus pedites secum in equos tollant. *Egregiam gloriam legionis fore, si castra, metu secundanorum amissa, sua virtute recipiant: et recipi facile esse, si in præda occupati barbari subito obprimantur: sicut ceperint, posse capi.* Summa militum alacritate adhortatio audita est. Ferunt citati signa, nec signiferos armati morantur: priores tamen consul copiæque, quæ a mari reducebantur, ad vallum accesserunt. L. Atius, tribunus primus secundæ legionis, non hortabatur modo milites, sed docebat etiam, *Si victores Istri, quibus armis cepissent castra, iisdem capta retinere in animo haberent, primum exutum castris hostem ad mare persecuturos fuisse, deinde stationes certe pro vallo habituros. vino somnoque verisimile esse mersos jacere.* U.C. 574. A.C. 178.

IV. Sub hæc A. Bæculonium signiferum suum, notæ fortitudinis virum, inferre signum jussit. [10] Ille, si unum se sequerentur, quo celerius fieret, facturum[e] dixit: connisusque, quum trans vallum signum trajecisset, primus omnium portam intravit. Et parte alia T. et C. Ælii, tribuni militum tertiæ legionis, cum equitatu adveniunt. confestim, et quos binos oneraria in jumenta inposuerant, secuti, et consul cum toto agmine. At Istrorum pauci, qui modice vinosi erant, memores fuerunt fugæ; aliis somno mors continuata est: integraque sua omnia Romani, præterquam quod vini cibique absumtum erat, receperunt. Ægri quoque milites, qui in castris relicti fuerant, postquam intra vallum suos senserunt, armis arreptis, cædem ingentem fecerunt. Ante omnes insignis opera fuit C. Popillii equitis. Sabello cognomen erat. is, pede saucio relictus, longe plurimos[f] hostium occidit. Ad octo millia Istrorum sunt cæsa, captus nemo, quia ira et indignatio inmemores prædæ fecit. Rex tamen Istrorum, temulentus ex convivio, raptim a suis in equum inpositus, fugit. Ex victoribus ducenti triginta septem milites perierunt, plures in matutina fuga, quam in recipiendis castris. Recuperant castra.

V. Forte ita evenit, ut Cn. et L. Gavillii, [11] novelli Aquileienses, cum commeatu venientes, ignari prope in capta castra ab Istris inciderent. Ii, quum Aquileiam, relictis inpedimentis, refugissent, omnia terrore ac tumultu, non Terror Romæ.

[e] *jacturum* Crev. [f] *plurimum* Gron. Crev.

10 *Ille, si unum se sequerentur . . . jacturum dixit*] Nihil apertius est, quam legi debere, non *facturum*, quomodo scriptus habuit, sed *jacturum*, quæ Gronovii emendatio est. Dicit igitur signifer, si ceteri unum se sequi vellent, non modo illaturum se, quod jubebatur, sed jacturum signum in castra, quo celerius res perageretur, accensis periculo ignominiæ, si signum amitteretur, militibus.

11 *Novelli Aquileienses*] Qui erant e colonis ante triennium Aquileiam deductis. Supra l. XL. c. 34.

U. C. 574. A. C. 170. Aquileiæ modo, [12]sed Romæ quoque post paucos dies, impleverunt: quo, non capta tantum castra ab hostibus, nec fuga, quæ vera [13]erant, sed perditas res deletumque exercitum omnem, adlatum est. Itaque, [14]quod in tumultu fieri solet, delectus extra ordinem, non in urbe tantum, sed tota Italia, indicti. Duæ legiones civium Romanorum conscriptæ, et decem millia peditum cum equitibus quingentis sociis nominis Latini imperata. M. Junius consul transire in Galliam et ab civitatibus provinciæ ejus, quantum quæque posset, militum exigere jussus. Simul decretum, ut [15]Ti. Claudius prætor militibus legionis quartæ, et sociûm Latini nominis quinque millibus, equitibus ducentis quinquaginta, Pisas ut convenirent, ediceret; eamque provinciam, dum consul inde abesset, tutaretur: M. Titinius prætor legionem primam, parem numerum sociorum peditum equitumque, Ariminum convenire juberet. Nero paludatus Pisas in provinciam est profectus. Titinius, C. Cassio tribuno militum Ariminum, qui præesset legioni, misso, delectum Romæ habuit. M. Junius consul, ex Liguribus in provinciam Galliam transgressus, auxiliis protinus per civitates Galliæ [16]militibusque colonis imperatis, Aquileiam pervenit. Ibi certior factus, exercitum incolumem esse, scriptis literis Romam, ne tumultuarentur, ipse, remissis auxiliis, quæ Gallis imperaverat, ad collegam est profectus. Romæ magna ex necopinato lætitia fuit: delectus omissus est: exauctorati, qui sacramento dixerant: et exercitus, qui Arimini pestilentia adfectus erat, domum dimissus. Istri, magnis copiis quum castra haud procul consulis castris haberent, postquam alterum consulem cum exercitu novo adveniisse audierunt, passim in civitates dilapsi sunt: consules Aquileiam in hiberna legiones reduxerunt.

VI. Sedato tandem Istrico tumultu, senatusconsultum factum est, ut consules inter se compararent, uter eorum ad comitia habenda Romam rediret. Quum absentem Manlium tribuni plebis, [17]A. Licinius Nerva et C. Papirius

12 *Sed Romæ quoque . . . impleverunt*] Non quod Romam profecti sint hi Gavillii, sed quod rumor ab illis sparsus Aquileia Romam brevi perlatus fuerit. Dujatius.

13 *Erant*] Sic recte Gronovii ediderc. Alii *erat*, teste Heernio.

14 *Quod in tumultu fieri solet*] Vid. not. 52. ad l. VII. c. 9. supra.

15 *Ti. Claudius prætor*] Ex hoc loco recte colligit Pighius hunc et M. Titinium, qui infra nominatur, juri in urbe dicundo præfuisse. Ceteri enim prætores tunc in provinciis profecti esse debebant. Quum autem c. seq. M. Titinius dicatur senatum dedisse Sempronio et Postumio, quod munus est prætoris urbani absentibus consulibus, judicavit idem Pighius urbanam jurisdictionem Titinio obtigisse, Claudio Neroni inter cives et peregrinos.

16 *Militibusque colonis imperatis*] Non sine causa optaret Dujatius *coloniis*. Quum milites coloniis imperasset. Magis adhuc placeret, *per colonias*.

17 *A. Licinius Nerva*] Adjecit huic tribuno prænomen Sigonius.

Turdus, in concionibus lacerarent, rogationemque promulgarent, ne Manlius post Idus Martias (prorogatæ namque consulibus jam in annum provinciæ erant) imperium retineret, uti caussam extemplo dicere, quum abisset magistratu, posset; huic rogationi Q. Ælius collega intercessit, magnisque contentionibus obtinuit, ne perferretur. Per eos dies Ti. Sempronius Gracchus et L. Postumius Albinus ex Hispania Romam quum revertissent, senatus iis a M. Titinio prætore datus in æde Bellonæ [18]ad disserendas[f] res, quas gessissent, postulandosque honores meritos, [19]ut[g] Diis inmortalibus haberetur honos. Eodem tempore et [20]in Sardinia magnum tumultum esse, literis T. Æbutii prætoris cognitum est, quas filius ejus ad senatum adtulerat. Ilienses, adjunctis Balarorum auxiliis, pacatam provinciam invaserant: nec eis invalido exercitu, et magna parte pestilentia absumto, resisti poterat. Eadem et Sardorum legati nunciabant; orantes, ut urbibus saltem (jam enim agros deploratos esse) opem senatus ferret. Hæc legatio, totumque quod ad Sardiniam pertinebat, ad novos magistratus rejectum est. Æque miserabilis legatio Lyciorum, qui crudelitatem Rhodiorum, quibus ab L. Cornelio Scipione adtributi erant, querebantur: *Fuisse sub ditione Antiochi: eam regiam servitutem, conlatam cum præsenti statu, præclaram libertatem visam. non publico tantum se premi imperio, sed singulos* [21]*justum pati servitium.* [22]*juxta se conjuges liberosque vexari: in corpus, in tergum sæviri: famam, quod indignum sit, maculari dehonestarique: et palam res odiosas fieri,* [23]*juris etiam usurpandi caussa; ne pro dubio habeant, nihil inter se et argento parata mancipia interesse.* [24]Motus his senatus, literas Lyciis ad Rhodios dedit: [25]*nec Lycios*

U. C. 574. A. C. 178.

Sardiniæ tumultus.

Lyciorum querelæ.

[f] *edisserendas* Crev. [g] *et ut* Ead.

18 *Ad edisserendas*] Vulgo *disserendas*. Correxit Gronovius. Supra l. XXXIV. c. 52. *Senatus extra urbem Quintio ad res gestas edisserendas datus est.*

19 *Et ut Diis immortalibus*] Adjecimus voculam *et*, auctore itidem Gronovio. Et sic solet Livius. Supra l. XXVIII. c. 9. *In senatu quum more omnium imperatorum, expositis rebus ab se gestis, postulassent . . . ut et Diis immortalibus haberetur honos, et ipsis triumphantibus urbem inire liceret.* Et alibi passim.

20 *In Sardinia magnum tumultum esse, litteris T. Æbutii prætoris*] Hic habemus et nomen et provinciam unius e prætoribus hujus anni, cujus mentio interciderat cum iis quæ ex initio hujus libri deperdita sunt.

21 *Justum . . . servitium*] Veram ac plenam servitutem. Sic alibi apud nostrum, *ab justo exercitu*, et *duæ legiones cum suo justo equitatu.*

22 *Juxta se conjuges*] Sese pariter conjugesque ac liberos vexari. Ante Sigonium legebatur, procul dubio mendose, *justos conjuges.*

23 *Juris etiam usurpandi causa*] Non fructus alicujus aut emolumenti spe, sed plane ut dominos sese probarent.

24 *Motus his senatus*] Sic recte Sigonius, quum legeretur *motus is.*

25 *Nec Lycios Rhodiis*] Polybius Excerpt. Legat. 60. tradit hoc decretum multis nequaquam placuisse: propterea quod Romani viderentur id agere, ut committerent inter se Rhodios Lyciosque, ad exhauriendos ap-

U.C. 574. A.C. 178. *Rhodiis, nec ullos alicuiquam, qui nati liberi sint, in servitutem dari placere. Lycios ita sub Rhodiorum simul imperio et tutela esse, ut in ditione populi Romani civitates sociæ sint.*

Triumphi de Hispanis.

VII. Triumphi deinde ex Hispania duo continui acti. Prior Sempronius Gracchus de Celtiberis sociisque eorum; postero die L. Postumius de Lusitanis aliisque ejusdem regionis Hispanis triumphavit. [26]quadraginta millia pondo argenti Ti. Gracchus transtulit, viginti millia Albinus. Militibus [27]denarios quinos vicenos, duplex centurioni, triplex equiti ambo diviserunt: sociis tantumdem, quantum Romanis. Per eosdem forte dies M. Junius consul ex Istria comitiorum caussa Romam venit. Eum quum in senatu fatigassent interrogationibus tribuni plebis Papirius et Licinius de his, quæ in Istria essent acta, in concionem quoque produxerunt. Ad quæ quum consul, *se dies non plus undecim in ea provincia fuisse*, responderet; *quæ se absente acta essent, se quoque, ut illos, fama comperta habere*; exsequebantur deinde quærentes, *Quid ita non potius A. Manlius Romam venisset, ut rationem redderet populo Romano, cur ex Gallia provincia, quam sortitus esset, in Istriam transisset?* [28]*quando id bellum senatus decrevisset, quando id bellum populus Romanus jussisset? At, Hercule, privato quidem consilio bellum susceptum esse, sed gestum prudenter fortiterque. Immo, utrum susceptum sit nequius, an inconsultius gestum, dici non posse. Stationes duas necopinantes ab Istris obpressas, castra Romana capta,* [29]*quod peditum, quod equitum in castris fuerit. ceteros inermes* [30]*fusosque, ante omnes consulem ipsum, ad mare ac naves fugisse. Privatum rationem redditurum earum rerum esse, quoniam consul noluisset.*

Comitia.

VIII. Comitia deinde habita. consules creati, C. Claudius Pulcher, Ti. Sempronius Gracchus: et postero die prætores facti, P. Ælius Tubero iterum, C. Quinctius Flamininus, C. Numisius, [31] C. [h] Mummius, Cn. Cornelius

[h] C. l. L. Crev.

paratus et thesauros Rhodiorum, quorum cum Perseo amicitia suspecta jam iis erat. Et re quidem vera idem auctor est, Legat. 61. Lycios, qui jam victi acquieverant Rhodiorum imperiis, audito Romanorum responso rursus tumultuari cœpisse.

26 *Quadraginta millia pondo argenti*] Marcas nostrates 62500. *Viginti millia.* Marcas 31250.

27 *Denarios quinos vicenos*] Amplius ternas uncias argenti nostrates.

28 *Quando id bellum senatus decrevisset, quando id bellum populus*] Male profecto iteratur *id bellum.* Tolle ingratam repetitionem, auctore Gronovio.

29 *Quod peditum, quod equitum in castris fuerit*] Videtur adjici debere, *cæsum.* Nemo enim captus in castris esse dicitur supra c. 2. Sed M. Licinius Strabo cum trium signorum militibus cæsus. Nisi forte hic intelligendi sunt ægri relicti in castris, quorum mentio fit c. 4.

30 *Fusosque*] Sparsos, nullo ordine dilabentes. Sic l. II. c. 54. *Sicut acies funditur duce occiso.* Et Cicero pro Sextio, n. 91. *fusi per agros ac dispersi.*

31 *L. Mummius*] Prænomen aberat in prima editione. Vulgo nunc legitur *C. Mummius.* Sed vocatur *L.* infra c. 9. et supra l. XXXVIII. c. 54. mentio

Scipio, C.[i] Valerius Lævinus. Tuberoni urbana jurisdictio, Quinctio peregrina evenit, Numisio Sicilia, Mummio Sardinia: sed ea propter belli magnitudinem provincia consularis facta. Gracchus eam sortitur, Istriam Claudius; Scipio et Lævinus Galliam, in duas divisam provincias, sortiti sunt. Idibus Martiis, quo die Sempronius Claudiusque consulatum inierunt, mentio tantum de provinciis Sardinia Istriaque [32] et utriusque hostibus fuit, qui in his provinciis bellum concivissent. Postero die [33] legati Sardorum, qui ad novos magistratus dilati erant, L.[k] Minucius Thermus, qui legatus Manlii consulis in Istria fuerat, in senatum venit. Ab his edoctus est senatus, quantum belli eæ provinciæ haberent. Moverunt senatum et legationes sociûm nominis Latini, quæ et censores et priores consules [34] fatigaverunt[l], tandem in senatum introductæ. Summa querelarum erat, *Cives suos Romæ censos plerosque Romam commigrasse. Quod si permittatur, perpaucis lustris futurum, ut deserta oppida, deserti agri, nullum militem dare possent.* Fregellas quoque millia quatuor familiarum transisse ab se, Samnites Peligniique querebantur: neque eo minus [35] aut hos aut illos[m] in delectum militum dare. Genera autem fraudis duo mutandæ viritim civitatis inducta erant. Lex [36] sociis ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent. ea lege male utendo, alii sociis, alii populo Romano injuriam faciebant. Nam et, ne stirpem domi relinquerent, liberos suos quibusquibus Romanis in eam conditionem, ut manumitterentur, mancipio dabant, libertinique cives essent; [37] et quibus stirpes[n] deesset, quam

U. C. 574. A. C. 178. Provinciæ.

U. C. 575. A. C. 177. C. Claudio, Ti. Sempronio Coss.

Latinorum querelæ.

[i] *C. l. P.* Gron. Crev. [k] *et L.* Crev. [l] *fatigaverant* Ead. [m] *illos plus* Gron. [n] *stirps* Ead.

fit L. Mummii tribuni plebis, qui idem videtur esse cum hoc prætore.

32 *Et utriusque hostibus . . qui in his provinciis bellum conscivissent*] Hoc totum, *qui in his provinciis bellum conscivissent*, non videtur esse Livii: cui suffecerat *utriusque hostibus*, id est, hostibus qui in utraque provincia erant.

33 *Legati Sardorum . . . . et L. Minucius Thermus . . in senatum venit*] Gronovius mallet *venerunt*. Sed nihil videtur esse mutatione opus. Verbum refertur ad eum qui ultimo nominatus est, et intelligendum relinquitur in primo membro. Sic Horatius, *Quem juvat clamor, galeæque leves:* et rursus: *Sic te Diva potens Cypri, sic fratres Helenæ, lucida sidera, ventorumque regat pater.* Complura similia ex Horatio exempla collegit Bentleius in not. ad Hor. Od. I. 24.

34 *Fatigaverant*] Sic legendum censuit Gronovius. Vulgo *fatigaverunt*.

35 *Aut hos, aut illos*] Aut Samnites, aut Pelignos.

36 * *Sociis ac nominis Latini*] Sic infra c. 9. *Qui socii ac nominis Latini.* Nimirum supplendum est *populis* vel *populi*, prout ratio structuræ postulat.

37 *Et quibus stirpes deesset . . . ut cives Romani fiebant*] Primo reposuimus *stirpes*, quomodo fuisse in membranis testatur Gronovius: et sic quoque primos editos habuisse monet Hearnius. Sane non video, inquit Gronovius, cur non æque antiquitus *stirpes* dici potuerit, cur non usurpari a Livio, quam *plebes*. Recentiores editi habent *stirps*. Deinde Sigonius legi jubet *ii cives*. Sed majus hic videtur esse vulnus, quam ut tam leniter curari possit. Itaque quamvis aliquot editi emendationem Sigonii receperint,

U.C. 575. A.C. 177. relinquerent, ut° cives Romani fiebant. Postea, his quoque imaginibus juris spretis, promiscue sine lege, sine stirpe, in civitatem Romanam per migrationem et censum transibant. *Hæc ne postea fierent*, petebant legati, *et ut redire in civitates juberent socios; deinde ut lege caverent,* [38] *ne quis quem civitatis mutandæ caussa suum faceret, neve alienaret: et, si quis ita civis Romanus factus esset* [39] * *. Hæc impetrata ab senatu.

IX. Provinciæ deinde, quæ in bello erant, Sardinia atque Istria decretæ. In Sardiniam duæ legiones scribi jussæ; quina millia in singulas et duceni pedites, treceni equites; et duodecim millia peditum sociorum ac Latini nominis, et sexcenti equites, et decem quinqueremes naves, [40] si deducere ex navalibus vellet. Tantumdem peditum equitumque in Istriam, quantum in Sardiniam, decretum. Et legionem unam cum equitibus trecentis, et quinque millia peditum sociorum, et ducentos quinquaginta [41] mittere equites in Hispaniam consules ad M. Titinium jussi. Priusquam consules provincias sortirentur, prodigia nunciata sunt. Lapidem in agro Crustumino in lacum Martis de cœlo cecidisse. [42] Puerum trunci corporis in agro Romano natum, et quadrupedem anguem visum: et Capuæ multa in foro ædificia de cœlo tacta: et Puteolis duas naves fulminis ictu concre-

Exercitus.

Prodigia.

° *ut* l. *ii* Gron.

veterem scripturam revocavimus, ne hic locus specie sanitatis imponeret. Perspicuum est deesse aliquid. Duo enim genera fraudis supra explicanda proponuntur, alterum quo sociis, alterum quo populo Romano fieret injuria. In priore hujus periodi membro prius fraudis genus et injuriam sociis factam intelligimus. Hic igitur exposuerat procul dubio Livius et alterum quoddam genus fraudis ab iis inductum quibus stirps deesset, et injuriam factam populo Romano. Suspicamur fraudem in eo positam fuisse, quod, quibus, stirps deesset, ii adoptarent quosdam cives suos, quos fortasse postea emancipatos domi relinquerent, ut ipsi, quasi stirpem relinquentes in patria sua, cives Romani fierent. Hac re fiebat populo quoque Romano injuria, in quem inquilini nullo jure et adversus legis mentem sese immiscebant. Itaque crediderimus nullum vitium inesse in vocula *ut*, Liviumque scripsisse *ut cives Romani fierent* . . . Reliqua explere sine libris non possumus.

38 *Ne quis quem . . suum faceret, neve alienaret*] Prior pars est, ut recte observat Gronovius, contra accipientem mancipio, posterior contra dantem. Ille enim recte dicitur *suum facere* eum quem mancipio accipit; hic *alienare* eum quem tradit. Ceterum, si ea conjectura quam superiore nota exposuimus vana non est, videtur et hic excidisse aliquod hujus legis caput, nimirum contra fraudulentas illas adoptiones.

39 *Civis ne esset*] Hoc adjectum est ex mente Sigonii, ut expleretur sensus: nisi quod, quum ille scribi voluerit, *civis non esset*, maluimus sequi Dujatium, qui observat formulam in sanctionibus hujusmodi receptam exigere potius *ne*, quam *non*.

40 *Si deducere ex navalibus vellet*] Quænam illa dubitatio est? aut cur nollet consul naves e navalibus deducere? Gronovius legit, *quas deduceret ex quibus navalibus vellet*.

41 *Mittere . . in Hispaniam . . ad M. Titinium*] Ex hoc loco collegit Pighius fuisse superiore anno, præter M. Titinium prætorem urbis, etiam alterum M. Titinium prætorem, cui Hispaniam citeriorem obtigisse apparet ex c. 26. infra.

42 *Puerum trunci corporis*] Brachiisne carentem, an capite? Vox enim *trunci* ambigua est.

matas esse. Inter hæc, quæ nunciabantur, lupus etiam Romæ interdiu agitatus, quum Collina porta intrasset, per Esquilinam magno consectantium tumultu evasit. Eorum prodigiorum caussa consules majores hostias inmolarunt, et diem unum circa omnia pulvinaria supplicatio fuit. Sacrificiis rite perfectis, provincias sortiti sunt: Claudio Istria, Sempronio Sardinia obvenit. U. C. 575. A. C. 177.

[43] Legem dein[p] de sociis C. Claudius tulit senatusconsulto, et edixit: *qui socii ac nominis Latini, ipsi majoresve eorum, M. Claudio, T. Quinctio censoribus, postque ea, apud socios nominis Latini censi essent, ut omnes in suam quisque civitatem ante Kalendas Novembres*[q] *redirent.* Quæstio, qui ita non redissent, L. Mummio prætori decreta est. ad legem et edictum consulis senatusconsultum adjectum est: [44] *ut, dictator, consul, interrex, censor, prætor, qui nunc*[r] *esset, apud eorum*[s] *quem*[t] *manumitteretur, in libertatem vindicaretur, ut jusjurandum daret, qui eum manumitteret, civitatis mutandæ caussa manu non mittere:* qui id non juraret, eum manumittendum non censuerunt. [45] Hæc in posterum caussa jurisque dictio C. Claudio consuli decreta est. Lex de Latinis.

[p] *deinde* conjunctim Gron. [q] *Novembris* Crev. [r] *tunc* Ead. [s] *forum* [t] Gron. [t] post *quem* additum [*qui*] Crev.

43 *Legem dein de sociis C. Claudius tulit senatusconsultu*] *Dein de* divisim edi jussimus, quomodo habet prima editio, teste Hearnio. Sed et lege cum Gronovio *ex senatusconsulto.* Sic enim solet Livius.

44 *Ut dictator, consul*] Vulgo hic legitur, *Ut dictator . . prætor qui nunc esset apud forum, quem manumitteretur.* Nos repræsentamus veterem hujus loci lectionem, qualem Lambecius, citante Hearnio, exhibet Comm. de Biblioth. Vindob. l. II. c. 8. p. 495. depromptam ex unico codice, qui hodie in Bibliotheca Cæsarea asservatur. Id solum mutavimus, quod pro *qui nunc esset* edidimus *qui tunc esset* ex mente Gronovii, et inseruimus voculam *qui* ante *manumitteretur.* Nam ceteræ mutationes et leviusculæ sunt, et evidenti de causa jam olim factæ a Simone Grynæo, ab omnibusque deinceps editoribus approbatæ: *manumitteret* pro *manumittere, mutandæ* pro *multandæ, juraret* pro *jurare,* etc. Hujus igitur senatusconsulti hunc esse sensum credimus, ut qui manumitteretur, vel in libertatem vindicaretur apud aliquem magistratum, puta dictatorem, vel consulem, vel censorem, vel interregem, vel prætorem, qui tunc esset, id est, qui munere dictatorio, vel consulari, etc. fungeretur eo tempore quo peragereturmanumissio, ut is, inquam, qui manumitteretur, jusjurandum daret, non eam esse mentem manumittentis, ut ipse, id est, is qui manumittebatur, civitatem mutaret. *Apud eorum quem* idem est atque *apud eorum aliquem,* nempe apud aliquem eorum magistratuum qui initio nominati sunt. *Qui tunc esset* omnino legendum putamus. Hujus enim S. C. vis non in præsentem modo annum, sed et in futuros pertinebat. Præterea nullus erat Romæ, tunc quum S. C. illud daretur, nec dictator, nec interrex, neque etiam, ut videtur, censor. Denique id moram facere non debet, quod ab eo qui manumittitur, jusjurandum exigitur de mente et consilio manumittentis. Nam primo ita se rem habuisse invicte probant ea quæ proxime sequuntur verba: *qui id non juraret, eum manumittendum non censuerunt.* Jam vero, quum illa fraus, quæ hoc S. C. cavetur, in manumissi præcipue commodum cederet, ille habebatur totius rei caput: atque ideo ab eo jusjurandum exigitur.

45 *Hæc . . . causa jurisque dictio*] Testatur Lambecius, Commentar. de Biblioth. Vindob. l. II. c. 8. unicum exemplar habere: *hæc . . . causa jussi-*

U. C. 575. A. C. 177. Res in Istria gestæ a Romanis.

X. Dum hæc Romæ geruntur, M. Junius et A. Manlius, qui priore anno consules fuerant, quum Aquileiæ hibernassent, principio veris in fines Istrorum exercitum introduxerunt: ubi quum effuse popularentur, dolor magis et indignatio diripi res suas cernentes Istros, quam certa spes, satis sibi virium adversus duos exercitus, excivit. concursu ex omnibus populis juventutis facto, repentinus et tumultuarius exercitus acrius primo inpetu, quam perseverantius, pugnavit. Ad quatuor millia eorum in acie cæsa: ceteri, omisso bello, in civitates passim diffugerunt. inde legatos primum ad pacem petendam in castra Romana, deinde obsides imperatos, miserunt. Hæc quum Romæ cognita literis proconsulum essent, C. Claudius consul, veritus, ne forte ea res provinciam exercitumque sibi adimeret, non votis nuncupatis, [46] non paludatus, sine lictoribus, uno omnium certiore facto collega, nocte profectus, præceps in provinciam abiit: ubi inconsultius, quam venerat, se gessit. nam, quum concione advocata fugam e castris A. Manlii adversis auribus militum (quippe qui primi ipsi fugissent) jactasset, ingessissetque probra M. Junio, quod se dedecoris socium collegæ fecisset, ad extremum utrumque decedere provincia jussit. [47] Quod quum milites consulis imperio dicto audientes futuros esse[t] dicerent, quum is more majorum, secundum vota in Capitolio nuncupata, cum lictoribus, paludatus profectus ab urbe esset; furens ira, [48] vocatum, qui pro quæstore Manlii erat, catenas poposcit, vinctos se Junium Manliumque minitans Romam missurum. Ab eo quoque spretum consulis imperium est: et circumfusus exercitus, favens imperatorum caussæ, et consuli infestus, animos ad non parendum addebat. Postremo fatigatus consul et contumeliis singulorum, et multitudinis (nam insuper inride-

[t] *sese* Gron. Crev.

que edicto C. Claudi cons. Claudio decreta est. Emendavit Grynæus quomodo nunc legimus.

46 *Non paludatus, sine lictoribus*] Vetus lectio erat, *non paludatis lictoribus.* Sed paludamentum chlamys imperatoria est, quam proficiscentes ad bellum duces ipsi, non utique lictores, gerebant. Supra, II. 49. *Consul paludatus egrediens.* et l. XXI. c. 63. de Flaminio, *Ne paludatus . . cum lictoribus ad provinciam iret.* et l. XXXI. c. 14. *Tum P. Sulpicius . . paludatus cum lictoribus profectus ab urbe, Brundusium venit.* Ex his, et multis aliis veterum locis recte colligit Gronovius hic mendosum esse unicum exemplar: atque adeo sic legi jussit quomodo edidimus, et idem mendum infra bis hoc eodem capite correxit.

47 *Quod quum milites*] Recte videtur observare idem Gronovius nihil hic negotii fuisse militibus, nec fuisse causam cur illi pro Junio et Manlio, qui decedere provincia jubebantur, responderent. Displicet etiam τὸ *quod.* Itaque legi jubet: *quumque illi,* nempe Junius et Manlius, *se consulis imperio dicto audientes futuros esse dicerent.* Vetus enim exemplar habuit *esse,* non *sese.*

48 *Vocatum qui pro quæstore Manlii erat, catenas poposcit*] Vocavit eum qui pro quæstore Manlii erat, et illum catenas poposcit. Qui Manlii consulis quæstor fuerat, ejusdem proconsulis pro quæstore erat.

bant) ludibriis, nave eadem, qua venerat, Aquileiam rediit. U. C. 575.
Inde collegæ scripsit, ut militum novorum ei parti, quæ A. C. 177.
scripta in Istriam provinciam esset, ediceret, Aquileiam ut conveniret; ne quid se Romæ teneret, quo minus, votis nuncupatis, paludatus ab urbe exiret. Hæc collegæ obsequenter facta, brevisque dies ad conveniendum edicta est. Claudius prope consecutus est literas suas. Concione adveniens de Manlio et Junio habita, non ultra triduum moratus Romæ, paludatus, cum lictoribus, votisque in Capitolio nuncupatis, in provinciam, [49]æque ac prius, præcipiti celeritate abit.

XI. Paucis ante diebus Junius Manliusque oppidum [50]Nesattium, quo se principes Istrorum et regulus ipse Æpulo receperat, summa vi obpugnarunt. Eo Claudius duabus legionibus novis adductis, vetere exercitu cum suis ducibus dimisso, ipse oppidum circumsedit, et vineis obpugnare intendit: amnemque præterfluentem mœnia, qui et inpedimento obpugnantibus erat, et æquationem Istris præbebat, multorum dierum opere exceptum novo alveo avertit. Ea res barbaros miraculo terruit abscisæ [u] aquæ: et ne tum quidem memores pacis, in cædem conjugum ac liberorum versi; etiam, ut spectaculo hostibus tam fœdum facinus esset, palam in muris trucidatos præcipitabant. Inter simul complorationem feminarum puerorumque, simul nefandam cædem, milites, transgressi murum, oppidum intrarunt. cujus capti tumultum ut ex pavido clamore fugientium accepit rex, trajecit ferro pectus, ne vivus caperetur: ceteri capti, aut occisi. Duo deinde oppida, Mutila et Faveria, vi capta et deleta. Præda, ut in gente inopi, spe major fuit, et omnis militibus concessa est. Quinque millia capitum sexcenta triginta duo sub corona venierunt. auctores belli virgis cæsi, et securi percussi. Istria tota patrium oppidorum excidio et morte regis pacata est: omnesque undique populi, obsidibus datis, in ditionem venerunt. Sub Istrici finem belli apud Ligures concilia de bello haberi cœpta.

Nesattium Claudius Cos. obsidet.

Furor oppidanorum.

Istria pacata.

XII. Ti. Claudius proconsul, qui prætor priore anno fuerat, cum præsidio legionis unius Pisis præerat. cujus literis senatus certior factus, eas ipsas literas ad C. Claudium (nam alter consul jam in Sardiniam trajecerat) deferendas censet: et adjicit decretum; *quoniam Istria provincia confecta esset,*

[u] *abscissæ* Gron. Crev.

49 *Æque ac prius*] Hoc substitutum est, auctore Florebello, pro mendosa vet. codicis scriptura *æque amplius*.

50 *Nesartium*] Plerique editi habent *Nesattium*. Cellar. l. II. Geogr. Ant. c. 9. contendit ex Plinio et Ptolemæo nomen hujus urbis fuisse *Nesactium*.

U. C. 575. A. C. 177. Res in Sardinia gestæ.

si ei videretur, exercitum traduceret in Ligures. Simul ex literis consulis, quas de rebus in Istria gestis scripserat, in biduum supplicatio decreta. Et ab altero consule Ti. Sempronio in Sardinia prospere res gestæ. Exercitum in agrum Sardorum Iliensium induxit. Balarorum magna auxilia Iliensibus venerant. Cum utraque gente signis conlatis conflixit. fusi fugatique hostes, castrisque exuti: duodecim millia armatorum cæsa. Postero die arma lecta conjici in acervum jussit consul, sacrumque id Vulcano cremavit. Victorem exercitum in hiberna sociarum urbium reduxit. Et C. Claudius, literis Ti. Claudii et senatusconsulto accepto, ex Istria legiones in Ligures transduxit. Ad Scultennam flumen in campos progressi castra habebant hostes. Ibi cum his acie dimicatum. quindecim millia cæsa; [51] plus septingenti aut[x] in prœlio, aut in castris (nam ea quoque expugnata sunt) capti: et signa militaria unum et quinquaginta capta. Ligures, reliquiæ cædis, in montes refugerunt passim: populantique campestres agros consuli nulla usquam adparuerunt arma. Claudius, duarum gentium uno anno victor, duabus, quod raro alius, in consulatu pacatis provinciis Romam revertit.

Ligures victi a Claudio Cos.

Prodigia.

XIII. Prodigia eo anno nunciata. in Crustumino [52] avem sanguinalem (quam vocant) [53] sacrum lapidem rostro cecidisse. [54] Bovem in Campania locutum[y]. Vaccam æneam Syracusis ab agresti tauro, qui pecore aberrasset, initam, ac semine adpersam. In Crustumino diem unum in ipso loco supplicatio fuit: et in Campania bos alenda publice data: Syracusanumque prodigium expiatum, editis ab aruspicibus Diis, quibus supplicaretur. Pontifex eo anno mortuus est M. Claudius Marcellus, qui consul censorque fuerat. in ejus locum subfectus est pontifex filius ejus M. Marcellus. et [55] Lunam colonia[z] eodem anno duo millia civium Romanorum sunt deducta. Triumviri deduxerunt, P. Ælius, L. Vigilius, Cn. Sicinius. quinquagena et singula jugera et semisses agri in singulos dati sunt. de Ligure captus Etruscorum ante, quam Ligurum, fuerat. C. Claudius consul ad urbem venit: cui, quum in senatu de re-

Luna colonia.

Claudius Cos. triumphat.

[x] aut Ald. Crem. Clav. [y] locutum Crev. [z] Lucam coloniam Gron. Crev.

[51] Plus septingenti] Sic legi jussit Crevierius ex Pann. nunc, non septingenti.

[52] Avem sanguinalem] Scribitur quoque sanguinaria. Ita ex Plinio mentionem fecit Fest. v. Vul. et Festum. Aliquis [illegible] nunc est.

[53] Sacrum lapidem] Aliquem ex iis lapidibus, quos commendatis agris fixos [illegible] finibus, olivo [illegible] religione et cultu dei Termini, sive hujusmodi lapidum, vid. Plut. in Numa.

54 *Bovem in Campania locutum*] Vulgo *locutum*. Sed Jac. Gronovius maluit *locutam*, propterea quod mox sequitur *Bos alenda publice data*.

55 *Lucam*] Hic Gronovianæ editiones habent *Lunam*: mendose. Vetustiores præferunt *Lucam*, et consentit Velleius, l. I. c. 15.

bus in Istria Liguribusque prospere gestis disseruisset, postulanti triumphus est decretus. triumphavit in magistratu de duabus simul gentibus. Tulit in eo triumpho [56] denariûm trecenta septem millia, et [57] victoriatûm octoginta quinque millia septingentos duos[a]. militibus in singulos [58] quini deni denarii dati: duplex centurioni, triplex equiti. Sociis dimidio minus, quam civibus, datum. itaque taciti, ut iratos esse sentires, secuti sunt currum. U. C. 575. A. C. 177.

XIV. Dum is triumphus de Liguribus agebatur, Ligures, postquam senserunt, non consularem tantum exercitum Romam [59] abductum, sed legionem ab Ti. Claudio Pisis dimissam, soluti metu, clam exercitu indicto, per transversos limites superatis montibus, in campos degressi, agrum Mutinensem populati, repentino inpetu coloniam ipsam ceperunt. Id ubi Romam adlatum est, senatus C. Claudium consulem comitia primo quoque tempore habere jussit, creatisque in annum magistratibus in provinciam redire, et coloniam ex hostibus eripere. Ita, uti censuit senatus, comitia habita. Consules creati, Cn. Cornelius Scipio Hispallus, Q. Petillius Spurinus. Prætores inde facti, M. Popillius Lænas, P. Licinius Crassus, M. Cornelius Scipio, L. Papirius Maso, M. Aburius, L. Aquillius Gallus. C. Claudio consuli prorogatum in annum imperium, et Gallia provincia: et, ne Istri quoque idem, quod et Ligures, facerent, socios nominis Latini in Istriam mitteret, quos triumphi caussa de provincia deduxisset. Cn. Cornelio et Q. Petillio consulibus, quo die magistratum inierunt, immolantibus Jovi singulis bubus, uti solet, in ea hostia, qua Q. Petillius sacrificavit, in jocinore caput non inventum. id quum ad senatum retulisset, bove perlitare jussus. De provinciis deinde consultus senatus Pisas et Ligures provincias consulibus decrevit. Cui Pisæ provincia obvenisset, quum magistratuum creandorum tempus esset, ad comitia reverti jussit. additum decreto, ut [60] binas legiones novas

Ligures rebellant.

Comitia.

U. C. 576. A. C. 176. Cn. Cornelio, Q. Petillio Coss.

[a] *duo* Crev.

56 *Denariûm trecenta septem millia*] Marcas argenti nostrates 4796. uncias 7.

57 *Victoriatûm octoginta quinque millia septingentos duo*] *Qui nunc Victoriatus appellatur*, inquit Plinius, l. XXXIII. c. 3. *lege Clodia percussus est. Antea enim hic nummus ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur. Est autem signatus victoria, et inde nomen.* Eum Volusius Mæcianus docet tantum valuisse, quantum prius quinarius. Si igitur ad hanc rationem Victoriati 85702. æstimentur, efficientur denarii 42851. marcæ nostrates paulo plus 669. unciæ 4.

58 *Quinideni denarii*] Minus unciæ argenti nostrates binæ.

59 *Abductum*] Olim legebatur *adductum*. Correxit Gronovius.

60 *Binas legiones novas . . et trecentos equites*] Vix dubitari potest, quin hic exciderit aliquid. Expresserat nempe Livius pro more suo, quantum peditum, quantum equitum legiones novæ quæ scribebantur habere deberent. Peditum numerus intercidit. Si id sequamur quod plerumque his temporibus factitatum est, videmur legere debere: *Binas legiones novas*

U. C. 576. A. C. 176. scriberent, et trecenos[z] equites; et dena millia peditum sociis nominique Latino, et sexcenos[a] imperarent equites. Ti. Claudio prorogatum est imperium in id tempus, quo in provinciam consul venisset.

XV. Dum de his rebus in senatu agitur, Cn. Cornelius, evocatus a viatore, quum templo egressus esset, paullo post rediit confuso vultu, et exposuit Patribus conscriptis, [61] bovis sescenaris, quem inmolavisset, [62] jecur defluxisse. id se victimario nuncianti parum credentem, ipsum aquam effundi ex olla, ubi exta coquerentur, jussisse: et vidisse ceteram integram partem extorum, jecur omne inenarrabiliter absumtum. Territis eo prodigio Patribus, et alter consul curam adjecit: qui se, quod caput jocinori defuisset, tribus bubus perlitasse negavit. Senatus majoribus hostiis usque ad litationem sacrificari jussit. Ceteris Diis perlitatum ferunt; Saluti Petillium perlitasse negant. Inde consules Provinciæ. prætoresque provincias sortiti. [63] Pisæ Cn. Cornelio, Ligures Petillio obvenerunt. Prætores, L. Papirius Maso urbanam, M. Aburius inter peregrinos, sortiti sunt. M. Cornelius Scipio Maluginensis Hispaniam ulteriorem, L. Aquillius Gallus Siciliam habuit. Duo deprecati sunt, ne in provincias irent: M. Popillius in Sardiniam. *Gracchum eam provinciam pacare,* [64] *et T. Æbutium prætorem adjutorem ab senatu datum esse. Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipsa efficacissima esset, minime convenire. Inter traditionem imperii novitatemque successoris, quæ noscendis prius, quam agendis, rebus imbuenda sit, sæpe bene gerendæ rei occasiones intercidere.* Probata Popillii excusatio est. P. Licinius Crassus sacrificiis se inpediri sollemnibus excusabat, ne in provinciam iret. Citerior Hispania obvenerat. Ceterum aut ire jussus, aut jurare pro concione, sollemni sacrificio se prohiberi. id ubi in P. Licinio ita statutum est, et ab se uti jusjurandum acciperent, M. Cornelius postulavit, ne in Hispaniam ulteriorem iret. Prætores ambo in eadem verba [65] jurejurarunt. [66] M. Titinius et

[z] *trecentos* Gron. Crev. [a] *sexcentos* Eæd.

scriberent; quina millia in singulas et ducenos pedites, trecenos equites. Vid. supra, c. 9. et l. XL. c. 18.

61 *Bovis sescenaris*] Hujus vocis omnino ignoratur sensus. Suspicatur Gutherius vel eam derivari a *scena*, quam Festus docet esse aut securim, aut dolabram pontificalem, ita ut *sescenaris* bos dictus sit, bos eo cultri genere immolatus: vel legendum esse *sagenaris*, id est, saginati.

62 *Jecur defluxisse*] Perizonius legi jubet *diffluxisse. Defluere* enim est delabi. At hic jecur colliquefactum erat, et, ut mox dicitur, *inenarrabiliter absumptum.*

63 *Pisæ Cn. Cornelio, Ligures Petillio*] Vel utrique addendum prænomen videtur, vel utrique detrahendum.

64 *Et T. Æbutium*] Recte suspicatur Gronovius pro *et* legendum esse *ei.*

65 *Jurejurarunt*] Verbum rarum admodum, et cujus haud aliud fortasse exemplum exstet. Ac dubitari

T. Fonteius proconsules manere cum eodem imperii jure in Hispania jussi: et ut in supplementum his tria millia civium Romanorum cum equitibus ducentis, quinque millia sociûm Latini nominis et trecenti equites mitterentur. U. C. 576. A. C. 176.

XVI. Latinæ feriæ fuere ante diem tertium Nonas Maii, in quibus, quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat, *populo Romano Quiritium*, religioni fuit. Id quum ad senatum relatum esset, senatusque ad pontificum collegium rejecisset; pontificibus, quia non recte factæ Latinæ essent, instauratis Latinis, placuit Lanuvinos, quorum opera instauratæ essent, hostias præbere. Accesserat ad religionem, quod Cn. Cornelius consul, ex monte Albano rediens, concidit: et, parte membrorum captus, ad Aquas Cumanas profectus ingravescente morbo, Cumis decessit. Sed inde mortuus Romam adlatus, et funere magnifico elatus sepultusque est. Pontifex idem fuerat. Consul Q. Petillius, quum primum per auspicia posset, collegæ subrogando comitia habere jussus, et Latinas edicere. comitia [67] in ante diem tertium Nonas Sextiles, Latinas in ante diem tertium Idus Sextiles edixit. Plenis religionum animis, prodigia insuper nunciata: Tusculi facem in cœlo visam, Gabiis ædem Apollinis et privata ædificia complura, Graviscis murum portamque de cœlo tacta. Ea patres procurari, uti pontifices censuissent, jusserunt. Dum consules primum religiones, deinde alterum alterius mors, et comitia, et Latinarum instaurationes inpediunt, interim C. Claudius exercitum ad Mutinam, quam Ligures priore anno ceperant, admovit. [68] Ante triduum, quam obpugnare cœperat, receptam ex hostibus colonis restituit. Octo millia ibi Ligurum intra muros cæsa; literæque Romam extemplo scriptæ, quibus non modo rem exponeret, sed etiam gloriaretur, sua virtute ac felicitate neminem jam cis Alpes hostem populi Romani: [69] agrique aliquantum captum, qui multis millibus hominum dividi viritim posset.

Cornelii Cos. mors.

Prodigia.

sane potest, an ex hoc uno loco deformati miserum in modum libri hoc verbum alias incognitum in linguam Latinam facile admittendum sit.

66 *M. Titinius et T. Fonteius . . manere . . in Hispania jussi*] Hinc apparet T. Fonteio, qui tertio ante anno prætor fuit, Hispaniam jam tunc obtigisse, et quidem ulteriorem, quum collega ejus M. Titinius citeriorem obtinuerit, ut constat ex c. 26. infra.

67 *In ante diem tertium Nonas . . . in ante diem tertium Idus*] Perierat utrobique vocula *ante*. Eam restituit Sigonius ex solenni Livii et ceterorum loquendi more.

68 *Ante triduum, quam oppugnare cœperat, receptam*] Si hæc sana sunt, sensus est: Quum recepisset eam, antequam triduum elapsum esset, ex quo oppugnare cœperat. Sed plerumque longe aliam vim habet hæc formula loquendi, et, si solito more exponeretur, sensus esset coloniam triduo ante receptam, quam oppugnari cœpta esset. Quod quum absurdum sit, non immerito Perizonius emendat: *intra triduum*.

69 *Agrique aliquantum*] Hic perspicuum est *aliquantum* idem esse

U. C. 576. A. C. 176. Sardinia pacata.

XVII. Et Ti. Sempronius eodem tempore in Sardinia multis secundis prœliis Sardos perdomuit. quindecim millia hostium sunt cæsa. Omnes Sardorum populi, qui defecerant, in ditionem redacti. stipendiariis veteribus duplex vectigal imperatum, exactumque: ceteri frumentum contulerunt. Pacata provincia, obsidibusque ex tota insula ducentis triginta acceptis, legati Romam, qui ea nunciarent, missi; quique ab senatu peterent, ut ob eas res, ductu auspicioque Ti. Sempronii prospere gestas, Diis inmortalibus honos haberetur, ipsique decedenti de provincia exercitum secum deportare liceret. Senatus, in æde Apollinis legatorum verbis auditis, supplicationem in biduum decrevit, et quadraginta majoribus hostiis consules sacrificare jussit: Ti. Sempronium proconsulem exercitumque eo anno in provincia manere. Comitia deinde consulis unius subrogandi, [70] quæ in ante diem tertium Nonas Sextiles edicta erant, eo ipso die sunt confecta. Q. Petillius consul collegam, qui extemplo magistratum occiperet, creavit C. Valerium Lævinum. [71] Is, jam diu cupidus provinciæ, quum opportunæ cupiditati ejus literæ adlatæ essent, Ligures rebellasse, Nonis Sextilibus [72] paludatus, literis auditis, tumultus ejus caussa legionem tertiam ad C. Claudium proconsulem in Galliam proficisci jussit; et duumviros navales cum classe Pisas ire, qui Ligurum oram, maritimum quoque terrorem admoventes, circumvectarentur. Eodem et Q. Petillius consul ad conveniendum exercitui diem edixerat. Et C. Claudius proconsul, audita rebellione Ligurum, præter eas copias, quas secum Parmæ habebat, subitariis conlectis militibus, exercitum ad fines Ligurum admovit.

Cos. subrogatus.

Res in Liguria gestæ.

XVIII. Hostes sub adventum C. Claudii, a quo duce se meminerant nuper ad Scultennam flumen victos fugatosque,

quod *multum*, quum ager ille bello captus multis millibus hominum dividi viritim posse dicatur.

70 *Quæ in ante diem*] Vocula *in* abest a vetustioribus editis. Eam quisquis reposuit, non sine causa fecit.

71 *Is jamdiu cupidus provinciæ*] Ordo et structura verborum declarat hæc intelligi de Valerio consule: quod itidem probant ea quæ sequuntur; *eodem et Q. Petillius consul ad conveniendum exercitui diem edixerat*. At quomodo novellus ille consul, ante biduum creatus, potest dici jamdiu cupidus provinciæ? Nisi si forte, quum eo loco natus esset, eos honores gessisset, ut sibi posset prope certa spe consulatum despondere, significaverat jam antequam consul fieret, se cupidum esse provinciæ.

72 *Paludatus, litteris auditis*] Hæc videntur narrari, tanquam argumenta illius cupiditatis, quam in consule notavit Livius. Ex tota enim superiorum temporum historia colligi potest consules non ante paludamenta in urbe sumpsisse, quam ad bellum proficiscerentur. At hic aliquanto antequam exeat in provinciam, paludatum sese ostentat, paludatus audit litteras, quas nimirum vel in concione, vel in senatu recitari jusserat. Hæc omnia eo spectabant, ut rem in majus augeret, ac, quemadmodum in tumultu civitatem saga sumere mos erat, sic ipse consul quum paludatus in urbe versaretur, impendentis alicujus periculi speciem ingereret animis.

locorum magis præsidio adversus infeliciter expertam vim, U. C. 576.
quam armis, se defensuri, duos montes Letum et Balistam A. C. 176.
ceperunt, [73] muroque insuper amplexi. Tardius ex agris demigrantes obpressi ad mille et quingentos perierunt. Ceteri montibus se tenebant, et, ne in metu quidem feritatis ingenitæ obliti, sæviunt in prædam, quæ Mutinæ parta erat. captivos cum fœda laceratione interficiunt: pecora in fanis trucidant verius passim, quam rite sacrificant. Satiati cæde animantium, quæ inanima erant, [74] parietibus adfligunt[a], [75] vasa omnis generis usui magis, quam ornamento in speciem, facta. Q. Petillius consul, ne absente se debellaretur, literas ad C. Claudium misit, ut cum exercitu ad se in Galliam veniret: campis Macris se eum exspectaturum. Literis acceptis, Claudius ex Liguribus castra movit, exercitumque ad campos Macros consuli tradidit. Eodem paucis post diebus C. Valerius consul alter venit. Ibi, divisis copiis, priusquam digrederentur, communiter ambo exercitus lustraverunt. tum sortiti, quia non ab eadem utrumque parte adgredi hostem placebat, regiones quas peterent. Valerium auspicato sortitum constat[b], quod in templo fuisset: in Petillio id vitio factum, postea augures responderunt; [76] quod extra templum sortem in sitellam in templum latam foris ipse posuerit. Profecti inde in diversas regiones. Petillius adversus Balistæ et Leti jugum, quod eos montes perpetuo dorso inter se jungit, castra habuit. Ibi adhortantem eum pro concione milites, inmemorem ambiguitatis verbi, ominatum ferunt, *se eo die Letum capturum esse.* Duabus simul partibus subire in adversos montes cœpit. Ea pars, in qua ipse erat, inpigre subcedebat. Alteram hostes quum propulissent, ut restitueret rem inclinatam, consul equo advectus, suos quidem a fuga revocavit: ipse, Petillius Cos. occisus.

[a] *affigunt* Gron. [b] *constabat* Gron. Crev.

73 *Muroque insuper amplexi. Tardius ex agris demigrantes*] Apposuitque post verbum *amplexi* eam distinctionem, qua sensus finiretur. Itaque hoc modo interpretamur; Montes Letum et Balistam ceperunt, ac muro insuper amplexi sunt. Qui eorum tardius demigravere, oppressi sunt a Claudio. Ceteri montes tenebant.

74 *Parietibus affligunt*] In parietes impingunt. Gronovianæ editiones habent *affigunt*: mendose.

75 *Vasa . . usui magis quam ornamento in speciem facta*] Tolle vocem *ornamento*, quæ videtur e margine, ubi addita erat interpretandis sequentibus verbis *in speciem*, in textum irrepsisse. *Vasa in speciem facta* sunt vasa quæ ad speciem et dignitatem, ad decorem aspectus comparantur.

76 *Quod extra templum sortem*] Hæc admodum intricata sunt, et habent aliquid procul dubio aut vitiatum, aut certe luxatum. Attamen, donec melius quid afferatur, videmur utcumque explicare posse in hunc modum: quod ipse extra templum posuerit sortem in sitellam, quæ quidem sitella postea *foris*, id est, ex loco qui extra templum esset, in templum lata est. *Foris* aliquando denotat terminum unde aliquid proficiscitur aut sumitur. Sic *foris sumere, foris petere*. Ceterum *templum* hic intelligendum est locus auguriis consecratus.

U.C. 576. A.C. 176. dum incautius ante signa obversatur, missili trajectus cecidit. Nec hostes ducem occisum senserunt; et suorum pauci, qui viderant, haud neglegenter, ut qui in eo victoriam verti scirent, corpus occultavere. Alia multitudo peditum equitumque, deturbatis hostibus, montes sine duce cepere. Ad quinque millia Ligurum occisa: ex Romano exercitu duo et quinquaginta ceciderunt. Super tam evidentem tristis ominis eventum, etiam ex pullario auditum est, vitium in auspicio fuisse; nec id consulem ignorasse. C. Valerius, audita

* * *

[77] periti religionum jurisque publici, quando duo [78] ordinarii consules ejus anni, alter morbo, alter ferro periisset, subfectum consulem negabant recte[c] comitia habere posse.

* * *

deduxit.

XIX. Cis Apenninum Garuli, et Lapicini, et Hercates; trans Apenninum Briniates fuerant. [79] Inter Audenam amnem P. Mucius cum iis, qui Lunam Pisasque depopulati erant, bellum gessit: omnibusque in ditionem redactis arma ademit. Ob eas res, in Gallia Liguribusque gestas duorum consulum ductu auspicioque, senatus in triduum supplicationes decrevit, et quadraginta hostiis sacrificari jussit. Et tumultus quidem Gallicus et Ligustinus, qui principio ejus anni exortus fuerat, haud magno conatu brevi obpressus erat. Belli Macedonici subibat jam cura, miscente Perseo inter Dardanos Bastarnasque certamina: et legati, qui missi ad res visendas in Macedoniam erant, jam reverterant Romam, renunciaverantque, bellum in Dardania esse. Simul venerant et ab rege Perseo oratores, [80] qui purgarent, nec adcitos ad eo Bastarnas, nec auctore eo quidquam facere. Senatus nec liberavit ejus culpæ regem, neque arguit: moneri eum tantummodo jussit, ut etiam atque etiam curaret, [81] ut sanctum haberet fœdus, quod ei cum

Bellum inter Dardanos et Bastarnas.

[c] *recte* del. Gron. Crev.

77 *Periti religionum*] Hanc periodum apud Priscianum l. XVIII. repertam suo loco Sigonius inseruit.

78 *Ordinarii consules*] *Ordinarii* consules sunt ii qui primis comitiis electi sunt. Iis opponuntur consules *suffecti*.

79 *Inter Audenam amnem*] Nullus est horum verborum sensus. Lege omnino *intra*, ut dicatur Mucius non ultra Audenam amnem, ac proinde Apenninum, bellum gessisse. At vero Æmilius Gallicum tumultum compresserat, et in Liguria ipsa ad utrumque Apennini latus arma circumtulerat.

80 *Qui purgarent, nec accitos*] Qui ad purgandum et liberandum eum a suspicione belli, dicerent et probare intenderent, nec accitos.

81 *Ut sanctum haberet fœdus*] Hunc locum feliciter emendat Jac. Gronovius: *ut sanctum habere fœdus, quod ei cum Romanis esset, videri posset.*

Romanis esse videri posset. Dardani, quum Bastarnas non modo non excedere finibus suis, quod speraverant, sed graviores fieri in dies cernerent, subnisos Thracum adcolarum et Scordiscorum auxiliis, audendum aliquid vel temere rati, omnes undique armati ad oppidum, quod proximum castris Bastarnarum erat, conveniunt[d]. Hiems erat, et id anni tempus elegerant, ut Thraces Scordiscique in fines suos abirent. quod ubi ita factum, et solos jam esse Bastarnas audierunt, bifariam dividunt copias: pars, ut recto itinere ad lacessendum ex aperto iret; pars, devio saltu circumducta, ab tergo adgrederetur. Ceterum, priusquam circumire castra hostium possent, pugnatum est; victique Dardani compelluntur in urbem, quæ fere duodecim millia ab castris Bastarnarum aberat. Victores confestim circumsidunt urbem, haud dubie postero die aut metu dedituris se hostibus, aut vi expugnaturi. Interim Dardanorum altera manus, quæ circumducta erat, ignara cladis suorum, castra Bastarnarum sine præsidio relicta

U.C. 577. A.C. 175.

Dardanorum urbs obsessa.

* * *

XX. *** more, sella eburnea posita, jus dicebat, disceptabatque controversias minimarum rerum. [82] adeoque nulli fortunæ adhærebat animus, per omnia genera vitæ errans, uti nec sibi, nec aliis, quinam homo esset, satis constaret. Non adloqui amicos, [83] vix notis familiariter adridere; munificentia inæquali sese aliosque ludificari: quibusdam honoratis magnoque æstimantibus se puerilia, [84] ut escæ aut lusus, munera dare; alios nihil exspectantes ditare. Itaque nescire, quid sibi vellet, quibusdam videri. quidam [85] ludere eum simpliciter, quidam haud dubie insanire aiebant. In duabus tamen magnis honestisque rebus vere regius erat animus, in urbium donis, et Deorum cultu. Megalopolitanis in Arcadia murum se circumdaturum urbi est pollicitus, majoremque partem pecuniæ dedit. Tegeæ theatrum magnificum e marmore facere instituit. [86] Cyzici

Antiochi munificentia.

[d] *convenerunt* Gron. Crev.

82 *Adeoque nulli fortunæ*] Lege cum Rubenio, *nulli formæ*. Sic apud Tac. l. I. Ann. c. 74. *Qui formam vitæ tenuit, quam etc.*

83 *Vix notis*] Conjunge τὸ *vix* cum notis. *Vix noti* opponuntur *amicis*.

84 *Ut escæ aut lusus*] Polybius nominat talos et dactylos palmarum.

85 *Ludere . . . simpliciter*] Ludere per jocosam et nugacem simplicitatem.

86 *Cyzici in Prytaneum*] Prytanei Syracusani meminit Cic. in Verr. l. IV. n. 119. Nempe, ut notat ad hunc Ciceronis locum Grævius, nulla urbs Græca fuit, quæ non suum Prytaneum haberet. Prytanea autem erant Vestæ sacra: cujus in honorem perpetuus ibi ignis fovebatur. Vid. Casaub. Animadv. in Athen. l. XV. c. 19. et Ezech. Spanhemii Dissert. de Vesta et Prytanibus. Quia igitur Prytanea Vestæ sacra erant, cujus ædes penetrale erat urbis Romæ, ideo Livius Prytaneum Latine interpretatur *penetrale urbis*. Quod adjicit, publice ibi vesci,

U. C. 577. A. C. 175. in Prytaneum, (id est penetrale urbis, ubi publice, quibus is honos datus est, vescuntur) vasa aurea mensæ unius posuit. Rhodiis, [87] ut nihil unum insigne, ita omnis generis, ut quæque usus eorum postulaverunt, dona dedit. Magnificentiæ vero in Deos vel Jovis Olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine Dei, potest testis esse. [88] Sed et Delon aris insignibus statuarumque copia exornavit: et Antiochiæ Jovis Capitolini magnificum templum, non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis lamina inauratum, et alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus regni ejus fuit, non perfecit. Spectaculorum quoque omnis generis magnificentia superiores reges vicit; [89] reliquorum sui moris, et copia Græcorum artificum. Gladiatorum munus Romanæ consuetudinis primo majore cum terrore hominum, insuetorum ad tale spectaculum, quam voluptate, dedit: deinde sæpius dando, et [90] modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam, et familiare oculis gratumque id spectaculum fecit, et armorum studium plerisque juvenum accendit. Itaque, qui primo ab Roma magnis præmiis paratos gladiatores arcessere solitus erat, jam suo

Ludi.

* * *

XXI. *** pio inter peregrinos. M. Atilio prætori provincia Sardinia obvenerat: sed cum legione nova, quam consules conscripserant, quinque millibus peditum trecentis equitibus, in Corsicam jussus est transire. dum is ibi bellum gereret, [91] Cornelio prorogatum imperium, uti obtineret Sardiniam. Cn. Servilio Cæpioni in Hispaniam ulteriorem, et

sive publico sumptu ali solitos, quibus is honos datus est, id de Athenis notissimum est omnibus. Sed et in aliis quoque Græcis urbibus eumdem morem servatum esse, hic locus testimonio est.

87 *Ut*] Particula *ut* adjecta est ex Freinshemii et Gronovii sententia.

88 *Sed et Delon aris insignibus*] Hic olim legebatur *Delon maris*. Correxere Vossius et Gronovius. Quæ emendatio si vera est, hic Livius paulum discessit a Polybio, qui loquitur tantummodo de statuis circa Deli aram ab Antiocho positis.

89 *Reliquorum sui moris*] Vox *reliquorum* pendet a præcedenti nomine *spectaculorum*. Dicit Livius ab Antiocho superatos esse superiores reges magnificentia spectaculorum omnis generis, ex quibus cetera moris Græci erant, et cum copia Græcorum artificum; unum Romanæ consuetudinis, nempe gladiatorum munus: quod quidem primo majore cum terrore . . Artifices hic intelligendi sunt, ut l. V. supra, c. 1. ii quorum opera ludi peraguntur, puta histriones, saltatores, tibicines, &c.

90 *Modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam*] Modo ita ut vulnerarentur tantum gladiatores, non interficerentur; modo ad necem usque. *Missio* erat gratia deserendi pugnam, quæ dabatur aliquando victis gladiatoribus. Quum autem placeret, ut eousque pugnaretur donec alteruter occumberet, dicebatur pugna *sine missione*. Sic Flor. l. III. c. 20. de Spartaci militibus: *dignam viris obiere mortem: et, quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est*. Vide plura apud Lips. Saturn. II. 21.

91 *Cornelio prorogatum imperium*] Hinc apparet Cornelium superiore anno prætorem fuisse.

P. Furio Philo in citeriorem tria millia peditum Romanorum, equites centum quinquaginta, et sociûm Latini nominis quinque millia peditum, trecenti equites: Sicilia L. Claudio sine supplemento decreta. Duas præterea legiones consules scribere jussi, cum justo numero peditum equitumque, et decem millia peditum sociis imperare, et sexcentos equites. Delectus consulibus eo difficilior erat, quod pestilentia, quæ priore anno in boves ingruerat, [92] eo verteret[e] in hominum morbos. qui inciderant, haud facile septimum diem superabant: qui superaverant[f], longinquo, maxime quartanæ, inplicabantur morbo. Servitia maxime moriebantur. eorum strages per omnes vias insepultorum erat. Ne liberorum quidem funeribus [93] Libitina subficiebat. Cadavera, intacta a canibus ac vulturibus, tabes absumebat: satisque constabat, nec illo, nec priore anno, in tanta strage boum hominumque vulturium usquam visum. Sacerdotes publici ea pestilentia mortui sunt, Cn. Servilius Cæpio pontifex, pater prætoris, et [94] Ti. Sempronius Ti. F.[g] Longus decemvir sacrorum, et P. Ælius Pætus augur, et Ti. Sempronius Gracchus, et C. Mamilius Vitulus curio maximus, et M. Sempronius Tuditanus pontifex. [95] pontifices subfecti sunt, C. Sulpicius Galba ***[h] in locum Tuditani. Augures subfecti sunt, in Gracchi locum T. Veturius Gracchus Sempronianus, in P. Ælii Q. Ælius Pætus. Decemvir sacrorum C. Sempronius Longus, curio maximus C. Scribonius Curio subficitur. Quum pestilentiæ finis non fieret, senatus decrevit, uti decemviri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorum diem unum supplicatio fuit. et, [96] Q. Martio Philippo verba præeunte, populus in foro votum concepit: *Si morbus pestilentiaque ex agro Romano emota esset, biduum ferias ac supplicationem se habiturum.* In Veienti agro biceps natus puer, et Sinuessæ unimanus, et Auximi[i] puella cum dentibus; et arcus interdiu sereno cœlo super ædem Saturni in foro Romano intentus, et tres simul soles effulserunt: et [97] faces eadem nocte plures per cœlum lapsæ sunt in Lanuvino: Cæ-

U. C. 578. A. C. 174.

Pestilentia.

Prodigia.

[e] *verterat* Gron. Crev. [f] *superabant* Eæd. [g] *Ti. F. l. C. F.* Gron. [h] abest signum lacunæ Gron. Crev. [i] *Oximi* Eæd.

92 *Eo*] Anno.

93 *Libitina*] Vid. not. 67. ad l. XL. c. 19.

94 *Ti. Sempronius Ti. F. Longus*] Hæc est vetus scriptura, quam male mutaverat Sigonius, legique jusserat Ti. *Sempronius C. F.* Vid. supra l. XXVII. c. 6.

95 *Pontifices suffecti sunt C. Sulpicius Galba in locum Tuditani*] Hic excidit nomen ejus qui in locum Cæpionis pontifex suffectus est.

96 *Q. Marcio Philippo*] Decemviro sacrorum. Vid. supra l. XL. c. 42.

97 *Faces . . lapsæ sunt in Lanuvino. Cæritesque*] Priscianus l. IV. citat hunc locum sic: *Lanuvini Cæritesque anguem jubatum.* Itaque legendum est hoc modo: *lapsæ sunt. Lanuvini Cæritesque.* SIGONIUS. *Faces* sunt stellæ facem ducentes.

U.C. 578. A. C. 174. ritesque anguem in oppido suo jubatum, aureis maculis sparsum, adparuisse adfirmabant. et, in agro Campano bovem locutum esse, satis constabat.

XXII. Legati [98] Nonis Juniis[k] ex Africa redierunt, qui, convento prius Masinissa rege, Karthaginem ierant: ceterum certius aliquanto, quæ Karthagine acta essent, ab rege rescierant, quam ab ipsis Karthaginiensibus. compertum tamen adfirmaverunt, legatos ab rege Perseo venisse, iisque noctu senatum in æde Æsculapii datum esse. ab Karthagine legatos in Macedoniam missos, et rex adfirmaverat, et ipsi parum constanter negaverant. In Macedoniam quoque mittendos legatos senatus censuit. tres missi sunt, C. Lælius, M. Valerius Messalla, Sex. Digitius. Perseus per id tempus, quia quidam Dolopum non parebant, et, de quibus ambigebatur rebus, disceptationem ab rege ad Romanos revocabant, cum exercitu profectus, sub jus judiciumque suum totam coëgit gentem. Inde, per Œtæos montes transgressus, religionibus quibusdam animo objectis, oraculum aditurus Delphos adscendit. Quum in media repente Græcia adparuisset, magnum non finitimis modo urbibus terrorem præbuit, sed in Asiam quoque ad regem Eumenem nuncius tumultus ejus venit. Triduum, non plus, Delphis moratus, per [99] Phthiotidem Achaiam, Thessaliamque, sine damno injuriaque agrorum, per quos iter fecit, in regnum rediit. Nec earum tantum civitatium, per quas iturus erat, satis habuit animos sibi conciliare: [1] aut[1] legatos, aut literas dimisit, petens, *ne diutius simultatum, quæ cum patre suo fuissent, meminissent. nec enim tam atroces fuisse eas, ut non cum ipso potuerint, ac debuerint, finiri. Secum quidem omnia illis integra esse ad instituendam fideliter amicitiam.* Cum Achæorum maxime gente reconciliandæ gratiæ viam quærebat.

Persei iter Delphos.

Achæorum animos sibi reconciliare tentat.

XXIII. Hæc una ex omni Græcia gens, et Atheniensium civitas, eo processerat irarum, ut finibus interdiceret Macedonibus. Itaque servitiis ex Achaia fugientibus receptaculum Macedonia erat: quia, quum finibus suis interdixissent, intrare regni terminos ipsi non audebant. Id quum Perseus animadvertisset, comprehensis omnibus, literas ***. ceterum, ne similis fuga servorum postea fieret, cogitandum et illis esse. Recitatis his literis per Xenarchum prætorem, qui privatæ gratiæ aditum apud regem

k *Junii* Gron. Crev. l *sed aut* Gron.

98 *Nonis Junii*] Sic reposuit Sigonius, quum prius legeretur *Julii*. Nimirum Julii mensis nomen nondum in usu erat.

99 *Phthiotidem Achaiam*] Vid. not. 63. ad l. XXXIII. c. 32.

1 *Aut legatos, aut litteras*] Adjecerat Sigonius de suo *sed* ante prius illud *aut*. Videntur pluscula deesse. Dederat fortasse Livius: *sed circa omnes Græciæ civitates, aut legatos* . . .

quærebat, et plerisque moderate et benigne scriptas esse censentibus literas, atque his maxime, qui præter spem recepturi essent amissa mancipia; [2] Callicrates ex iis, qui in eo verti salutem gentis crederent, si cum Romanis inviolatum fœdus servaretur, *Parva*, inquit, *aut mediocris res, Achæi, quibusdam videtur agi; ego* [3] *maxime gravissimam omnium non agique tantum arbitror, sed quodam modo actam esse. Nam qui regibus Macedonum, Macedonibusque ipsis, finibus interdixissemus,* [4] *manereque id decretum,* [5] *scilicet, ne legatos, ne nuncios admitteremus regum, per quos aliquorum ex nobis animi sollicitarentur; ii concionantem quodam modo absentem audimus regem, et, si Diis placet, orationem ejus probamus. Et, quum feræ bestiæ cibum ad fraudem suam positum plerumque adspernentur et refugiant, nos cæci, specie parvi beneficii, inescamur: et, servulorum minimi pretii recipiendorum spe, nostram ipsorum libertatem subrui et tentari patimur. Quis enim non videt,* [6] *viam regiæ societatis quæri, qua Romanum fœdus, quo nostra omnia continentur, violetur? Nisi hoc dubium alicui est, bellandum Romanis cum Perseo esse, et, quod vivo Philippo exspectatum, morte ejus interpellatum est, id post mortem Philippi futurum. Duos, ut scitis, habuit filios Philippus, Demetrium et Persea. Genere materno, virtute, ingenio, favore Macedonum, longe præstitit Demetrius. Sed quia in Romanos odii regnum posuerat præmium, Demetrium nullo alio crimine, quam Romanæ amicitiæ initæ, occidit:* [7] *Persea, quem populus Romanus prius pœnæ, quam regni, hæredem futurum sciebat, regem fecit. Itaque quid hic post mortem patris egit aliud, quam bellum paravit? Bastarnas primum ad terrorem omnium* [8] *in Dardaniam inmisit: qui si sedem eam tenuissent, graviores eos adcolas*

U. C. 578. A. C. 174.

Callicratis adversus regem oratio.

2 *Callicrates, ex iis qui in eo verti*] Hic Callicrates non tam honorifice tractatur a Polybio, qui eum traducit tanquam proditorem publicæ Achæorum libertatis, et insignem ejus perfidiam notat, Legat. 58.

3 *Maxime gravissimam omnium, non agique tantum*] Emendat Gronovius: *maximam et gravissimam omnium, neque agi tantum.* Quod concinnius est et magis ex solito loquendi more.

4 *Manereque id decretum*] Hoc vel vitiatum, vel mancum, vel superfluum est. * Resecto hoc membro, sua orationi integritas constat, sua sententiæ perspicuitas. † Corrigit Gronovius: *Nam quum regibus Macedonum Macedonibusque ipsis, finibus interdixissemus, maneretque id decretum . . . . hic concionantem.* Sed vix dubitari potest, quin totius hujus periodi structura, qualis vulgo exhibetur, et duo illa membra sibi mutuo respondentia, *qui regibus Macedonum . . . ii concionantem*, a Livii manu sint.

5 *Scilicet, ne legatos*] Hic non referuntur ipsa decreti verba, sed mens explicatur. Regibus Macedonum, inquit, Macedonibusque ipsis, finibus nostris interdixeramus, id scilicet præcaventes, ne legatos, ne nuncios . . .

6 *Viam regiæ societatis quæri*] Magis placeret *societati.*

7 *Persea, quem populus Romanus prius pœnæ*] Lege vel cum Gronovio, *quem in populum Romanum prius odii, quam regni hæredem futurum sciebat:* vel cum Rubenio, *quem belli in populum Romanum prius pene, quam regni.*

8 *In Dardaniam immisit*] Hic admisimus, auctore Gronovio, particulam *in*, quam orationis Latinæ ratio postulabat.

U.C. 578. A.C. 174.

Græcia habuisset, quam Asia Gallos habeat. Ea spe depulsus, non tamen belli consilia omisit: immo, si vera volumus dicere, jam inchoavit bellum. Dolopiam armis subegit, [9] *nec provinciis de controversis ad disceptationem populum Romanum*[m] *adivit*[n]*, inde, transgressus Œtam, ut repente in medio umbilico Græciæ conspiceretur, Delphos adscendit. Hæc usurpatio itineris insoliti quo vobis spectare videtur? Thessaliam deinde peragravit. quod sine ullius eorum, quos oderat, noxia, hoc magis tentationem metuo. Inde literas ad nos cum muneris specie misit, et cogitare jubet, quo modo in reliquum hoc munere non egeamus; hoc est, ut decretum, quo arcentur Peloponneso Macedones, tollamus; rursus legatos regios, et hospitia cum principibus, et mox Macedonum exercitus, ipsum quoque a Delphis (quantum enim interluit fretum?) trajicientem in Peloponnesum videamus,* [10] *inmisceamur Macedonibus armantibus se adversus Romanos. Ego nihil novi censeo decernendum, servandaque omnia integra,* [11] *donec ad certum dirigatur*[o]*, vanusne hic timor noster, an verus fuerit. Si pax inviolata inter Macedonas Romanosque manebit, nobis quoque amicitia et commercium sit: nunc de eo cogitare periculosum et inmaturum videtur.*

Arco Callicrati respondet.

XXIV. Post hunc Arco, frater Xenarchi prætoris, ita disseruit: *Difficilem orationem Callicrates, et mihi, et omnibus, qui ab eo dissentimus, fecit: agendo enim Romanæ societatis caussam ipse, tentarique et obpugnari dicendo, quam nemo neque tentat, neque obpugnat, effecit, ut, qui ab se dissentiret, adversus Romanos dicere videretur. Ac primum omnium, tamquam non hic nobiscum fuisset, sed aut ex curia populi Romani veniret, aut regum arcanis interesset, omnia scit et nunciat, quæ occulte facta sunt.* [12] *Divinat etiam, quæ futura fuerant, si Philippus vixisset: quid ita Perseus regni hæres sit, quid parent Macedones, quid cogitent Romani. Nos autem, qui, nec ob quam caussam, nec quemadmodum perierit Demetrius, scimus; nec quid Philippus, si vixisset, facturus fuerat*[p]*, ad hæc, quæ palam geruntur, consilia nostra adcommodare oportet.* [13] *Ac scimus, Persea, regno accepto, ad lega-*

[m] *populi Romani* Gron. [n] *nec provocantes de controversiis ad disceptationem populi Romani audivit.* Crev. [o] *redigatur* Ead. [p] *fuerit* Gron. Crev.

9 *Nec provocantes*] Supple, Dolopas. Vulgo hic habetur *nec provinciis.* Probabilem Gronovii conjecturam in textum recepit Clericus, nec nos exturbare sustinuimus.

10 *Immisceamur*] Sic dedit Sigonius pro *immiscemur.*

11 *Donec ad certum redigatur*] Donec certum fiat, donec certo sciatur. Sic l. XLIV. c. 15. *Et, si id ante dubium fuisset, legatorum . . . verba ad certum redegisse.* Ceterum legebatur hic *ad certum dirigatur.* Correxit Gronovius.

12 *Divinat etiam quæ futura fuerant*] Hoc mutat Gronovius, tanquam grammaticæ legibus absonum, jubetque reponi *fuerint.* Sed sexcentis in locis quum Livii, tum probatissimorum scriptorum, reperire facile est similium locutionum exempla. Vid. Novam Methodum linguæ Latinæ.

13 *Ac scimus Persea . . . ad legatos Romanos venisse, ac regem Persea*]

tos Romanos venisse, ac regem Persea a populo Romano ad- U.C. 578.
pellatum: audimus, legatos Romanos venisse ad regem, et eos A.C. 174.
benigne exceptos[q]. *Hæc omnia pacis equidem signa esse judico, non belli: nec Romanos offendi posse, si, ut bellum gerentes eos secuti sumus, nunc quoque pacis auctores sequamur. cur quidem nos inexpiabile omnium soli bellum adversus regnum Macedonum geramus, non video. Opportuni propinquitate ipsa Macedoniæ sumus; an infirmissimi omnium, tamquam, quos nuper subjecit, Dolopes?* [14] *immo contra ea, vel viribus nostris, Deûm benignitate, vel regionis intervallo tuti.* [15] *Sed sumus æque subjecti ac Thessali Ætolique; nihilo plus fidei auctoritatisque habemus adversus Romanos, qui semper socii atque amici fuimus, quam Ætoli, qui paullo ante hostes fuerunt. Quod Ætolis, quod Thessalis, quod Epirotis, omni denique Græciæ cum Macedonibus juris est, idem et nobis sit. cur exsecrabilis ista nobis solis velut desertio juris humani est? Fecerit aliquid Philippus, cur adversus eum armatum et bellum gerentem hoc decerneremus: quid Perseus, novus rex, omnis injuriæ insons, suo beneficio paternas simultates obliterans, meruit? cur soli omnium hostes ei sumus? Quamquam et illud dicere poteram, tanta priorum Macedoniæ regum merita erga nos fuisse, ut Philippi unius injurias, si quæ forte fuerunt,* * *utique post mortem. Quum classis Romana Cenchreis staret, consul cum exercitu Elatiæ esset, triduum in concilio fuimus, consultantes, utrum Romanos, an Philippum, sequeremur.* [16] *Nonnihil metus præsens ab Romanis sententias nostras inclinarit: fuit certe tamen aliquid, quod tam longam deliberatio-*

[q] *acceptos* Gron. Crev.

Nemo est quin videat tollendum esse secundum illud *Persea*, tam inutiliter et odiose repetitum. Admodum etiam verisimile est, ea quæ præcedunt vitiata esse. Nusquam enim memoratum est, ut observat Gronovius, Persea statim regno accepto ad legatos Romanos venisse, sed legatos Romam misisse. Et causam errori præbere fortasse potuerint hæc verba membri sequentis: *audimus legatos Romanos venisse.* Itaque recte videtur hunc locum emendare Gronovius hoc modo: *Ac scimus Persea, regno accepto, legatos Romam misisse, ac regem a populo Romano appellatum.*

14 *Imo contra ea*] Voculam *ea* ejicit Gronovius. Sed si illa non exprimatur, debet intelligi. Quid igitur necesse est eam deleri, si quando exprimitur? Nec videmus, cur non tam dicamus *contra ea*, quam *præterea*, aut *postea*. Et alibi usurpavit Livius, ut l. III. 60. et l. XXI. c. 20. * Fortasse legendum est *contra eam*, nempe contra Macedoniam, quæ paulo ante nominata est, vel intelligendum *contra ea* pericula.

15 *Sed sumus æque subjecti ac Thessali Ætolique*] Patet ex iis quæ sequuntur, legi debere *Epirotæque*. Ceterum hæc ita intelligenda sunt, ut ea Arco sibi ipse objiciat, ac dum objicit refellat. *Subjecti* idem est ac supra *opportuni*. Nisi forte legendum est potius *suspecti*.

16 *Nonnihil metus præsens ab Romanis*] Imo *nihil*, ut recte monet Perizonius. Arco vult intelligi Romanorum metum, quorum classis Cenchreis, exercitus terrestris Elatiæ erat, dum deliberarent Achæi, in causa fuisse, cur ad illos inclinarent consultantium animi. Sed demus, inquit, nihil tunc valuisse metum illum. Certe aliquid tamen fuit, quod tam longam deliberationem faceret. De beneficiis Macedonum regum in Achæos vid. Polyb. l. II. et Plut. in Arato.

U.C. 578. A.C. 174. *nem fecerat*[r]*: id quod erat vetusta conjunctio cum Macedonibus, vetera et magna in nos regum merita. Valeant et nunc eadem illa, non ut præcipue amici, sed ne præcipue inimici simus. Ne id, quod non agitur, Callicrates, simulaverimus. nemo novæ societatis aut novi fœderis, quo nos temere inligemus, conscribendi est auctor: sed commercium tantum juris præbendi repetendique sit, ne interdictione finium nostrorum et nos quoque regno arceamus, ne servis nostris aliquo fugere liceat. Quid hoc adversus Romana fœdera est? Quid rem parvam et apertam, magnam et suspectam facimus? Quid vanos tumultus ciemus? Quid ut ipsi locum adsentandi Romanis habeamus, suspectos alios* [17] *ac invisos efficimus? Si bellum erit, ne Perseus quidem dubitat, quin Romanos secuturi simus.*

Nihil novi statuunt Achæi.

in pace etiam, si non odia finiuntur, intermittantur. Quum iidem huic orationi, [18] qui literis regis adsentierant[s], adsentirentur, indignatione principum, quod, quam rem ne legatione quidem dignam judicasset Perseus, literis paucorum versuum [19] impetraret, decretum differtur. Legati [20] deinde postea missi ab rege, quum Megalopoli concilium esset; dataque opera est ab iis, qui offensionem apud Romanos timebant, ne admitterentur.

Ætolorum discordiæ.

XXV. Per hæc tempora Ætolorum in semet ipsos versus furor mutuis cædibus ad internecionem adducturus videbatur gentem. Fessi deinde et Romam utraque pars miserunt legatos, et inter se ipsi de reconcilianda concordia agebant: [21] quæ novo facinore discussa res veteres etiam iras excitavit. Exsulibus Hypatæis, qui factionis Proxeni erant, quum reditus in patriam promissus esset, fidesque data per principem civitatis Eupolemum, octoginta inlustres homines, quibus redeuntibus inter ceteram multitudinem Eupolemus etiam[t] obvius exierat, [22] quum salutatione benigne excepti essent, dextræque datæ, ingredientes portam, fidem datam Deosque testes nequidquam invocantes, interfecti sunt. Inde gravius de integro bellum exarsit. C. Valerius Lævinus, et Ap. Claudius Pulcher, et C. Memmius, et M. Popillius, et L. Canuleius missi ab senatu venerant. Apud eos quum Delphis utriusque partis legati magno certamine agerent, Proxenus maxime, quum caussa, tum eloquentia, præstare visus est; qui paucos post dies ab Ortho-

[r] *faceret* Gron. Crev. [s] *adsentierant* del. Crev. [t] *etiam* del. Gron. Crev.

17 *Ac invisos*] Lege *et invisos*.

18 *Qui litteris regis, adsentirentur*] Vetus scriptura: *qui litteris regis adsentierant, adsentirentur*. Gronovius tolli jussit verbum *adsentierant*, quod sane a Livio esse non videtur.

19 *Impetraret*] Et hic Gronovius reposuit *impetraret* pro *imperaret*.

20 *Deinde postea*] Alterutrum vacat.

21 * *Quæ . . . discussa res*] Delemus postremam vocem. Etenim ex præcedentibus facile intelligitur *concordia*.

22 *Quum salutatione benigne excepti essent*] Mallemus *benigna*.

bula uxore veneno est sublatus: [23] damnataque eo crimine, in exsilium abiit. Idem furor et Cretenses lacerabat. adventu deinde Q. Minucii legati, qui cum decem navibus missus ad sedanda eorum certamina erat, in spem pacis venerant. [24] ceterum induciæ et antea sex mensium fuerunt: inde multo gravius bellum exarsit. Lycii quoque per idem tempus ab Rhodiis bello vexabantur. Sed externorum inter se bella, quo quæque modo gesta sunt, persequi non operæ est [25] satis superque oneris sustinenti res a populo Romano gestas scribere. U. C. 578. A. C. 174. Cretensium dissidia.

XXVI. Celtiberi in Hispania, qui bello domiti se Ti. Graccho dediderant, pacati manserant M. Titinio prætore obtinente provinciam. rebellarunt [26] sub adventum Ap. Claudii, orsique bellum sunt ab repentina obpugnatione castrorum Romanorum. Prima lux ferme erat, quum vigiles in vallo, quique in portarum stationibus erant, quum vidissent procul venientem hostem, ad arma conclamaverunt. Ap. Claudius, signo proposito pugnæ, ac paucis adhortatus milites, tribus simul portis eduxit. Obsistentibus ad exitum Celtiberis, primo par utrumque [u] prœlium fuit, quia propter angustias non omnes in faucibus pugnare poterant Romani: [27] urguentes deinde alii alios secuti evaserunt extra vallum, ut pandere aciem, [28] et exæquari cornibus hostibus, quibus circumibantur, possent. ita repente eruperunt, ut sustinere impetum eorum Celtiberi nequirent. Ante horam secundam pulsi sunt: ad quindecim millia cæsa aut capta: signa ademta duo et triginta. Castra etiam eo die expugnata, debellatumque. nam, qui superfuere prœlio, in oppida sua dilapsi sunt. quieti deinde paruerunt imperio. Celtiberorum rebellio.

XXVII. Censores eo anno creati Q. Fulvius Flaccus et A. Postumius Albinus legerunt senatum: princeps lectus M. Æmilius Lepidus pontifex maximus. De senatu novem ejecerunt. insignes notæ fuerunt M. Cornelii Maluginensis, [29] qui biennio ante prætor in Hispania fuerat; et [30] L. Cor- Censores. Insignes notæ.

[u] *utrimque* Gron. Crev.

23 *Damnataque eo crimine*] Lege cum Perizonio, *damnata quæ*. Vid. not. 89. ad l. IV. c. 17. supra.

24 *Ceterum induciæ et antea sex mensium fuerunt*] Lege cum Gronovio: *ceterum inducias tantum sex mensium fecerunt*.

25 *Satis superque oneris sustinenti res a populo Romano gestas scribere*] Delendum videtur verbum *scribere*, quod et otiosum est, et deformat orationem. Dicit Livius se satis superque oneris ferre, nempe, res a populo Romano gestas.

26 *Sub adventum Ap. Claudii*] Hinc discimus Ap. Claudium fuisse prætorem superiore anno, et citeriorem Hispaniam obtinuisse.

27 *Urgentes deinde alii alios secuti*] Nemini non apparebit vocem *secuti* hic ita positam esse, ut impediat potius sensum, quam adjuvet. Non dubitamus, quin rescribendum sit: *urgentes deinde alii alios scutis*.

28 *Et exæquari cornibus hostibus, quibus*] Reponit Gronovius: *et exæquari cornibus hostium, a quibus*.

29 *Qui biennio ante prætor in Hispania fuerat*] Hic prætor in Hispaniam ire noluerat, ut constat ex c.

U.C. 578. A.C. 174. nelii Scipionis prætoris, cujus tum inter cives et peregrinos jurisdictio erat; et [31] Cn. Fulvii, qui frater germanus, [32] et, ut Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat. [33] Consules, votis etiam in Capitolio nuncupatis, in provincias profecti sunt. [34] Ex iis M. Æmilio senatus negotium dedit, ut Patavinorum in Venetia seditionem comprimeret, quos certamine factionum ad intestinum bellum exarsisse, [35] et ipsorum legati adtulerant. Legati, qui in Ætoliam ad similes motus comprimendos ierant, renunciarunt, coërceri rabiem gentis non posse. Patavinis saluti fuit adventus consulis: neque aliud, quod ageret in provincia, quum habuisset, Romam rediit. Censores vias sternendas silice in urbe, [36] glarea extra urbem substruendas [x] marginandasque primi omnium locaverunt, pontesque multis locis faciendos: et [37] scenam ædilibus prætoribusque præbendam: et carce-

Censorum opera.

[x] *substernendas* Gron. Crev.

15. supra. Ergo aut delendæ sunt voces in *Hispania*, aut lapsus est memoria Livius.

30 *L. Cornelii Scipionis prætoris*] Testatur Valer. Max. l. III. c. 5. ejus propinquos dedisse operam, ne aut sellam ponere, aut jus dicere auderet. Id fortasse ut perficere possent, notandum eum a censoribus curaverant. Quamvis enim hujus notæ vi præturam non amitteret, alienum tamen erat a dignitate populi Romani, hominem a censoribus notatum jus dicere, et statuere de fortunis civium.

31 *Cn. Fulvii, qui frater germanus . . censoris*] Huic Fulvio prænomen assignabatur in veteri codice *Lucius*. At Velleius l. I. c. 10. eum vocat *Cnæum*: eique potius assentiendum Sigonius existimat. Ceterum is, sive L. sive Cn. Fulvius, idem est, qui supra l. XL. c. 41. vocatur M. Fulvius Nobilior, et dicitur legionem in qua tribunus militum erat, dimisisse. Quod autem in priore illo libri XL. loco vocatur M. Fulvius Nobilior, hic autem Cn. Fulvius, id ex eo oriri Sigonius existimat, quod a M. Fulvio Nobiliore adoptatus esset. Itaque *Cn. Fulvius Flaccus* primum est ejus nomen: *M. Fulvius Nobilior* nomen est illud quod a patre adoptivo sibi adsciverat.

32 *Et . . . consors*] Eodem vocabulo utitur Velleius hac ipsa de re agens. Cicero quoque, l. III. in Verr. n. 57. *Sostratum et Numenium, et Nymphodorum, tres fratres consortes* appellat. Ad eum Ciceronis locum in editione Grævii apposita est hæc Salmasii ex Plinianis Exercitationibus nota. *Consortes* dicebantur cohæredes quamdiu hæreditas divisa non erat. Glossæ: *consortes*, κοινωνοί, σύγκληροι. Inde et *consortium* societas et communio cohæredum. Contra *dissortes*, postquam diviserant. Glossæ: *dissortes* διακληρωθέντες.

33 *Consules votis etiam*] Tollenda videtur particula *etiam*, quæ hic nullum habet sensum, et facile immigrare potuit ex iis quæ præcedunt, *consors etiam censoris*.

34 *Ex iis M. Æmilio*] Mendum est in nomine consulis. Non enim hoc anno, sed superiore, M. Æmilius consul fuit.

35 *Et ipsorum legati*] Vel delenda est particula *et*, vel excidit prius orationis membrum.

36 *Glarea . . . substernendas, marginandasque*] Vocis *substernendas* hæc profecto vis est, ut lapidibus, quibus sternebantur viæ, solum e terra lapidosa substerneretur, cui solidius ac firmius lapides inhærerent. Ac rem ita se habere asserit oculatus testis, Cl. auctor Antiquitatis Schematibus illustratæ, qui Appiæ viæ partem aliquam etiamnum integram inspexit diligentius et exploravit. Eum vid. Tom. V. parte II. *Marginandas* recte Dujatius exponit marginibus lapideis muniendas. Margines illi, inquit Raph. Fabrettus in Apolog. ad Grunnovium, *firmissima ad viarum latera crassorum lapidum serie, duplici etiam, triplicique alicubi, ut observavimus, vias ipsas continebant*.

37 * *Scenam*] Vid. not. 88. ad XL. 51.

res in circo, et [38] ova ad notas curriculis numerandis, [39] et * dam, et metas trans * et caveas ferreas pe * intromitterentur * ferreis [40] in monte Albano consulibus, et clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt, et [41] porticum ab æde Saturni in Capitolium ad senaculum, ac super id curiam. Et extra portam Trigeminam emporium lapide straverunt, stipitibusque sepserunt: et porticum Æmiliam reficiendam curarunt: gradibusque adscensum ab Tiberi in emporium fecerunt. et extra eamdem portam in Aventinum porticum silice straverunt, [42] et eo publico ab æde Veneris fecerunt. Iidem Calatiæ et Auximi muros faciendos locaverunt: venditisque ibi publicis locis, pecuniam, quæ redacta erat, tabernis utrique foro circumdandis consumserunt. et alter ex iis Fulvius Flaccus (nam Postumius nihil, nisi senatus Romani populive jussu, se locaturum [43] ipsorum pecunia *) Jovis ædem Pisauri, et Fundis, [44] et Pollentiæ etiam aquam adducendam, et Pisauri viam silice sternendam, [45] et Sinuessam a ga * aviariæ. In his et clo * um circumducend * et forum porticibus tabernisque claudendum, et [46] Janos

U. C. 578. A. C. 174.

38 *Ova ad notas curriculis numerandis*] Prius legebatur *numerandas:* male. Mendosam quoque esse vocem *notas* judicat Fulv. Ursinus, ac reponit probabili conjectura *metas*. Ova enim illa, e ligno fabricata, imponebantur columnis, aliquando binis, aliquando quaternis, ad metas Circi statutis. Tot illa erant numero, quot curricula erant peragenda: septena proinde, ut plurimum, pro septeno curriculorum numero, qui solennis maxime erat. Primo curriculo peracto, unum ovum e medio tollebatur, secundo curriculo alterum, et sic de reliquis. Hæc fere Salmasius.

39 *Et * dam, et metas trans **] Hæc explet utcunque Marcellus Donatus, legitque *et rhedam, et metas transitus*. Nobis consultius videtur locum intactum relinquere, quam male curatum exhibere. Idem et in iis quæ sequuntur judicat legendum esse, *et caveas ferreas, per quas intromitterentur fere*. Sat feliciter. In Circensibus enim ludis non solum cursu certabatur, sed et ferarum inter se, aut cum bestiariis pugnæ edebantur.

40 *In monte Albano consulibus*] Hic perspicuum est aliquid deesse.

41 *Porticum ab æde Saturni in Capitolium ab senaculum, ac super id curiam*] Fortasse legendum *in Capitolio*. Fuit enim Saturni ædes in clivo Capitolino. Itaque porticus illa intelligetur porrecta *ab æde Saturni* in clivo Capitolino *ad senaculum, atque* ad *curiam* quæ est *super id* senaculum. Possis et cum Justo Rycquio, libro de Capit. c. 34. legere *et senaculum:* ut sensus sit porticum ab æde Saturni in Capitolium, id est, in templum Jovis Capitolini, porrectam, et senaculum, et curiam, locata esse a censoribus lapide silice sternenda. Porro *senaculum*, sive *senatulum*, hoc enim quoque modo scribitur, est, teste Festo, locus in quo *senatus haberi* solet, sive potius, *in quo solebant magistratus dumtaxat cum senioribus deliberare*. Curiam de qua hic agitur, idem Rycquius existimat fuisse curiam Kalabram, de qua vid. Macrob. Saturn. l. I. c. 15.

42 *Et eo publico ab æde Veneris*] Suspicatur Gronovius *et basilicam ad ædem Veneris*.

43 *Ipsorum pecunia dicebat*] Verbum adjectum est ex mente Sigonii.

44 *Et Pollentiæ, etiam aquam adducendam*] Vel lege *et Pollentiam aquam adducendam:* vel in voce *etiam* latebit nomen alicujus alterius urbis, in quam Fulvius aquam ducendam locaverit.

45 *Et Sinuessam*] Emendat Marcellus Donatus, *et Sinuessæ glarea:* supple, viam sternendam. In iis quæ sequuntur legendum putat Sigonius, *et cloacam in fluvium circumducendam*.

46 *Janos tres*] Hi Jani erant transitiones perviæ. Vid. not. 78. ad l. II. c. 49.

U.C. 578. A.C. 174. tres faciendos. Hæc ab uno censore opera locata, cum magna gratia colonorum. Moribus quoque regendis diligens et severa censura fuit. multis equi ademti.

XXVIII. Exitu prope anni diem unum supplicatio fuit ob res prospere gestas in Hispania ductu auspicioque Ap. Claudii proconsulis: et majoribus hostiis viginti sacrificatum. et alterum diem supplicatio [47] ad Cereris, Liberi, Liberæque fuit, quod ex Sabinis terræ motus ingens cum multis ædificiorum ruinis nunciatus erat. Quum Ap. Claudius ex Hispania Romam redisset, decrevit senatus, ut ovans urbem iniret. Jam consularia comitia adpetebant; quibus, magna contentione habitis propter multitudinem petentium, creati L. Postumius Albinus et M. Popillius Lænas. Prætores inde facti, [48] N. Fabius Buteo, M. Matienus, C. Cicereius, M. Furius Crassipes iterum, A. Atilius Serranus iterum, C. Cluvius Saxula iterum. Comitiis perfectis, Ap. Claudius Centho, ex Celtiberis ovans quum in urbem iniret, [49] decem millia pondo argenti, quinque millia auri in ærarium tulit. Flamen Dialis inauguratus est Cn. Cornelius. Eodem anno tabula in ædem [7] Matris Matutæ cum indice hoc posita est: *Ti. Sempronii Gracchi consulis imperio auspicioque legio exercitusque populi Romani Sardiniam subegit. in ea provincia hostium cæsa aut capta supra octoginta millia. Republica felicissime gesta,* [50] *atque liberatis vectigalibus * restitutis, exercitum salvum atque incolumem plenissimum præda domum reportavit. iterum triumphans in urbem Romam rediit. Cujus rei ergo hanc tabulam donum Jovi dedit.* Sardiniæ insulæ forma erat, atque in ea simulacra pugnarum picta. Munera gladiatorum eo anno aliquot parva alia data; unum ante cetera insigne fuit T. Flaminini, quod mortis caussa patris sui, [51] cum visceratione epuloque et ludis scenicis, quatriduum dedit. [52] magni tamen muneris ea summa fuit, ut per triduum [53] quatuor et septuaginta homines pugnarint.

Comitia.

Tabula in æde Matris Matutæ a Graccho posita.

* * *

7 *æde* Gron. Crev.

47 *Ad Cereris Liberi, Liberæque*] Ædem. Vid. not. 46. ad l. III. c. 55.

48 *Numerius Fabius*] Vulgo *Cn. Fabius.* Mutavit Sigonius.

49 *Decem millia pondo argenti*] Marcas nostrates 15625. *Quinque millia auri.* Marcas 7812. uncias 4.

50 *Atque liberatis vectigalibus, et reipublicæ restitutis*] *Liberata vectigalia* interpretatur Gronovius salva reddita populo Romano, quæ defectores averterant. Hæ voces, *et reipublicæ*, debentur Sigonio. Gronovius conjicit: *sociisque restitutis.*

51 *Cum visceratione*] Vid. not. 37. ad l. VIII. c. 22.

52 *Magni tamen muneris*] In illo munere, quod magnum illis temporibus judicatum est, tantummodo quatuor et septuaginta homines per triduum pugnarunt. Intelligit Livius hoc munus magnum illo ævo visum esse, sed nihil ad sui temporis profusam magnificentiam, sive potius vesaniam.

53 *Quatuor et septuaginta homines pugnarint*] Hic mutilum esse librum credimus. Namque ex epitome hujus libri apparet Livium in eo legis Voco-

niæ mentionem fecisse. At Cicero, l. I. in Verrem, n. 107. docet Voconium sanxisse de iis qui post A. Postumium, Q. Fulvium censores censi essent, ita ut hi censores in lege diserte nominati fuisse videantur. Jam vero iidem hi censores creati memorantur hujus libri c. 27. a quo nulla jam occurrit lacuna. Sequitur ergo, ut in fine libri de lege Voconia egerit Livius. At enim Cic. l. de Senect. n. 14. dicit legem Voconiam latam esse Cæpione et Philippo II. consulibus, qui quinto post hunc anno consules futuri sunt. Sed primo non admodum mirandum est duos scriptores aliquot annis inter se de eadem re discrepare. Deinde etiam videmur suspicari posse, ideo dissentire Livium et Ciceronem circa annum legis Voconiæ, quia circa ætatem Catonis dissenserint, et Livius eum quinque annis seniorem faciat, quam Cicero, ut observavimus supra ad l. XXXIX. c. 40. Cicero enim loco modo memorato scribit Catonem annos natum quinque et sexaginta legem Voconiam suasisse, qui Catonis vitæ annus, eo modo quo numerat Cicero, incidit revera in consulatum Cæpionis et Philippi. At vero ex Livii sententia sexagesimus quintus vitæ Catonis annus retrahi debet in quinque ante annos, ac proinde incidisse in consulatum Sp. Postumii, et Q. Mucii, qui est hic ipse annus in quo desinit hic liber. Itaque credimus nihil jam superesse, cur quisquam dubitet inserendum hoc loco fuisse supplementum de lege Voconia: quod fecimus.

U. C. 578.
A. C. 174.

EPITOME LIBRI XLII.

Q. FULVIUS Flaccus censor templum Junonis Laciniæ tegulis marmoreis spoliavit, ut ædem, quam dedicabat, tegeret. tegulæ ex senatusconsulto reportatæ. Eumenes, Asiæ rex, in senatu de Perseo, Macedoniæ rege, questus est: cujus injuriæ in populum Romanum referuntur. ob quas bello ei indicto, P. Licinius Crassus consul, [1] *cui id mandatum erat, in Macedoniam transiit, levibusque expeditionibus, equestribus prœliis, in Thessalia cum Perseo parum felici eventu pugnavit. Inter Masinissam et Karthaginienses de agro* [2] *fuit arbiter ad disceptandum a senatu datus. Legati missi ad civitates socias et reges* [3] *rogandos, ut in fide permanerent, dubitantibus Rhodiis. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita* [4] *ducenta quinquaginta septem millia ducenta triginta unum. Res prœterea adversus Corsos et Ligures prospere gestas continet.*

1 *Cui id mandatum erat*] Sic habere tres membranas testatur Gronovius, nisi quod addidit ipse voculam *id*. Admisit emendationem Gronovii Clericus. Vulgo: *cui Macedonia decreta erat*.

2 *Fuit dies ad disceptandum a senatu datus*] Gronovius ex uno MS. affert: *fuit arbiter . . datus*. Sed nulla apud Livium fit *arbitri* mentio. Infra c. 24. jubetur Masinissa legatos quamprimum ad senatum mittere, et denunciare Carthaginiensibus, ut ad disceptandum veniant. Hoc voluit auctor epitomes, etsi minus accurate locutus esse videtur. Non enim *fuit dies* certus *a senatu datus*, quo sisterent se legati Carthaginiensium et Masinissæ: sed quamprimum, nulla definita die, Masinissa jussus est legatos mittere.

3 *Rogandos, ut in fide permanerent*] Vulgo, *an in fide*: quod procul dubio vitiosum erat. *Ut* reperit in uno MS. Gronovius. Adstipulantur Andreas, Campanus, Sigonius, et unus ex MSS. Hearnii.

4 *CCLVII. millia, CCXXXI.*] Livius aliter infra c. 10. nempe *CCLXIX. millia, et XV.*

T. LIVII PATAVINI

LIBER XLII.

U. C. 579. A. C. 173. L. Postumio, M. Popillio Coss. Provinciæ.

L. POSTUMIUS Albinus, M. Popillius Lænas quum omnium primum de provinciis exercitibusque ad senatum retulissent, Ligures utrique decreti sunt: ut novas ambo, quibus eam provinciam obtinerent, legiones, (binæ singulis decretæ) et sociûm Latini nominis dena millia peditum et sexcenos[a] equites, et supplementum Hispaniæ tria millia peditum Romanorum scriberent, et ducentos equites. Ad hoc mille et quingenti pedites Romani cum centum equitibus scribi jussi; cum quibus prætor, cui Sardinia obtigisset, in Corsicam transgressus bellum gereret; interim M. Atilius, vetus prætor, provinciam obtineret Sardiniam. Prætores deinde provincias sortiti sunt, A. Atilius Serranus urbanam, C. Cluvius Saxula inter cives et peregrinos, N. Fabius Buteo Hispaniam citeriorem, M. Matienus ulteriorem, M. Furius Crassipes Siciliam, C. Cicereius Sardiniam. Priusquam magistratus proficiscerentur, senatui placuit, L. Postumium consulem ad agrum publicum a privato terminandum in Campaniam ire; cujus ingentem modum possidere privatos, paullatim proferendo fines, constabat. Hic, iratus Prænestinis, quod, cum eo privatus sacrificii in templo Fortunæ faciundi caussa profectus esset, nihil in se honorifice, neque publice, neque privatim, factum a Prænestinis esset, priusquam ab Roma proficisceretur, literas Præneste misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet, ubi diverteretur, jumentaque, quum exiret inde, præsto essent. Ante hunc consulem, nemo umquam sociis in ulla re oneri aut sumtui fuit. ideo magistratus mulis tabernaculisque et omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis. privata hospitia habebant; ea benigne comiterque colebant: domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis diverti mos esset. Legati, qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, iter qua faciundum[b] erat, imperabant: aliam inpensam socii in magistratus Romanos non faciebant. [1] Injuria consulis, etiamsi justa, non tamen in magistratu exercenda,

Magistratuum Rom. prisca modestia.

[a] *sexcentos* Gron. Crev. [b] *faciendum* Crev.

1 *Injuria consulis, etiamsi justa*] Manifestum mendum. Quid est enim *injuria justa?* Emendant *ira*: bono sensu.

et silentium, nimis aut modestum, aut timidum, Prænestinorum jus, velut probato exemplo, magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum. U. C. 579. A. C. 173.

II. Principio hujus anni legati, qui in Ætoliam et Macedoniam missi erant, renunciarunt, *sibi conveniendi regis Persei, quum alii abesse eum, alii ægrum esse, falso utrumque, fingerent, potestatem non factam. Facile tamen adparuisse sibi, bellum parari, nec ultra ad arma ire dilaturum. Item in Ætolia seditionem gliscere in dies, neque discordiarum principes auctoritate sua coërceri potuisse.* Quum bellum Macedonicum in exspectatione esset, priusquam id susciperetur, prodigia expiari, [2] pacemque Deûm peti precationibus, quæ editæ ex fatalibus libris essent, placuit. Lanuvii classis magnæ species in cœlo visse dicebantur; et Priverni lana pulla terra enata: et in Veienti [3] apud Rementem lapidatum; Pomptinum omne velut nubibus locustarum coopertum esse; in Gallico agro, qua induceretur aratrum, sub exsistentibus glebis pisces emersisse. Ob hæc prodigia libri fatales inspecti, editumque ab decemviris est, et quibus Diis, quibusque hostiis sacrificaretur, et ut supplicatio prodigiis expiandis fieret: altera, quæ priore anno valetudinis populi caussa vota esset, ea uti feriæque essent. itaque sacrificatum est, ut decemviri scriptum ediderunt.

Legati ex Macedonia et Ætolia reduces.

Prodigia expiata.

III. Eodem anno ædis[c] Junonis Laciniæ detecta. Q. Fulvius Flaccus censor ædem Fortunæ Equestris, quam in Hispania prætor bello Celtiberico voverat, faciebat eniso studio, ne ullum Romæ amplius aut magnificentius templum esset. Magnum ornamentum se templo ratus adjecturum, si tegulæ marmoreæ essent, profectus in Bruttios, ædem Junonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit. id satis fore ratus ad tegendum, quod ædificaretur. Naves paratæ fuerunt, quæ tollerent atque asportarent, auctoritate censoria sociis deterritis id sacrilegium prohibere. Postquam censor rediit, tegulæ, expositæ de navibus, ad templum portabantur. quamquam, unde essent, silebatur, non tamen celari potuit. Fremitus igitur in curia ortus est: ex omnibus partibus postulabatur, ut consules eam rem ad senatum referrent. Ut vero arcessitus in curiam censor venit, multo infestius singuli universique præsentem lacerare: *Templum augustissimum regionis ejus, quod non Pyrrhus, non Hannibal violassent, violare parum habuisse, nisi detexisset fœde, ac*

Ædes Fortunæ Equestris.

Tegulæ marmoreæ ex æde Junonis Laciniæ detractæ.

[c] *ædes* Gron. Crev.

2 *Paecemque deûm peti precationibus, quæ editæ*] Hæc lectio sana est, nec debuit sollicitari a Gronovio. Non modo enim edebant ex libris decemviri, quibus diis supplicandum esset, sed et quo ritu, qua forma precationum utendum. *Ita sacrificatum est*, inquit Livius infra, *ut decemviri scriptum ediderunt.*

3 *Apud Rementem*] Nomen loci incognitum: pro quo suspicatur Cluverius legi posse *Cremeram.*

. 579. . 173. *prope diruisset. Detractum culmen templo, nudatum tectum patere imbribus putrefaciendum. censorem, moribus regendis creatum, cui* [4] *sarta tecta exigere sacris publicis, et loca tuenda, more majorum traditum esset; eum per sociorum urbes diruentem templa, nudantemque tecta ædium sacrarum, vagari: et, quod, si in privatis sociorum ædificiis faceret, indignum videri posset,* [5] *id Deûm inmortalium templa demolientem facere: et* [6] *obstringere religione populum Romanum, ruinis templorum templa ædificantem: tamquam non iidem ubique Dii inmortales sint, sed spoliis aliorum alii colendi exornandique.* Quum, priusquam referretur, adpareret, quid sentirent Patres, relatione facta, in unam omnes sententiam ierunt, ut hæ tegulæ reportandæ in templum locarentur, piaculariaque Junoni fierent. Quæ ad religionem pertinent, cum cura facta: tegulas relictas in area templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, [7] redemtores nunciarunt.

ita jussatus.

IV. Ex prætoribus, qui in provincias ierant, N. Fabius Massiliæ moritur, quum in citeriorem Hispaniam iret. Itaque, quum id nunciatum a Massiliensibus legatis esset, senatus decrevit, ut P. Furius et Cn. Servilius, quibus succedebatur, inter se sortirentur, uter citeriorem Hispaniam prorogato imperio obtineret. [8] Sors opportuna fuit; P. Furius idem, cujus ea provincia fuerat, remaneret. Eodem anno, quum agri Ligustini et Gallici, quod bello captum erat, aliquantum vacaret, senatusconsultum factum, ut is ager viritim divideretur. Decemviros in eam rem ex senatusconsulto creavit A. Atilius prætor urbanus, M. Æmilium Lepidum, C. Cassium, T. Æbutium Carum, C. Tremellium, P. Cornelium Cethegum, Q. et L. Appuleios, M. Cæcilium, C. Salenium, C. Munatium. [9] Diviserunt dena jugera in singulos, seciis nominis Latini terna. Per idem tempus, quæ hinc agebantur, legati ex Ætolia Romam venerunt de [illegible] seditionibusque suis, et Thessali legati, nunciantes, quæ in Macedonia gererentur.

V. Perseus, jam bellum vivo patre cogitatum in animo

4 *Sarta tecta*] Vid. not. ad XXIX. [illegible]

5 *Id Deûm inmortalium templa demolientem facere*] Vox *demolientem* [illegible] in prima editione, teste [illegible] *magis* placeret: *id in [illegible] templis facere.*

6 *Obstringere religione populum* [illegible] *populum* Romanum [illegible] *religionum.*

7 *Redemtores*] Ii qui tegulas reportarent [illegible]

8 *Sors opportuna fuit. P. Furius*] Videtur legendum . . *fuit, ut P. Furius:* quod Pithœus apud Hearnium monet. *Sors opportuna fuit,* dum ita rem transegit, *ut P. Furius idem, cujus ea provincia fuerat, remaneret.*

9 *Diviserunt dena jugera in singulos*] Qui cives Romani essent. Ceterum vix est, ut non hic exciderit aliquid. Debuit enim profecto Livius docere, quantus numerus civium Latinorumque in eorum agrorum possessionem missus sit. Nec facile nobis persuademus id ab eo prætermissum.

volvens, omnes, non gentes modo Græciæ, sed civitates et- U.C. 579.
iam, legationibus mittendis, pollicendo plura, quam præ- A.C. 173.
stando, sibi conciliabat. Erant tamen magna ex parte hominum ad favorem ejus inclinati animi, et aliquanto quam in Eumenem propensiores: quum Eumenis beneficiis muneribusque omnes Græciæ civitates et plerique principum obligati essent: et ita se in regno suo gereret, ut, quæ sub ditione ejus, urbes[c] nullius liberæ civitatis fortunam secum mutatam vellent. contra Persea fama erat post patris mortem uxorem manu sua occidisse: Apellem, ministrum quondam fraudis in fratre tollendo, atque ob id requisitum a Philippo ad supplicium, exsulantem, arcessitum post patris mortem ingentibus promissis ad præmia tantæ perpetratæ rei clam interfecisse. intestinis [10] externisque præterea multis cædibus infamem, nec ullo commendabilem merito, præferebant vulgo civitates tam pio erga propinquos, tam justo in cives, tam munifico erga omnes homines regi, seu fama et majestate Macedonum regum præoccupati ad spernendam originem novi regni; seu mutationis rerum cupidi; seu quia eum objectum esse Romanis volebant. Erant autem non Ætoli modo in seditionibus, propter ingentem vim æris alieni, sed Thessali etiam: [11] ea contagione, velut tabes, in Perrhæbiam quoque id pervaserat malum. [12] Quum Thessalos in armis esse nunciatum est, Ap. Claudium legatum ad eas res adspiciendas componendasque senatus misit. Qui, utriusque partis principibus castigatis, quum injusto fœnore gravatum æs alienum, ipsis magna ex parte concedentibus, qui onerarant, levasset, justi crediti solutionem [13] in *[d] annorum pensiones distribuit. Per eumdem Appium eodemque modo compositæ in Perrhæbia res. Ætolorum caussas Marcellus Delphis per idem tempus hostilibus actas animis, [14] quas intestino gesserant bello, cognovit. Quum certatum utrimque temeritate atque audacia cerneret, decreto quidem suo neutram partem aut levare, aut

[c] add. *essent* Gron. Crev. [d] asteriscus abest a Gron. et Crev.

10 * *Externisque præterea*] Harum externarum cædium enumerationem habes infra in oratione Eumenis, n. 13.

11 *Ea contagione*] Lege cum Gronovio: *et contagione.*

12 *Quum Thessalos in armis esse nunciatum est*] Idem recte monet reponi debere: *Quum . . . nunciatum esset.*

13 *In annorum pensiones*] Videtur intercidisse numerus annorum.

14 *Quas intestino gesserant bello*] Suspicari licet τὰ *gesserant* addidisse aliquem supplendæ sententiæ, quum jam corrupte legeretur *quas:* scripsisse autem Livium *quasi intestino bello.* Non enim bellum fuit, sed factionum rabies. GRONOVIUS. * Inelegans et obscurum additamentum, quod suspicamur assutum ab imperito librario, ad interpretandum membrum præcedens *hostilibus actas animis.* Sensus est: causas eo ardore odiorum actas, quo si non cives, sed hostes inter se decertarent. Nihil ultra adjici opus est: et sublato illo quod nobis parum placet additamento, integra et clara est oratio.

U.C. 579. A.C. 173.

onerare voluit: communiter ab utrisque petiit, abstinerent bello, et oblivione præteritorum discordias finirent. Hujus reconciliationis inter ipsos fides obsidibus ultro citroque datis firmata est. Corinthum, ut ibi deponerentur obsides, convenitur.

VI. A Delphis et Ætolico concilio [15]Marcellus in Peloponnesum trajecit, quo Achæis edixerat conventum. Ubi, conlaudata gente, quod constanter vetus decretum de arcendis aditu finium regibus Macedonum tenuissent, insigne adversus Persea odium Romanorum fecit: quod ut maturius erumperet, Eumenes rex, commentarium ferens secum, quod de adparatibus belli omnia inquirens fecerat, Romam venit. Per idem tempus quinque legati ad regem missi, qui res in Macedonia adspicerent. Alexandriam iidem ad Ptolemæum renovandæ amicitiæ caussa proficisci jussi. Legati erant hi, C. Valerius, Cn. Lutatius Cereo, Q. Bæbius Sulca, M. Cornelius Mammula, M. Cæcilius Denter. Et ab Antiocho rege sub idem tempus legati venerunt: quorum princeps Apollonius, in senatum introductus, multis justisque caussis regem excusavit, *Quod stipendium serius quoad diem præstaret. id se omne advexisse, ne cujus, nisi temporis, gratia regi fieret. Donum præterea adferre,* [16]*vasa aurea quingentûm pondo. Petere regem, ut, quæ cum patre suo societas atque amicitia fuisset, ea secum renovaretur; imperaretque sibi populus Romanus, quæ bono fidelique socio regi essent imperanda. se nullo usquam cessaturum officio. Ea merita in se senatus fuisse, quum Romæ esset, eam comitatem juventutis, ut pro rege, non pro obside, omnibus ordinibus fuerit.* Legatis benigne responsum, et societatem renovare cum Antiocho, quæ cum patre ejus fuerat, A. Atilius prætor urbanus jussus. Quæstores urbani stipendium, vasa aurea censores acceperunt: eisque negotium datum est, ut ponerent ea, in quibus templis videretur: [17]legatoque [18]centum millium æris munus missum, et [19]ædes liberæ hospitio datæ, sumtusque decretus, donec in Italia esset. [20]Legati, qui in Syria fuerant, renunciaverunt, in maximo eum honore apud regem esse, amicissimumque populo Romano.

Legati in Macedoniam et Ægyptum.

Legati ab Antiocho Romam veniunt.

VII. In provinciis eo anno hæc. C. Cicereius prætor in

15 *Marcellus in Peloponnesum trajecit, quo*] Videtur excidisse nomen ejus urbis, ubi illud concilium Achæorum habitum est.

16 *Vasa aurea quingentûm pondo*] Livius procul dubio numerum vasorum apposuerat, quem librariorum incuria perire passa est. Ceterum quingenta pondo auri sunt marcæ auri nostrates 781. unciæ 2.

17 *Legatoque*] Principi legationis Apollonio.

18 *Centum millium æris*] Quæ redeunt ad marcas argenti nostrates 156. uncias 2.

19 *Ædes liberæ*] Vid. not. ad XXX. 17.

20 *Legati qui in Syria fuerant, renunciaverunt*] Magis placeret *renunciaverant*. Hic enim redditur ratio, cur tam honorifice tractatus sit ille Antiochi legatus.

Corsica signis conlatis pugnavit: septem millia Corsorum cæsa; capti amplius mille et septingenti. Voverat in ea pugna prætor sedem [21] Junoni monetæ. Pax deinde data petentibus Corsis, et exacta ceræ [22] ducena millia pondo. Ex Corsica subacta Cicereius in Sardiniam transmisit. Et in Liguribus in agro Statiellati pugnatum ad oppidum Carystum. Eo se magnus exercitus Ligurum contulerat. Primo sub adventum M. Popillii consulis mœnibus sese continebant: deinde, postquam oppidum obpugnaturum Romanum cernebant, progressi ante portas, aciem struxerunt: nec consul (ut qui id ipsum obpugnatione comminanda quæsisset) moram certamini fecit. Pugnatum est amplius tres horas, ita ut neutro inclinaret spes. Quod ubi consul vidit, nulla parte moveri Ligurum signa, imperat equitibus, ut equos conscendant, ac tribus simul partibus in hostes, quanto maximo possent tumultu, incurrant. Pars magna equitum mediam trajecit aciem, et ad terga pugnantium pervasit. Inde terror injectus Liguribus. diversi in omnes partes fugerunt. perpauci retro in oppidum, quia inde se maxime objecerat eques. et pugna tam pervicax multos absumserat Ligurum, et in fuga passim cæsi sunt. Decem millia hominum cæsa traduntur; amplius septingenti passim capti: signa militaria relata octoginta duo. Nec incruenta victoria fuit. amplius tria millia militum amissa; quum, cedentibus neutris, ex parte utraque primores caderent.

U. C. 579. A. C. 172. Corsi victi.

Ligures quoque victi.

VIII. Post hanc pugnam ex diversa fuga in unum conlecti Ligures, quum majorem multo partem civium amissam, quam superesse, cernerent, ([23] nec enim plus decem millia hominum erant) dediderunt sese; nihil quidem illi pacti. speraverant tamen, non atrocius, quam superiores imperatores, consulem in se sæviturum. At ille arma omnibus ademit, oppidum diruit, ipsos bonaque eorum vendidit: literasque senatui de rebus ab se gestis misit. Quas quum A. Atilius prætor in curia recitasset, (nam consul alter Postumius, agris recognoscendis in Campania occupatus, aberat) atrox res visa senatui: *Statiellates, qui uni ex Ligurum gente non tulissent arma adversus Romanos, tum quoque obpugnatos, non ultro inferentes bellum; deditos in fidem populi Romani omni ultimæ crudelitatis exemplo laceratos ac deletos esse: tot millia capitum innoxiorum, fidem inplo-*

Dedunt se.

Venduntur.

21 *Junoni*] Sic legi jussit Sigonius pro *Junonis*.

22 *Ducena millia pondo*] Mallemus *ducenta*. Libræ Romanæ 200000. æquiparantur libris Parisiensibus 156250.

23 *Nec enim plus decem millia hominum erant*] Vel hic numerus justo major est, vel numerus cæsorum in pugna de qua modo mentio facta est, justo minor. Dicuntur enim Statiellates in iis quæ proxime præcedunt majorem multo civium partem amisisse, quam quæ superesset.

U. C. 579. A. C. 173. *rantia populi Romani, ne quis umquam se postea dedere auderet, pessimo exemplo venisse: et distractos passim* [24] *justis quondam hostibus populi Romani pacatis servire. Quas ob res placere senatui, M. Popillium consulem Ligures, pretio emtoribus reddito, ipsis restituere in libertatem; bonaque ut iis, quidquid ejus recuperari possit, reddantur curare.* [25] *Arma primo quoque tempore fieri in ea gente. consulem de provincia decedere, quum deditos in sedem suam Ligures restituisset. Claram victoriam* [26] *vincendo obpugnantes, non sæviendo in adflictos, fieri.*

Redimi jubentur.

Consulis contumacia.

IX. Consul, qua ferocia animi usus erat in Liguribus, eamdem ad non parendum senatui habuit. Legionibus extemplo Pisas in hibernacula missis, iratus Patribus, infestus [27] prætori, Romam rediit: senatuque extemplo ad ædem Bellonæ vocato, multis verbis invectus est in prætorem: *qui, quum ob rem bello*[e] *bene gestam, uti Diis inmortalibus honos haberetur, referre ad senatum debuisset, adversus se pro hostibus senatusconsultum fecisset, quo victoriam suam ad Ligures transferret, dedique iis prope consulem prætor juberet. Itaque multam ei se dicere: a Patribus postulare, ut senatusconsultum in se factum tolli juberent: supplicationemque,* [28] *quam absentes ex literis, de bene gesta republica missis, decernere debuerint, præsentes honoris Deorum primum caussa, deinde et sui aliquo tandem respectu, decernerent.* Nihilo lenioribus, quam absens, senatorum aliquot orationibus increpitus, neutra impetrata re, in provinciam redit[f]. Alter consul Postumius, consumta æstate in recognoscendis agris, ne visa quidem provincia sua, comitiorum caussa Romam rediit. [29] consules C. Popillium Lænatem, P. Ælium Ligurem creavit. Prætores exinde[g] facti C. Licinius Crassus, M.

Comitia.

[e] *bello rem bene* Gron. Crev. [f] *rediit* Eæd. [g] *deinde* Eæd.

24 *Justis . . . hostibus*] Qui vere et plane hostes fuerant: vel, quibuscum justum piumque bellum gestum esset.

25 *Arma primo quoque tempore fieri*] Addidit Sigonius vocem *primo*. Ceterum ideo jubet senatus arma fieri in ea gente, ut rescindat id quod fecerat consul, qui arma Statiellatibus ademerat, ac nova fabricari procul dubio vetuerat.

26 *Vincendo oppugnantes*] Recte Clericus: *vincendo pugnantes*.

27 *Prætori*] Legebatur *prætoribus*. Emendavit Sigonius.

28 *Quam absentes*] Gronovius mutat: *quam absenti sibi*. Sed debuerat ergo corrigere et τὰ *præsentes*, quod sequitur. Sane tam aberat senatus a Popillio, quam Popillius ab senatu. Et sic loquuntur Latini. Cic. in Bruto, n. 11. *Vos vero et præsentem me eum levatis, et absenti magna solatia dedistis.*

29 *Consules C. Popillium Lænatem, P. Ælium Ligurem creavit*] Hi ambo primi de plebe consules fuisse in Fastis Capitolinis notantur: atque id miratur a Livio prætermissum esse Pighius. Sed hi quidem ambo primi de plebe consules magistratum gesserunt, at non primi creati sunt. Anno enim quarto secundi Punici belli Marcellus Sempronio Graccho collega datus fuerat: sed vitio creatus magistratum abdicavit. Atque illo loco diligenter annotatum a Livio est, tum primum duos consules plebeios factos esse. Vid. supra l. XXIII. c. 31.

Junius Pennus, Sp. Lucretius, Sp. Cluvius, Cn. Sicinius, C. Memmius iterum. U. C. 579. A. C. 173.

X. Eo anno lustrum conditum est. Censores erant Q. Fulvius Flaccus, [30] A.[h] Postumius Albinus. Postumius condidit. Censa sunt civium Romanorum capita ducenta sexaginta novem millia et quindecim. Minor aliquanto numerus, quia L. Postumius consul pro concione edixerat, qui sociûm Latini nominis ex edicto C. Claudii consulis redire in civitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis civitatibus censerentur. Concors et e republica censura fuit. omnes, quos senatu moverunt, quibusque equos ademerunt, ærarios fecerunt, et tribu moverunt: [31] neque ab altero notatum alter probavit. Fulvius ædem Fortunæ Equestris, quam proconsul in Hispania, dimicans cum Celtiberorum legionibus, voverat, annos sex post, quam voverat, dedicavit: et scenicos ludos per quatriduum, unum diem in circo fecit. L. Cornelius Lentulus, decemvir sacrorum, eo anno mortuus est. in locum ejus subfectus A. Postumius Albinus. Locustarum tantæ nubes a mari vento repente in Apuliam inlatæ sunt, ut examinibus suis agros late operirent. ad quam pestem frugum tollendam [32] Cn. Sicinius prætor designatus, cum imperio in Apuliam missus, ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis absumsit. Principium insequentis anni, quo C. Popillius et P. Ælius fuerunt consules, residuas contentiones ex priore anno habuit. Patres referri de Liguribus, renovarique senatusconsultum volebant, et consul Ælius referebat. Popillius et collegam et senatum pro fratre deprecabatur; præ se ferens, si qui[i] decernerent, intercessurum, collegam deterruit. Patres, eo magis utrique pariter consulum infensi, in cœpto perstabant. Itaque, quum de provinciis ageretur, et Macedonia, jam inminente Persei bello, peteretur, Ligures ambobus consulibus decernuntur. Macedoniam decreturos negant, ni de M. Popillio referretur. Postulantibus deinde, ut novos exercitus scribere, aut supplementum veteribus liceret, utrumque negatum est. Prætoribus quoque in Hispaniam supplementum petentibus negatum: M. Junio in citeriorem, Sp. Lucretio in ulteriorem. C. Licinius Crassus urbanam jurisdictionem,

Locustæ in Apulia.

U. C. 580. A. C. 172. C. Popillio, P. Ælio Coss. Contentiones de Liguribus.

[h] *A.* l. *L.* Gron. [i] *quid* Gron. Crev.

30 *A. Postumius*] Hactenus *L. Postumius.* Debuerant editores parere Sigonio prænomen hujus censoris corrigenti ex Livio, l. XLI. c. 27. et Fastis Capitolinis.

31 *Neque ab altero notatum alter probavit*] Sigonius inseruit vocem *alter*, quæ necessaria erat.

32 *Cn. Sicinius*] Editi habent *C. Sicinius.* Sed quum et supra et infra vocetur *Cn.* prænomen ei suum hoc quoque loco restituimus.

U. C. 580. A. C. 172. Cn. Sicinius inter peregrinos erat sortitus, C. Memmius Siciliam, Sp. Cluvius Sardiniam. Consules, ob ea irati senatui, Latinis feriis in primam quamque diem indictis, in provinciam abituros esse[k] denunciarunt; nec quidquam reipublicæ acturos, præterquam quod ad provinciarum administrationem adtineret.

XI. Attalum, regis Eumenis fratrem, legatum venisse Romam, Valerius Antias his consulibus scribit, ad deferenda de Perseo crimina, indicandosque adparatus belli. Plurium annales, et quibus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt. Eumenes igitur, ut Romam venit, exceptus cum tanto honore, quantum non meritis tantum ejus, sed beneficiis etiam suis, ingentia quæ in eum congesta erant, existimaret deberi populus Romanus, in senatum est introductus. *Caussam veniendi sibi Romam fuisse*, dixit, *præter cupiditatem visendi Deos hominesque, quorum beneficio in ea fortuna esset, supra quam* [33] *ne optare quidem auderet, etiam ut coram moneret senatum, ut Persei conatis obviam iret.* Orsus inde a Philippi consiliis, *necem Demetrii filii* retulit, *adversantis Romano bello; Bastarnarum gentem excitam sedibus suis, quorum auxiliis fretus in Italiam transiret. Hæc eum volutantem in animo, obpressum fato, regnum ei reliquisse, quem infestissimum esse sensisset Romanis. itaque Persea, hæreditarium a patre relictum bellum, et simul cum imperio traditum,* [34] *jamjam primum alere ac fovere omnibus consiliis. Florere præterea juventute, quam stirpem longa pax ediderit, florere opibus regni, florere etiam ætate. Quæ quum corporis robore ac viribus vigeat, animum esse inveteratum diutina arte atque usu belli. Jam inde a puero, patris contubernio, Romanis quoque bellis, non finitimis tantum, adsuetum, missum a patre in expeditiones multas variasque. Jam ex quo ipse accepisset regnum, multa, quæ non vi, non dolo, Philippus, omnia expertus, potuisset moliri, admirando rerum successu tenuisse. Accessisse ad vires eam, quæ longo tempore, multis magnisque meritis pareretur*[l], *auctoritatem.*

Eumenes Romam venit.

Perseum suspectum facit Romanis.

XII. *Nam apud Græciæ atque Asiæ civitates vereri majestatem ejus omnes. nec, pro quibus meritis, pro qua munificentia tantum ei tribuatur, cernere: nec dicere pro certo posse, utrum felicitate id quadam ejus accidat, an, quod ipse vereatur dicere, invidia adversus Romanos favorem illi conciliet. Inter*

[k] *esse* l. *se* Gron. Crev. [l] *pararetur* Eæd.

33 *Ne optare quidem*] Adde *quicquam.*

34 *Jamjam primum*] Hoc corruptum est. Corrigit Gronovius *tanquam primum:* id est, tanquam aliquid primum ac præcipuum, quod potissimum spectaret. Sed durius videtur hoc loquendi genus, quam pro Liviana elegantia.

ipsos quoque reges ingentem auctoritate; [35] *Seleuci filiam duxisse eum, non petentem, sed petitum ultro; sororem dedisse Prusiæ* [36] *precanti ac oranti: celebratas esse utrasque nuptias gratulatione donisque innumerabilium legationum, et* [37] *velut auspicibus nobilissimis populis deductas esse. Bœotorum gentem, captatam Philippo, numquam ad scribendum amicitiæ fœdus adduci potuisse: tribus nunc locis cum Perseo fœdus incisum literis esse: uno Thebis, altero* [38] *ad Delum, augustissimo et celeberrimo in templo, tertio Delphis. in Achaico concilio vero, nisi discussa res per paucos Romanum imperium intentantes esset, eo rem prope adductam, ut aditus et in Achaiam daretur.* [39] *At, Hercule, suos honores, cujus merita in eam gentem privatim, an publice, sint majora, vix dici posset, partim desertos per incultum ac neglegentiam, partim hostiliter ablatos esse. Jam, Ætolos, quem ignorare, in seditionibus suis non ab Romanis, sed a Perseo præsidium petiisse? His eum fultum societatibus atque amicitiis eos domesticos adparatus belli habere, ut externis non egeat; triginta millia peditum, quinque millia equitum: in decem annos* [40] *frumentum præparare, ut abstinere et suo et hostium agro frumentandi caussa possit. Jam pecuniam tantam habere, ut* [41] *decem millibus mercenariorum militum, præter Macedonum copias, stipendium in totidem annos præparatum habeat: præter annuum, quod ex metallis regiis capiat, vectigal. Arma* [42] *vel tribus tantis exercitibus in armamentaria congessisse.* [43] *Juventutem, ut jam Macedonia deficiat, velut ex perenni fonte unde hauriat, Thraciam subjectam esse.*

U. C. 580. A. C. 172.

XIII. Reliquum orationis adhortatio fuit. *Non ego hæc;*

Hortatur ad bellum contra Persea.

35 *Seleuci filiam*] Laodicen, quæ deducta ad eum fuerat a Rhodiis, ut testatur Polyb. Legat. 60. Unde infra dicit Eumenes nuptias illas auspicibus nobilissimis populis celebratas et deductas esse.

36 *Precanti ac oranti*] Lege *et oranti*. Neque enim apud optimos illos Latinitatis auctores vocula *ac* ponitur ante vocalem.

37 * *Velut auspicibus*] Vox propria in negotio nuptiali. Etenim auspices nuptiis apud Romanos interponebantur, qui auguriis exquirerent utrum volentibus propitiisque diis nuptiæ fierent. † Vid. Valer. Max. l. II. c. 1.

38 *Ad Delum*] Olim *ad Sidenium*. Correxit Sigonius.

39 *At Hercule suos honores . . . partim desertos . . . partim . . . ablatos esse*] Sed id haud ita multo post restituti sunt, nisi qui aliquid habebant, quod tut parum decorum esset Achæorum communi, aut legibus repugnaret. Rem narrat Polybius, qui etiam, ut id fieret, multum adjuvit. Eum vide Legat. 74.

40 *Frumentum præparare*] An non potius, *præparatum*? Supple ex præcedentibus: *habere*: quemadmodum paulo infra, *stipendium præparatum habeat*: et c. 52. Perseus ipse dicit *se et pecuniam, et frumentum . . in decem annos seposuisse.*

41 *Decem millibus*] Sic dedimus, auctore Gronovio. Prius *decem millia*.

42 *Vel tribus tantis*] Tribus etiam exercitibus tam numerosis, quam ille est, quem jam collectum habet Perseus. Ceterum *vel tantis* debetur Sigonio, quum prius legeretur *tantum*.

43 * *Juventutem, ut jam Macedonia*] Etiamsi Macedonia milites jam suppeditare non posset, Thraciam vicinam ei et ad manum esse, unde, tanquam ex perenni fonte, hauriat militarem juventutem.

U. C. 580. A. C. 172. inquit, *incertis jactata rumoribus, et cupidius credita, quia vera esse de inimico crimina volebam, adfero ad vos, Patres conscripti; sed comperta et explorata, haud secus quam si speculator missus a vobis subjecta oculis referrem. Neque, relicto regno meo, quod amplum et egregium vos fecistis, mare tantum trajecissem, ut vana ad vos adferendo fidem abrogarem mihi. Cernebam nobilissimas Asiæ et Græciæ civitates, in dies magis denudantes judicia sua, mox, si permitteretur, eo processuras, unde receptum ad pœnitendum non haberent. Cernebam Persea, non continentem se Macedoniæ regno, alia armis occupantem, alia, quæ vi subigi non possunt, favore ac benevolentia complectentem. Videbam, quam inpar esset sors,* [44] *quum ille vobis bellum*[m], *vos ei securam pacem præstaretis; quamquam mihi quidem non parare, sed gerere pene bellum videbatur.* [45] *Abrupolim, socium atque amicum vestrum, regno expulit. Artetarum Illyrium, quia scripta ab eo quædam vobis comperit, socium item atque amicum vestrum, interfecit.* [46] *Eversam*[n] *et Callicritum Thebanos, principes civitatis, quia liberius adversus eum in concilio Bœotorum locuti fuerant, delaturosque ad vos, quæ agerentur, professi erant, tollendos curavit. Auxilium Byzantiis adversus fœdus tulit,* [47] *Dolopiæ bella intulit, Thessaliam et Doridem cum exercitu pervasit, ut in bello intestino deterioris partis auxilio meliorem adfligeret. Confudit et miscuit omnia in Thessalia Perrhæbiaque spe novarum tabularum, ut manu debitorum obnoxia sibi optimates obprimeret. Hæc quum vobis quiescentibus et patientibus fecerit, et concessam sibi Græciam esse a vobis videat; pro certo habet, neminem sibi, antequam in Italiam trajecerit, armatum obcursurum. Hoc quam vobis tutum aut honestum sit, vos videritis: ego certe mihi turpe esse duxi, prius Persea ad bellum inferendum, quam me socium ad prædicendum, ut caveretis, venire in Italiam. Functus necessario mihi officio, et quodam modo liberata atque exonerata fide mea, quid ultra facere possum, quam uti Deos Deasque precer, ut vos et vestræ reipublicæ, et nobis sociis atque amicis, qui ex vobis pendemus, consulatis?*

[m] add. [*pararet*] Crev.

[n] *Evercam* Ead.

44 *Quum ille vobis bellum pararet*] Verbum *pararet* adjecit Gronovio auctore Clericus. Nec dubitabit, quin Livius ita scripserit, qui ea legerit quæ sequuntur: *quanquam mihi quidem non parare, sed gerere pene bellum videbatur.* Est enim correctio, tanquam minus quam res est dixisset. Oportuit igitur etiam eum dixisse quod corrigit.

45 *Abrupolim socium*] Quæ hic et infra c. 40. indicantur de Abrupoli, de Artetaro, de Everca, et Callicrito, fusius memoraverat procul dubio Livius in iis quæ exciderunt de libro XLI. Illo enim libro initia continebantur belli Macedonici, ut constat ex epitome. Abrupolim Sapensium regem (Sapaica Thraciæ regio est) fuisse, e Pausaniæ corrupto licet textu eruitur, in Achaicis, sive libro VII.

46 *Eversam*] Ita legendum censet Henr. Valesius, non *Eversam*: quia illud Græcum nomen est, hoc non item.

47 *Dolopiæ bella intulit*] Lege cum Gronovio *bellum*.

XIV. Hæc oratio movit Patres conscriptos. ceterum in præsentia nihil, præterquam fuisse in curia regem, scire quisquam potuit: eo silentio clausa curia erat. bello denique perfecto, quæque dicta ab rege, quæque responsa essent, emanavere. Persei deinde regis legatis post paucos dies senatus datus est. Ceterum, præoccupatis non auribus magis, quam animis, ab Eumene rege, omnis et defensio et deprecatio legatorum respuebatur: et exasperavit animos [48] ferocia animi Harpali, qui princeps legationis erat. Is, *velle quidem et laborare*, dixit, *regem, ut purganti, se nihil hostile dixisse aut fecisse, fides habeatur: ceterum, si pervicacius caussam belli quæri videat, forti animo defensurum se. Martem communem esse, et eventum incertum belli.* Omnibus civitatibus Græciæ atque Asiæ curæ erat, quid Persei legati, quid Eumenes in senatu egisset: et propter adventum ejus, quem moturum aliquid rebantur, miserant pleræque civitates, alia in speciem præferentes, legatos. [49] et legatio Rhodiorum erat, ac Satyrus princeps, haud dubius, quin Eumenes civitatem quoque suam Persei criminibus junxisset. Itaque omni modo per patronos hospitesque disceptandi cum rege locum in senatu quærebat. Quod quum contigisset, libertate intemperantius invectus in regem, quod Lyciorum gentem adversus Rhodios concitasset, graviorque Asiæ esset, quam Antiochus fuisset; popularem quidem ac gratam populis Asiæ (nam eo quoque jam favor Persei venerat) orationem habuit: ceterum invisam senatui, inutilemque sibi et civitati suæ. Eumeni vero conspiratio adversus eum, favorem apud Romanos fecit. ita omnes ei honores habiti, donaque quam amplissima data, cum sella curuli atque eburneo scipione.

U. C. 580. A. C. 172. Miro silentio clausa curia. Legati Persei. Rhodii frustra Eumenem adcusant.

XV. Legationibus dimissis, quum Harpalus, [50] quanta eximia celeritate poterat, regressus in Macedoniam, nunciasset regi, nondum quidem parantes bellum reliquisse se Romanos, sed ita infestos, ut facile adpareret, non dilaturos; et ipse, præterquam quod et ita credebat futurum, jam etiam volebat, [51] in flore virium se credens esse. Eumeni ante omnes infestus erat: a cujus sanguine ordiens bellum, Evandrum Cretensem, ducem auxiliorum, et Macedonas tres, adsuetos ministeriis talium facinorum, ad cædem regis subornat: literasque eis dat ad Praxo hospitam, principem auc-

In Eumenem percussores mittit Perseus.

48 *Ferocia animi Harpali*] Bene videtur inversis litteris emendare Gronovius: *ferocia nimia Harpali.*

49 *Et legatio Rhodiorum erat*] Gronovius putat excidisse aliquid, quale foret: *Inter ceteras et legatio.*

50 *Quanta eximia*] Legit idem Gronovius, *quanta maxima.*

51 *In flore virium se credens esse*] Credens sibi vires, id est, copias, apparatus, opes, omnia denique ad bellum fortiter feliciterque gerendum adjumenta, esse in ipso flore, in ipso integri roboris vigore: ac proinde iis jam uti tempus esse.

U. C. 580. A. C. 172. toritate et opibus Delphorum. Satis constabat, Eumenem, ut sacrificaret Apollini, Delphos adscensurum. [52] Progressi [o] cum Evandro insidiatores, nihil aliud ad peragendum inceptum, quam loci opportunitatem, omnia circumeuntes, quærebant. Adscendentibus ad templum a Cirrha, priusquam perveniretur ad frequentia ædificiis loca, maceria erat ab læva semitæ paullum exstans a fundamento, qua singuli transirent; dextra pars labe terræ in aliquantum altitudinis diruta erat. post maceriam se abdiderunt, gradibus adstructis, ut ex ea, velut e muro, tela in prætereuntem conjicerent. [53] Primo a mari circumfusa turba amicorum ac satellitum procedebat: deinde extenuabant paullatim angustiæ agmen. Ubi ad eum locum ventum est, qua singulis eundum erat, primus semitam ingressus Pantaleon Ætoliæ princeps, cum quo institutus regi sermo erat. Tum insidiatores exorti saxa duo ingentia devolvunt: quorum altero caput ictum est regi, altero [54] humerus sopitus. [55] ex semita proclivi in declive multis super prolapsum jam saxis congestis, et ceteri quidem etiam amicorum et satellitum, postquam cadentem videre, diffugiunt; Pantaleon constanter inpavidus mansit ad protegendum regem.

Adscendentem Delphos lapidibus obruunt.

XVI. Latrones, quum brevi circumitu maceriæ decurrere ad conficiendum saucium possent, velut perfecta re, in jugum Parnasi [p] refugerunt eo cursu, ut, quum unus non facile sequendo per invia atque ardua moraretur fugam eorum, ne comprensio indicium emanaret, occiderint comitem. At corpus regis primo amici, deinde satellites ac servi concurrerunt, tollentes sopitum vulnere ac nihil sentientem. Vivere tamen ex calore et spiritu remanente in præcordiis senserunt; victurum exigua ac prope nulla spes erat. Quidam ex satellitibus, secuti latronum vestigia, quum usque ad jugum Parnasi, nequidquam fatigati, pervenissent, re infecta redierunt. Adgressi facinus Macedones, ut inconsulte, ita audacter cœptum, nec consulte et timide reliquerunt. Compotem jam sui regem amici postero die deferunt ad navem: inde Corinthum: a Corintho, per Isthmi jugum navibus traductis, Æginam trajicirunt. Ibi adeo secreta ejus cu-

Sopitus vulnere tollitur.

[o] *Prægressi* Crev. [p] *Parnassi* Gron. Crev.

52 *Prægressi*] Sequimur emendationem Gronovii. Vulgo *progressi*.

53 *Primo a mari*] Primo dum procedebant a mari, quod Cirrham alluit, ascensuri Delphos. Cirrha portus Delphorum est. Itidem Plutarchus hanc ipsam rem narrans in libro de Fraterno Amore, scribit insidias Eumeni positas quum iret πρὸς τὸν θεὸν διὰ θαλάσσης. Frustra ergo Grotiovius hunc Livii locum suspectum habet, censetque legendum *primo agmine*. Nihil mutandum.

54 *Humerus sopitus*] Humerus ita elisus, ut motum sensumque amitteret.

55 *Ex semita proclivi in declive*] Possumus quidem explicare: multis super Eumenem prolapsum jam congestis in declive saxis ex semita proclivi. Tamen hic redundare crediderimus vel *proclivi*, vel *in declive*.

ratio fuit, admittentibus neminem, ut fama mortuum in Asiam perferret. Attalus quoque celerius, quam dignum concordia fraterna erat, credidit. nam et cum uxore fratris, et præfecto arci, tamquam jam haud dubius regni hæres, est locutus. Quæ postea non fefellere Eumenem: et, quamquam dissimulare et tacite habere id patique statuerat, tamen in primo congressu non temperavit, quin uxoris petendæ præmaturam festinationem fratri objiceret. Romam quoque fama de morte Eumenis perlata est.

U. C. 580. A. C. 172. Convalescit.

XVII. Sub idem tempus C. Valerius ex Græcia, qui legatus ad visendum statum regionis ejus speculandaque consilia Persei regis missus erat, rediit; congruentiaque omnia criminibus ab Eumene adlatis referebat. simul et adduxerat secum Praxo a Delphis, cujus domus receptaculum latronum fuerat, et L. Rammium Brundisinum, qui talis indicii delator erat. Princeps Brundisii Rammius fuit; hospitio quoque et duces Romanos omnes, et legatos exterarum quoque gentium insignes, præcipue regios, accipiebat. ex eo notitia ei cum absente Perseo fuerat: literisque spem amicitiæ interioris magnæque inde fortunæ facientibus, ad regem profectus, brevi perfamiliaris haberi, trahique, magis quam vellet, in arcanos sermones est cœptus. Promissis enim ingentibus præmiis petere institit ab eo rex, *Quoniam duces omnes legatique Romani hospitio ejus uti adsuessent, quibus eorum ipse scripsisset, ut venenum dandum curaret. cujus scire se comparationem plurimum difficultatis et periculi habere, pluribus consciis comparari. eventu præterea incerto esse,*[56] *ut aut satis efficacia ad rem peragendam, aut tuta ad rem celandam dentur. Se daturum, quod nec in dando, nec datum, ullo signo deprendi posset.* Rammius, veritus ne, si abnuisset, primus ipse veneni experimentum esset, facturum pollicitus proficiscitur. nec Brundisium ante redire, quam convento C. Valerio legato, qui circa Chalcidem esse dicebatur, voluit. Ad eum primum indicio delato, jussu ejus Romam simul venit. Introductus in curiam, quæ acta erant, exposuit.

Index sceleris Romam adducitur.

Perseus per veneficia grassari conatur in Rom.

XVIII. Hæc ad ea, quæ ab Eumene delata erant, accessere, quo maturius hostis Perseus judicaretur: quippe quem non justum modo adparare bellum regio animo, sed per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum ac veneficiorum cernebant. Belli administratio ad novos consules rejecta est: in præsentia tamen Cn. Sicinium prætorem, cujus inter cives et peregrinos jurisdicto erat, scribere milites placuit; qui, Brundisium ducti, primo quoque tem-

Paratur bellum in Persea.

56 *Ut aut satis efficacia ad rem peragendam, aut tuta ad rem celandam dentur*] Ingrata est repetitio vocis *rem*. Eam delet Gronovius in posteriore membro. Idem mallet quoque, nec sine causa, *efficax, tutum, detur*.

U.C. 580. A. C. 172.

pore Apolloniam in Epirum trajicerentur ad occupandas maritimas urbes, ubi consul, cui provincia Macedonia obvenisset, classem adpellere tuto, et copias per commodum exponere posset. Eumenes, aliquamdiu Æginæ retentus periculosa et difficili curatione, quum primum tuto potuit, profectus Pergamum, præter pristinum odium recenti etiam scelere Persei stimulante, summa vi parabat bellum. Legati eo ab Roma, gratulantes quod e tanto periculo evasisset, venerunt. Quum Macedonicum bellum in annum dilatum esset, ceteris prætoribus jam in provincias profectis, M. Junius et Sp. Lucretius, quibus Hispaniæ provinciæ obvenerant, fatigato sæpe idem petendo senatu, tandem pervicerunt, ut supplementum sibi ad exercitum daretur tria millia peditum, [57] centum et quinquaginta equites in Romanas legiones: in socialem exercitum quinque millia peditum, [58] et trecentos equites, imperare sociis jussi. Hoc copiarum in Hispanias cum prætoribus novis portatum est.

Eumenes redit Pergamum.

XIX. Eodem anno, quia per recognitionem Postumii consulis magna pars agri Campani, quem privati sine discrimine passim possederant, recuperata in publicum erat, M. Lucretius tribunus plebis promulgavit, ut agrum Campanum censores fruendum locarent: quod factum tot annis post captam Capuam non fuerat, [59] ut in vacuo vagaretur cupiditas privatorum. Quum in exspectatione senatus esset, bello etsi non indicto, tamen jam decreto, qui regum suam, Persei qui secuturi amicitiam essent, [60] legati Ariarathis, puerum filium regis secum adducentes, Romam venerunt. quorum oratio fuit, *regem educandum filium Romam misisse, ut jam inde a puero adsuesceret moribus Romanis hominibusque. Petere, ut eum non sub hospitum modo privatorum custodia, sed publicæ etiam curæ ac velut tutelæ vellent esse.* Ea regis legatio grata senatui fuit. Decreverunt, ut Cn. Sicinius prætor ædes instructas locaret, [61] ubi filius regis comitesque ejus habitare possent. Et Thracum legatis, apud se disceptantibus, et societatem amicitiamque petentibus, et, quod petebant, datum est, et munera [62] binûm millium æris sum-

Ariarathis filius Romæ.

57 *Centum et quinquaginta equites*] Vel supple, vel adde *scribere.*

58 *Et trecentos equites imperare sociis jussi*] Hinc sustulimus manifestum solœcismum, qui plerasque nuperarum editionum insederat, *trecenti.*

59 * *Ut in vacuo*] Ita ut cupiditas privatorum, nullo retardata freno, invaderet agros vacuos et nulli colono attributos.

60 *Legati Ariarathis, puerum filium regis secum adducentes*] Hic puer non erat genuinus regis filius, sed illi subditus ab Antiochide uxore, diu sterili: quæ postea quum filium peperisset, rem totam viro aperuit: atque ille, ne hic subdititius legitimo hæredi negotium olim facesseret, eum procul ab Cappadocia amandabat. Hæc infra narrata fusius reperientur l. XLVII. c. 14. ex Diodori l. XXXI. deprompta.

61 *Ubi*] Hic quoque peccant recentiores editi, habentque *ut* pro *ubi*, quod exstat in antiquioribus.

62 *Binûm millium æris*] Marcarum argenti Paris. 3. unciæ 1.

mæ in singulos missa. Hos utique populos, quod ab tergo Macedoniæ Thracia esset, adsumtos in societatem gaudebant. Sed ut in Asia quoque et insulis explorata omnia essent, Ti. Claudium Neronem, M. Decimium legatos miserunt. adire eos Cretam et Rhodum jusserunt, simul renovare amicitiam, simul speculari, num sollicitati animi sociorum ab rege Perseo essent. U. C. 580. A. C. 172.

XX. In suspensa civitate ad exspectationem novi belli, nocturna tempestate [63] columna rostrata in Capitolio *[q] bello Punico [r] consulis, cui collega Ser. Fulvius fuit, tota ad imum fulmine discussa est. Ea res, prodigii loco habita, ad senatum relata est. Patres ad aruspices referre, et decemviros adire libros jusserunt. Decemviri, [64] lustrandum oppidum, [65] supplicationem obsecrationemque habendam, victimis majoribus sacrificandum et in Capitolio Romæ, et in Campania ad Minervæ promontorium, renunciarunt: ludos per decem dies Jovi optimo maximo primo quoque die faciendos. Ea omnia cum cura facta. Aruspices, in bonum versurum id prodigium, prolationemque finium et interitum perduellium portendi, responderunt; quod ex hostibus spolia fuissent ea rostra, quæ tempestas disjecisset. Accesserunt, [66] quæ cumularent religiones animis. Saturniæ, nunciatum erat, sanguine per triduum in oppido pluisse; Calatiæ asi- Prodigia.

[q] nota lacunæ abest: Gron. Crev.

[r] —*Punico priore posita a M. Æmilio consule, cui* etc. Gron. Uncinis inclusa *priore*—*Æmilio* refert Crev.

63 *Columna rostrata in Capitolio, bello Punico* [*priore posita a M. Æmilio*] Quinque ultimæ voces adjectæ sunt a Sigonio. Ceterum hujus columnæ rostratæ nulla alia exstat memoria. Triumphasse illos consules de Pœnis et Cossurensibus Fasti Capitolini testes sunt. Vid. supra l. XVIII. c. 41. *Rostrata* est rostris navium exornata.

64 *Lustrandum oppidum*] Sacrificium peragendum esse, in quo oppidum circuiret et ambiret victima. *Lustratio*, vel *lustrum* commune erat nomen omnium sacrificiorum, in quibus hostia circumducebatur. Si circum urbem, dicebatur peculiari nomine *amburbium*; si circum agros, *ambarvalia*; si circum exercitum, *lustri* appellationem retinebat. *Amburbium* describitur a Lucano, l. I. v. 592. et seq. *Ambarvalia* a Virgilio, l. I. Georg. v. 345. et seq. Vid. et Festum in voce *Amburbiales*, et Servium ad Eclog. III. v. 77. Ceterum hic illud notandum occurrit, quod quum sermo de Roma sit, *oppidi* nomen usurpatur. Id mirum primo adspectu videri debet iis qui norunt hanc esse pervulgatam scriptorum Romanorum consuetudinem, ut Romam *urbis* κατ' ἐξοχὴν nomine insigniant, *oppida* soleant dicere minores urbes. Sed nimirum hoc loco et aliis similibus non tota Roma *oppidi* nomine intelligenda est, sed certa quædam ejus regio: ut Parisiis duas urbis partes, alteram nominamus *la Cité*, alteram *la Ville*. Jos. Scaliger in conjectaneis ulterius rem exsequitur, et oppidi nomine designatam esse putat Romam illam quadratam, a Romulo primum conditam.

65 *Supplicationem obsecrationemque*] *Supplicatio* erat, ut facile quivis annotare potuit ex sexcentis Livii locis, quum populus templa circumibat, et, cæsis victimis, vel gratulabatur de prosperis, vel mala deprecabatur. *Obsecratio* fiebat in foro, nec videtur aliud fuisse, nisi precatio quædam, quam e Rostris sacerdos publicus perageret. Vid. supra nostrum, l. IV. c. 21. et Sueton. in Claudio, c. 22.

66 * *Quæ cumularent religiones animis*] Quæ magis ac magis animos implerent religionibus, novisque iræ divinæ timoribus.

U.C. 580. A.C. 172.

num tripedem natum, et taurum cum quinque vaccis uno ictu fulminis exanimatos. Auximi terra pluisse. Horum quoque prodigiorum caussa res divinæ factæ, et supplicatio unum diem feriæque habitæ.

XXI. Consules ad id tempus in provincias non exierant, quia neque, uti de M. Popillio referrent, senatui obsequebantur, et, nihil aliud decernere prius, statutum Patribus erat. Aucta etiam invidia est Popillii literis ejus, quibus iterum cum Statiellatibus Liguribus proconsul [67] pugnasse se scripsit, ac se decem millia eorum occidisse. propter cujus injuriam belli ceteri quoque Ligurum populi ad arma ierunt. Tum vero non absens modo Popillius, qui deditis contra jus ac fas bellum intulisset, et pacatos ad rebellium incitasset, sed consules, quod non exirent in provinciam, in senatu increpiti. hoc consensu Patrum accensi M. Marcius Sermo et Q. Marcius Scylla, tribuni plebis, et consulibus multam se dicturos, nisi in provinciam exirent, denunciarunt; et rogationem, quam de Liguribus deditis promulgare in animo haberent, in senatu recitarunt. Sanciebatur, [68] *ut qui ex Statiellis deditis in libertatem restitutus* [69] *ante Kalendas Sextiles primas non esset, cujus dolo malo is in servitutem venisset, ut juratus senatus decerneret, qui eam rem quæreret animadverteretque.* Ex auctoritate deinde senatus eam rogationem promulgarunt. Priusquam proficiscerentur consules, C. Cicereio prætori prioris anni ad ædem Bellonæ senatus datus est. Is, expositis, quas in Corsica res gessisset, postulatoque frustra triumpho, in monte Albano, quod jam in morem venerat, ut sine publica auctoritate fieret, triumphavit. Rogationem Marciam de Liguribus magno consensu plebes scivit jussitque. ex eo plebiscito C. Licinius prætor consuluit senatum, quem quærere ea[a] rogatione vellet. Patres ipsum eum quærere jusserunt.

Res in Liguria gestæ.

Rogatio de Statiellatibus.

Cicereius de Corsis triumphat in monte Albano.

XXII. Tum demum consules in provinciam profecti sunt, [70] exercitumque a M. Popillio ceperunt. Neque tamen M. Popillius reverti Romam audebat, ne caussam diceret, adverso senatu, infestiore populo, apud prætorem,

[a] *ea* l. *ex* Gron. Crev.

67 *Pugnasse se scripsit, ac se decem millia*] Forte *sedecim millia*. Ingrata enim auribus accidit repetitio voculæ *se* tam propinquis in locis. PERIZONIUS.

68 *Ut qui ex Statiellis . . . ut juratus senatus*] Geminationem particulæ *ut* in ejusmodi formulis jam aliquoties annotavimus, et observabit infra diligens lector, capp. 22. 28. et 30. Sensus hujus rogationis, qui paulo impeditior videri potest, perspicuus fiet revocanti in ordinem, trajecta, ex more his in formulis usitato, orationis membra. Ut juratus senatus decerneret, qui inquireret animadverteretque in eum, cujus dolo malo in servitutem venundatus esset, quicunque ex Statiellis non restitutus foret in libertatem ante Kalendas Sextiles.

69 *Ante Kalendas Sextiles primas*] Ante Kalendas Sextiles proxime secuturas. Vid. not. 59. ad l. XXIII. c. 32.

70 *Exercitumque a M. Popillio ceperunt*] Lege cum Gronovio *accéperunt*. Sic enim solet loqui Livius.

qui de quæstione in se posita senatum consuluisset. Huic detrectationi ejus tribuni plebis, alterius rogationis denunciatione, obcurrerunt: ut, si non ante Idus Novembres in urbem Romam introïsset, de absente eo C. Licinius statueret ac judicaret. Hoc tractus vinculo quum redisset, [71] ingenti cum invidia in senatum venit. Ibi quum laceratus jurgiis multorum esset, senatusconsultum factum est, ut, qui Ligurum post Q. Fulvium, L. Manlium consules hostes non fuissent, ut eos C. Licinius, Cn. Sicinius prætores in libertatem restituendos curarent, agrumque iis trans Padum consul C. Popillius daret. Multa millia hominum hoc senatusconsulto restituta in libertatem, transductisque[t] Padum ager est adsignatus. M. Popillius rogatione Marcia bis apud C. Licinium caussam dixit: tertio prætor, gratia consulis absentis et Popilliæ familiæ precibus victus, Idibus Martiis adesse reum jussit, quo die novi magistratus inituri erant honorem; ne diceret jus, qui privatus futurus esset. Ita rogatio de Liguribus arte fallaci elusa est. U. C. 578. A. C. 172.

XXIII. Legati Karthaginienses eo tempore Romæ erant, et Gulussa filius Masinissæ: inter eos magnæ contentiones in senatu fuere. Karthaginienses querebantur, *præter agrum, de quo ante legati ab Roma,* [72] *qui in re præsenti cognoscerent, missi essent, amplius septuaginta oppida castellaque agri Karthaginiensis biennio proximo Masinissam vi atque armis possedisse. Id illi,* [73] *cui nihil pensi sit, facile esse. Karthaginienses fœdere inligatos silere. Prohiberi enim extra fines efferre arma. Quamquam sciant, in suis finibus, si inde Numidas pellerent, se gesturos bellum; illo haud ambiguo capite fœderis deterreri, quo diserte vetentur cum sociis populi Romani bellum gerere. Sed jam ultra superbiam crudelitatemque et avaritiam ejus non pati posse Karthaginienses. missos esse, qui orarent senatum, ut trium harum rerum unam ab se impetrari sinerent: ut vel ex æquo apud socium populum, quid cujusque esset, disceptarent: vel permitterent Karthaginiensibus, ut adversus injusta arma pio justoque se tutarentur bello: vel ad extremum, si gratia plus, quam veritas, apud eos valeret, semel statuerent, quid donatum ex alieno Masinissæ vellent. Modestius certe daturos eos, et scituros, quid dedissent: ipsum nullum, præterquam suæ libidinis arbitrio, finem facturum. Ho-*

De Masinissa Karthaginiensium querelæ in senatu.

[t] *traductisque* Crev.

71 * *Ingenti cum invidia*] Magna invidia oneratus, mirum in modum omnibus invisus.

72 *Qui in re præsenti*] Adjecit Sigonius articulam *in*, quæ necessaria erat. Hæc est enim quasi solennis quædam loquendi forma, qua usus quoque est Livius bis, de his ipsis inter Masinissam et Carthaginienses controversiis agens, supra l. XL. c. 17. et l. XXXIV. c. 62.

73 * *Cui nihil pensi sit*] Qui pro arbitrio ac libidine omnia agat, nihil expendens, nullius aut legis aut juris rationem habens. Supra XXVI. 15. *Quels neque quid facerent, neque quid dicerent, quidquam unquam pensi fuisset.*

U. C. 600. A. C. 172.

rum si nihil impetrarent, et aliquod suum post datam a P. Scipione pacem delictum esset, ipsi potius animadverterent in se. Vitam servitutem se sub dominis Romanis, quam libertatem expositam ad injurias Masinissæ, malle. Perire namque semel ipsis satius esse, quam sub acerbissimi carnificis arbitrio spiritum ducere. Sub hæc dicta lacrimantes procubuerunt; stratique humi, non sibi magis misericordiam, [74]quam regi [*].

Gulussa de hostili patrum.

XXIV. Interrogari Gulussam placuit, quid ad ea responderet, aut, si prius mallet, expromeret, super qua re Romam venisset. Gulussa, *Neque sibi facile esse,* dixit, *de iis rebus agere, de quibus nihil mandati a patre haberet: neque patri facile fuisse mandare, quam Karthaginienses, nec de qua re acturi essent, nec omnino ituros se Romam, indicaverint. In aede Æsculapii clandestinum eos per aliquot noctes consilium principum habuisse,* [75]*unde præterea legatos occultis cum mandatis Romam mitti. Eam causam fuisse patri mittendi ad Romam,* [76]*qui deprecaretur senatum, ne quid communibus hostibus criminantibus se crederent, quam ob nullam aliam causam, nisi propter consensum eum erga populum Romanum, abiissent.* His utrinque auditis senatus de postulatis Karthaginensium consultus, [77] respondere ita jussit: *Gulussam plurave noverunt in Numidiam profisci, et nunciare patri, ut de iis, de quibus Karthaginienses queruntur, legatos quamprimum ad senatum mittat: denunciatque Karthaginiensibus, ut ad disceptandum veniant. Si aliquid possent Masinissæ hostes vestri, et vobis et patribus esset.* [78]*jus gratiæ non dictum. Quorum, quæ injuriosa sint, postulari nolle: nec novos animos suos, sed veteres observare in animo habere. Karthaginiensibus vestris se et urbes et agros ademisse; non ut in pace vos contineret, quæ ante bellum habuissent.* Ita populus Karthaginiensesque dimissi. Munera ex instituto data utrique, aliaque honoratio omnibus conservata.

Legati ad repetendas res in Macedoniam missi.

XXV. Sub idem tempus C. Servilius Cæpio, Ap. Claudius Centho, T. Annius Luscus legati ad res repetendas in Macedoniam commendatiunculæque amicitiæ [79]regi missi, redierunt: qui jam ante senatum Persei senatum insuper deceptorum, relatis omnibus, quæ vidissent, quæque audis-

[74] [illegible] Romani ius Dux.

[75] [illegible] principum habuisse] [illegible]

[76] [illegible] Romam [illegible]

[77] Qui deprecaretur senatum] Sic inest lex Sicinius pro deprecaretur.

[78] Respondere] Vel lege responderi, ut [illegible]

[79] Jus gratiæ non dictum] Se jus non [illegible] personarum; ut ea iure non ex gratia statuere ac indicare.

[80] Regi] Illum regem. Emendavit Sigonius.

sent. *Vidisse se per omnes urbes Macedonum summa vi parari bellum. Quum ad regem pervenissent, per multos dies conveniendi ejus potestatem non factam: postremo, quum desperato jam conloquio profecti essent, tum demum se ex itinere revocatos, et ad eum introductos esse. Suæ orationis summam fuisse; fœdus, cum Philippo ictum, cum ipso eo post mortem patris renovatum: in quo diserte prohibire eum, extra fines arma efferre; prohiberi, socios populi Romani lacessere bello. Exposita deinde ab se ordine, quæ ipsi nuper in senatu Eumenem vera omnia et comperta referentem audissent. Samothracæ*[x] *præterea per multos dies occultum consilium cum legationibus civitatium Asiæ regem habuisse. Pro his injuriis satisfieri, senatum æquum censere, reddique sibi res sociisque suis, quas contra jus fœderis habeat. Regem ad ea primo accensum ira inclementer locutum, avaritiam superbiamque Romanis objicientem frequenter: quod alii super alios legati venirent speculari dicta factaque sua, quod se ad nutum imperiumque eorum omnia dicere ae facere æquum censerent. Postremo, multum ac diu vociferatum, reverti postero die jussisse. scriptum se responsum dare velle. Tum ita sibi scriptum traditum esse: Fœdus, cum patre ictum, ad se nihil pertinere. Id se renovari, non quia probaret, sed quia in nova possessione regni patienda omnia essent, passum. Si novum fœdus secum facere vellent, convenire prius de conditionibus debere: et, si in animum inducerent, ut ex æquo fœdus fieret, et se visurum, quid sibi faciundum esset, et illos credere reipublicæ consulturos. Atque ita se proripuisse, et submoveri e regia omnes cœptos. Tum se amicitiam et societatem renunciasse. qua voce eum accensum restitisse, atque voce clara denunciasse sibi, ut triduo regni sui decederent finibus. Ita se profectos: nec sibi,*[80] *aut venientibus, aut manentibus, quidquam hospitaliter aut benigne factum.* Thessali deinde Ætolique legati auditi. Senatui, ut scirent quam primum, quibus ducibus usura respublica esset, literas mitti consulibus placuit, ut, uter eorum [81]posset, Romam ad magistratus creandos veniret. U. C. 580. A. C. 172.

XXVI. Nihil magnopere, quod memorari adtineat, rei publicæ eo anno consules gesserant. magis e republica visum erat, comprimi ac sedari exasperatos Ligures. Quum Macedonicum bellum exspectaretur, Gentium quoque Illyriorum regem suspectum Issenses legati fecerunt: simul questi, fines suos secundo populatum, simul nunciantes, *uno animo vivere Macedonum atque Illyriorum regem: communi consilio parare Romanis bellum: et specie legatorum Illyrios* Gentius ab Issensibus Romæ insimulatur.

[x] *Samothraciæ* Gron. Crev.

80 *Aut venientibus, aut manentibus*] Hanc lectionem induxit Sigonius Florebello obsecutus. Vetus codex habuit, *aut venientibus, aut moventibus.*

81 *Posset*] Hoc a Gronovio est. Prius *esset.*

postulatores Romæ esse, Perse[u] *auctore missos, ut, quid agerentur, scirent.* Illyrii vocati in senatum. qui quum legatos se esse missos ab rege dicerent ad purganda crimina, si qua de rege Issenses deferrent; quæsitum, ecquid ita non adissent magistratum, ut ex instituto loca, lautia, acciperent? quæretur denique venisse eos, et super qua re venissent? Hæsitantibus in responso, ut curia excederent, dictum. Responsum tamquam legatis, [82] ut qui adire senatum non postulassent, dari non placuit: mittendosque ad regem legatos censuerunt, qui nunciarent, [83] *qui*[x] *socii quererentur apud senatum, exustum a rege agrum. non æquum eum facere, qui ab sociis suis non abstineret injuriam.* In hanc legationem, missi, A. Terentius Varro, C. Plætorius, C. Cicereius. Ex Asia, qui circa socios reges missi erant, legati redierunt, qui renunciarunt, [84] *Eumenem in ea, Antiochum in Syria, Ptolemæum in Alexandria sese convenisse. Omnes sollicitatos legationibus Persei, sed egregie in fide permanere, pollicitosque omnia, quæ populus Romanus imperasset, præstaturos. et civitates socias adisse: ceteras satis fidas; solos Rhodios fluctuantes et imbutos Persei consiliis invenisse.* Venerant Rhodii legati ad purganda ea, quæ vulgo jactari de civitate sciebant: ceterum senatum iis dari, quum novi consules magistratum inissent, placuit.

Legati ex Asia redeunt.

XXVII. Belli adparatum non differendum censuerunt. C. Licinio prætori negotium datur, ut ex veteribus quinqueremibus, in navalibus Romæ subductis, quæ possent usui esse, reficeret, pararetque naves quinquaginta. Si quid ad eum numerum explendum deesset, C. Memmio collegæ in Siciliam scriberet, ut eas, quæ in Sicilia naves essent, reficeret atque expediret, ut Brundisium primo quoque tempore mitti possent. Socios navales libertini ordinis in viginti et quinque naves ex civibus Romanis C. Licinius prætor scribere jussus: in quinque et viginti parem numerum Cn. Sicinius sociis imperaret: idem prætor peditum octo millia, quadringentos equites a sociis Latini nominis exigeret. Hunc militem qui Brundisii acciperet, atque in Macedoniam mitteret, A. Atilius Serranus, qui priore anno prætor fuerat, deligitur: [85] Cn. Sicinius prætor qui[y] exercitum paratum ad trajiciendum haberet, C. Popillio consuli ex

Adparatus in Persea.

[u] *Perseo* Crev. [x] *quod* Ead. [y] *quo* Ead.

82 *Ut qui adire senatum*] Mallemus *iis qui.*

83 *Quod socii quererentur*] Hic bene correxit Gronovius veterem lectionem, *qui socii. Quod* intelligi debet, *quantum attineret ad id quod:* ut apud Cicer. ep. 5. l. III. ad Quintum, *Quod quæris, quid de illis libris egerim, quos, quum essem in Cumano, scribere institui, non cessavi neque cesso.*

84 *Eumenem in ea*] In Asia.

85 *Cn. Sicinius prætor quo exercitum*] Ut Cn. Sicinius prætor paratum exercitum haberet, etc. Male antea legebatur, *qui exercitum.* Gronovius mutavit.

auctoritate senatus C. Licinius prætor scribit, ut et legionem secundam, quæ maxime veterana in Liguribus erat, [86]et socios[z] Latini nominis quatuor millia peditum, ducentos equites Idibus Februarii Brundisii adesse juberet. Hac classe et hoc exercitu Cn. Sicinius provinciam Macedoniam obtinere, donec successor veniret, jussus, prorogato in annum imperio. Ea omnia, quæ senatus censuit, inpigre facta sunt. Duodequadraginta quinqueremes ex navalibus deductæ: qui deduceret eas Brundisium, L. Porcius Licinus præpositus: duodecim ex Sicilia missæ. Ad frumentum classi exercituique coëmendum in Apuliam Calabriamque tres legati missi, Sex. Digitius, T. Juventius, M. Cæcilius. Ad omnia præparata Cn. Sicinius prætor, paludatus ex urbe profectus, Brundisium venit. U. C. 580. A. C. 172.

XXVIII. Exitu prope anni C. Popillius consul Romam rediit aliquanto serius, quam senatus censuerat: [87]cui primo quoque tempore magistratus creari[a], quum tantum bellum inmineret, jussum erat. Itaque non secundis auribus Patrum auditus est consul, quum in æde Bellonæ de rebus in Liguribus gestis dissereret. subclamationes frequentes erant interrogationesque, cur scelere fratris obpressos Ligures in libertatem non restituisset? Comitia consularia, in quam edicta erant diem, ante diem duodecimum Kalendas Martias sunt habita. Creati consules, P. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus. Postero die prætores facti, C. Sulpicius Galba, L. Furius Philus, L. Canuleius Dives, C. Lucretius Gallus, C. Caninius Rebilus, L. Villius Annalis. His prætoribus provinciæ decretæ: duæ jure Romæ dicendo, Hispania, et Sicilia, et Sardinia; ut uni sors integra esset, quo senatus censuisset. Consulibus designatis imperavit senatus, ut, qua die magistratum inissent, hostiis majoribus rite mactatis, precarentur, ut, quod bellum populus Romanus in animo haberet gerere, ut id prosperum eveniret. Eodem die [88]decrevit senatus[b], C. Popillius consul ludos per dies decem Jovi optimo maximo voveret, donaque circa omnia pulvinaria dari, si respublica

Comitia.

Vota a Pop. suscepta.

[z] *sociûm* Gron. [a] *creare* Gron. Crev. [b] ins. *ut* Crev.

86 *Et socios Latini nominis quatuor millia peditum*] Hæc est vetus lectio. Gronovius legi jussit *sociûm*. Sed nihil videtur mutatione opus esse. Hoc membrum, *quatuor millia peditum*, intelligi debet per appositionem junctum primo illi, *socios Latini nominis*. Similia exempla superius jam observata sunt.

87 *Cui . . . jussum erat*] Vix nobis persuademus sic locutos esse aurei illius ævi scriptores. Lege *quem . . . jussum erat*, vel *qui jussus erat*. Vide tamen Sanctii Minervam, l. II. c. 4. et ibi Perizonium, qui ambo probare nituntur Latine dici *jubeo tibi*. Ceterum, quia pronomen *cui* longius abest a nomine *consul*, interjecta etiam mentione *senatus*, magis placeret illud pronomen referri ad senatum, et legi: *cui primo quoque tempore magistratus creari . . . visum erat*.

88 *Decrevit senatus, ut C. Popillius*] Adjecimus voculam *ut* ex vetustis editionibus.

U.C. 580. A.C. 172.

decem annos in eodem statu fuisset. Ita ut censuerant, in Capitolio vovit consul ludos fieri, donariaque dari, quanta ex pecunia decresset senatus, quum centum et quinquaginta non minus adessent. præeunte verba Lepido pontifice maximo, id votum susceptum est. Eo anno sacerdotes publici mortui, L. Æmilius Papus decemvir sacrorum, et Q. Fulvius Flaccus pontifex, qui priore anno fuerat censor. Hic fœda morte periit. Ex duobus filiis ejus, qui tum in Illyrico militabant, nunciatum alterum decessisse, alterum gravi et periculoso morbo ægrum esse. Obruit animum simul luctus metusque: mane ingressi cubiculum servi laqueo dependentem invenere. Erat opinio, post censuram minus compotem fuisse sui: vulgo Junonis Laciniæ iram ob spoliatum templum alienasse mentem ferebant. Subfectus in Æmilii locum decemvir M. Valerius Messalla: in Fulvii [89] pontifex Cn. Domitius Ahenobarbus, oppido adolescens sacerdos lectus.

Fulvius laqueo gulam sibi frangit.

U.C. 581. A.C. 171. P. Licinio, C. Cassio Cos.

XXIX. P. Licinio, C. Cassio consulibus, non urbs tantum Roma, nec terra Italia, sed omnes reges civitatesque, quæ in Europa, quæque in Asia erant, converterant animos in curam Macedonici ac Romani belli. Eumenem quum vetus odium stimulabat, tum recens ira, quod scelere ejus prope ut victima mactatus Delphis esset. Prusias, Bithyniæ rex, statuerat abstinere armis, eventumque exspectare. nam neque pro Romanis se æquum censere adversus fratrem uxoris arma ferre; et apud Persea victorem veniam per sororem impetrabilem fore. Ariarathes, Cappadocum rex, præterquam quod Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, [90] ex quo est junctus Eumeni adfinitate, in omnia belli pacisque se consociaverat consilia. Antiochus inminebat quidem Ægypti regno, et [91] pueritiam regis, et inertiam tutorum spernens; et ambigendo de Cœle Syria[c] caussam belli se habiturum existimabat, gesturumque sine ullo inpedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello, id bellum: tamen omnia et per suos legatos senatui, et ipse legatis eorum eximie pollicitus erat. Ptolemæus propter ætatem alieni etiam tum arbitrii erat. tutores et bellum adversus Antiochum parabant, quo vindicarent [92] Cœlen Syriam,

Exponitur quis esset regum animus erga Romanos et Persea.

[c] *Cœlesyria* Gron. Crev.

89 *Pontifex . . . . oppido adolescens sacerdos*] Manifestum est vacare τὸ *sacerdos*, ac proinde delendum esse.

90 *Ex quo est junctus Eumeni affinitate*] Eumenes uxorem duxerat Ariarathis filiam, ut colligitur ex l. XXXVIII. c. 39. supra. Ei nomen fuisse *Stratonicen* docet Plutarchus in lib. de Frat. Amore. Ceterum malle mus *ex quo erat junctus*.

91 *Pueritiam regis*] Is erat Ptolemæus Philometor, filius Ptolemæi Epiphanis, de quo mentio facta est l. XXXI. c. 2. et alibi sæpius.

92 *Cœlensyriam*] Sic edendum censuit Gronovius, quum in scripto legatur *Cœlemsyriam*. Græce κοίλην Συρίαν. Vulgati *Cœlesyriam*.

et Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum bellum. U. C. 581.
Masinissa et frumento juvabat Romanos, et auxilia cum A. C. 171.
elephantis Misagenemque filium mittere ad bellum parabat. consilia autem in omnem fortunam ita disposita habebat: si penes Romanos victoria esset, suas quoque in eodem statu mansuras res, neque ultra quidquam movendum: non enim passuros Romanos, vim Karthaginiensibus adferri. Si fractæ essent opes Romanorum, quæ tum protegerent Karthaginienses, suam omnem Africam fore. Gentius, rex Illyriorum, fecerat potius, cur suspectus esset Romanis, quam satis statuerat, utram foveret partem; inpetuque magis, quam consilio, his aut illis se adjuncturus videbatur. Cotys Thrax, Odrysarum rex, evidenter Macedonum partis erat.

XXX. Hæc sententia regibus quum esset de bello, in liberis gentibus populisque [93] plebs ubique [d] omnis ferme, ut solet, [94] deterioribus erat ob regem Macedonasque inclinata; principum diversa cerneres studia. pars ita in Romanos effusi erant, ut auctoritatem inmodico favore conrumperent: pauci ex iis justitia imperii Romani capti; plures ita, si præcipuam operam navassent, potentes sese in civitatibus suis futuros rati. pars altera regiæ adulationis erat, quos æs alienum et desperatio rerum suarum, eodem manente statu, præcipites ad novanda omnia agebat; quosdam ventosum ingenium, quia [95] Perseus magis auræ popularis erat. tertia pars, optima eadem et prudentissima, si utique optio domini potioris daretur, sub Romanis, quam sub rege, malebat esse. [96] si liberum inde arbitrium fortunæ esset, neutram partem volebant potentiorem altera obpressa fieri; sed, inlibatis potius viribus utriusque partis, [97] pacem ex eo ma- Quis liberarum civitatium.

[d] *utique* Gron. Crev.

93 *Plebs utique omnis*] Quædam editiones habent *ubique*. Sed melius videtur τὸ *utique*. *Plebs utique omnis*, id est, plebs quidem certe omnis: ut opponatur principibus, de quibus mox agetur.

94 *Deterioribus erat ob regem . . inclinata*] Minime dubium esse potest, quin mendum sit in vocula *ob*, atque ejus loco legendum sit *ad*. Superest major difficultas, de voce *deterioribus* quid statuendum sit. Gronovius putat intelligi *studiis*, quæ vox reperitur in sequente membro: *principum diversa cerneres studia*. Sed, ut nihil dicamus de asperitate trajectionis, aliquid certe pingue et redundans redoleret hæc oratio, *deterioribus studiis erat ad regem inclinata*. Nobis verisimilius videtur excidisse hic verbum aliquod, quale esset *favens*: *plebs . . ut solet, deterioribus* favens, *erat ad regem . . inclinata*. Id suadet locus plane geminus, c. 63. infra: *pravo studio, quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur, deteriori atque infirmiori favendi*.

95 *Perseus magis auræ popularis erat*] Horum verborum duplex potest esse sensus: nempe, Perseus se magis dabat auræ populari, magis captabat favorem multitudinis: vel, Perseus gratior erat in vulgus. Quemadmodum utraque res natura conjuncta est, ita et utramque hic interpretationem jungas licet.

96 *Si liberum inde*] Displicet τὸ *inde*. Mallemus *sibi*.

97 *Pacem ex eo manere*] Placet Gronovii conjectura: *ex æquo*.

U.C. 581. A.C. 171.

nere. ita inter utrosque optimam conditionem civitatium fore; protegente altero semper inopem ab alterius injuria. Hæc sentientes, certamina fautorum utriusque partis taciti ex tuto spectabant. [98] Consules, quo die magistratum inierunt, ex senatusconsulto quum circa omnia fana, in quibus lectisternium majorem partem anni esse solet, majoribus hostiis inmolassent, inde preces suas acceptas ab Diis inmortalibus ominati, senatui, rite sacrificatum, precationemque de bello factam, renunciarunt. Aruspices ita responderunt, *si quid rei novæ inciperetur, id maturandum esse. victoriam, triumphum,* [99] *prorogationem imperii portendi.* Patres, *quod faustum felixque populo Romano esset, centuriatis comitiis primo quoque die ferre ad populum consules,* jusserunt, *ut, quod Perseus, Philippi filius, Macedonum rex, adversus fœdus cum patre Philippo ictum, et secum post mortem ejus renovatum, sociis populi Romani arma intulisset, agros vastasset, urbesque occupasset; quodque belli parandi adversus populum Romanum consilia inisset*[e], *arma, milites, classem ejus rei caussa comparasset; ut, nisi de iis rebus satisfecisset, bellum cum eo iniretur.* Hæc rogatio ad populum lata est.

S. C. de bello in Persea.

XXXI. Senatusconsultum inde factum est, *Ut consules inter se provincias Italiam et Macedoniam compararent, sortirenturve. Cui Macedonia obvenisset, ut is regem Persea, quique ejus sectam secuti essent, nisi populo Romano satisfecissent, bello persequeretur.* Legiones quatuor novas scribi placuit, binas singulis consulibus. [1] Id præcipue provinciæ Macedoniæ datum, quod, quum alterius consulibus legionis [2] quina millia et duceni equites ex vetere instituto darentur in singulas legiones, in Macedoniam sena millia peditum scribi jussa;

Exercitus.

Legiones Macedonicæ auctiores.

[e] *Iniisset* Gron. Crev.

98 *Consules . . . quum . . . immolassent, inde . . . . ominati*] Viderentur hæc omnia structa elegantius, et aptius inter se cohærentia, si hunc in modum ordinarentur: *Consules . . . quum circa omnia fana . . . majoribus hostiis immolassent, aruspices ita responderunt,* si quid rei novæ inciperetur, id maturandum esse: victoriam, triumphum, prorogationem (*seu potius,* propagationem) imperii portendi. *Inde preces suas acceptas ab diis immortalibus ominati* (consules) *senatui rite sacrificatum, precationemque de bello factam renunciarunt. Patres, quod faustum,* etc.

99 *Prorogationem imperii*] *Prorogatio imperii* non dicitur, ut recte observat Perizonius, Animadv. Histor. c. 6. nisi quum iis qui cum imperio in provinciam missi sunt, finito imperii dati anno, jus imperii in longius tempus extenditur. Itaque ille existimat hic legendum, *propagationem imperii.*

1 *Id præcipue . . . datum*] Mallemus *id præcipui.* Sic infra: *Illud quoque præcipuum datum sorti Macedoniæ.*

2 *Quina millia et duceni equites*] Lege sine ulla dubitatione cum Perizonio: *quina millia et duceni pedites.* Hoc enim erat vetus institutum: hic velut solennis illis temporibus peditum numerus in legione. Vid. not. 60. ad l. XLI. c. 14. Invicte probant hanc emendationem ea quæ sequuntur de equitibus: *equites treceni æqualiter in singulas legiones scribi jussi:* id est, de equitum numero nullum fuit discrimen inter legiones Macedonicas et eas quæ in Italia manere debebant: æqualiter in omnes treceni equites scripti.

equites treceni æqualiter in singulas legiones. et in sociali exercitu consuli alteri auctus numerus: sexdecim millia peditum, octingentos equites (præter eos, quos Cn. Sicinius duxisset, sexcentos equites) in Macedoniam trajiceret. Italiæ satis visa duodecim millia sociorum peditum, sexcenti equites. Illud quoque præcipuum datum sorti Macedoniæ, ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet, consul usque ad quinquaginta annos. In tribunis militum novatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod consules ex senatusconsulto ad populum tulerunt, ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed consulum prætorumque in iis faciendis judicium arbitriumque esset. Inter prætores ita partita imperia. prætorem, cujus sors fuisset, ut iret, quo senatus censuisset, Brundisium ad classem ire placuit; utque ibi recognosceret socios navales, dimissisque, si qui parum idonei essent, supplementum legeret ex libertinis, et daret operam, ut duæ partes civium Romanorum, tertia sociorum esset. Commeatus classi legionibusque ut ex Sicilia Sardiniaque subveherentur, prætoribus, qui eas provincias sortiti essent, mandari placuit, ut alteras decumas Siculis Sardisque imperarent, utque id frumentum ad exercitum in Macedoniam portaretur. Siciliam C. Caninius Rebilus est sortitus, L. Furius Philus Sardiniam, L. Canuleius Hispaniam, C. Sulpicius Galba urbanam jurisdictionem, L. Villius Annalis inter peregrinos. C. Lucretio Gallo, quo senatus censuisset, sors evenit.

U. C. 581. A. C. 171.

Tribuni Mil. a Coss. lecti.

Prætorum provinciæ.

XXXII. Inter consules magis cavillatio, quam magna contentio, de provincia fuit. Cassius, [3] *sine sorte se Macedoniam obpugnaturum*[f], dicebat, *nec posse collegam, salvo jure-jurando, secum sortiri.* [4] *Prætorem eum, ne in provinciam iret, in concione jurasse, se stato loco statisque diebus sacrificia habere, quæ, absente se, recte fieri non possent: quæ non magis consule, quam prætore, absente recte fieri possent.* [5] *Si senatus, non quid vellet in consulatu potius, quam quid in prætura juraverit P. Licinius, animadvertendum esse censeat, se tamen futurum in senatus potestate.* Consulti Patres, cui consulatum populus Romanus non negasset, ab se provinciam negari, superbum rati, sortiri consules jusserunt. P.

Sortiuntur Coss.

[f] *optaturum* Crev.

3 *Sine sorte se Macedoniam optaturum*] Mendosa erat vetus scriptura, *oppugnaturum*. Rubenius substituit *optaturum*, probabili conjectura. Itaque id in contextum admisimus, ut et Clericus fecerat.

4 *Prætorem eum, ne in provinciam iret*] Hoc memoravit Livius supra, XLI. 15.

5 *Si senatus, non quid vellet*] Dele cum Gronovio particulam negantem, quæ sensum perturbat. Hæc enim mens est Cassii, ut dicat, si senatus jubeat secum sortiri Licinium, et ei gratificans, attendat potius quid velit in consulatu, quam quid juraverit in prætura, se, quamvis parum id æquum sibi videatur, tamen senatui obtemperaturum.

U. C. 581. A. C. 171.

Delectus intentior cura.

Licinio Macedonia, C. Cassio Italia obvenit. Legiones inde sortiti sunt. prima et tertia in Macedoniam trajicerentur, secunda et quarta ut in Italia remanerent. Delectus consules multo intentiorem, quam alias, curam habebant. Licinius veteres quoque scribebat milites centurionesque: et multi voluntate nomina dabant, quia locupletes videbant, qui priore Macedonico bello, aut adversus Antiochum in Asia, stipendia fecerant. Quum tribuni militum [6] centuriones, sed primum quemque, citarent, tres et viginti centuriones, qui primos pilos duxerant, citati tribunos plebis adpellarunt. Duo ex collegio, M. Fulvius Nobilior et M. Claudius Marcellus, ad consules rejiciebant: [7] *Eorum cognitionem esse debere, quibus delectus, quibusque bellum mandatum esset.* ceteri, *cogituros se, de quo adpellati essent,* aiebant; *et, si injuria fieret, auxilium civibus laturos.*

23. centuriones citati a tribunis mil. adpellant tribunos pl.

XXXIII. Ad subsellia tribunorum res agebatur. eo M. Popillius consularis, advocatus, centuriones, et consul venerunt. Consule[g] inde postulanti, ut in concione ea res ageretur, populus in concionem advocatus. Pro centurionibus M. Popillius, qui biennio ante consul fuerat, ita verba fecit: *Militares homines et* [8] *stipendia justa, et corpora, et ætate, et assiduis laboribus, confecta habere: nihil recusare tamen, quo minus operam* [9] *reipublicæ dent. id tantum deprecari, ne inferiores iis ordines, quam quos, quum militassent, habuissent, adtribuerentur.* P. Licinius consul [10] senatusconsulta[h] recitari jussit: primum, quod bellum senatus Perseo jussisset: deinde, quod [11] veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset, nec ulli, qui non major annis quinquaginta esset, vacationem militiæ esse. Deprecatus est deinde, *ne novo bello, tam propinquo Italiæ, adversus regem potentissimum, aut tribunos militum, delectum ha-*

g *Consuli* Gron. Crev.

h *senatusconsultum* Eæd.

6 *Centuriones, sed primum quemque*] Vocula *sed* omnino hic supervacua est; ac videtur nobis prodere aliquod hoc loco mendum. Libenter legeremus: *Centuriones, vetustissimum quemque.*

7 * *Eorum cognitionem esse debere*] De postulatis centurionum cognoscere et statuere debere eos quibus . . .

8 * *Stipendia justa*] Justum ac legitimum stipendiorum numerum.

9 *Reipublicæ*] Hoc debetur Sigonio, quum prius legeretur *populo Romano.* Nempe ille putat trajectione litterarum peccatum esse a librariis, qui scripserint *P. R.* pro *R. P.*

10 *Senatusconsultum recitari jussit: primum, quod bellum senatus . . . deinde, quod*] Hæc si integra sunt, sic videntur exponenda: *senatusconsultum recitari jussit,* cujus hoc erat *primum* caput, *quod bellum senatus Perseo jussisset:* alterum *deinde* illud, *quod,* etc. Sed magis placeret: *Senatusconsulta recitari jussit: primum, quo senatus bellum Perseo jussisset: deinde, quo . . . . censuisset.* Deinde etiam mallemus *bellum cum Perseo:* quia ita locutus est Livius, l. XXXI. c. 8. et l. XXXVI. c. 2. Denique nobis suspectum est verbum *jussisset:* quia *jubere* populi est, senatus *decernere, censere.* Infra, c. 36. *quum jam bellum regi eorum . . . et senatus decresset, et populus jussisset.*

11 *Veteres centuriones quam plurimum*] Lege cum Gronovio *quam plurimos.*

bentes, inpedirent; aut prohiberent consulem, quem cuique ordinem adsignari e republica esset, eum adsignare. Si quid in ea re dubium esset, ad senatum rejicerent. U.C. 581. A.C. 171.

XXXIV. Postquam consul, quæ voluerat, dixit, Sp. Ligustinus ex eo numero, qui tribunos plebis adpellaverant, a consule et ab tribunis petiit, ut sibi paucis ad populum agere liceret. Permissu omnium ita locutus fertur. *Sp. Ligustinus tribus Crustuminæ ex Sabinis sum oriundus, Quirites. Pater mihi jugerum agri reliquit et parvum tugurium, in quo natus educatusque sum: hodieque ibi habito.* [12] *Quum primum in ætatem veni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit: quæ secum nihil adtulit, præter libertatem pudicitiamque, et cum his fœcunditatem, quanta vel in diti domo satis esset. Sex filii nobis, duæ filiæ sunt: utræque jam nuptæ. Filii quatuor togas viriles habent, duo prætextati sunt. Miles sum factus, P. Sulpicio, C. Aurelio consulibus. In eo exercitu, qui in Macedoniam est transportatus, biennium miles gregarius fui adversus Philippum regem: tertio anno virtutis caussa* [13] *mihi T. Quinctius Flamininus decumum ordinem hastatum adsignavit. Devicto Philippo Macedonibusque, quum in Italiam* [14] *portati ac dimissi essemus, continuo miles voluntarius cum M. Porcio consule in Hispaniam sum profectus. Neminem omnium imperatorum, qui vivant, acriorem virtutis spectatorem ac judicem fuisse sciunt, qui et illum et alios duces longa militia experti sunt. hic me imperator dignum judicavit, cui* [15] *primum hastatum prioris centuriæ adsignaret. Tertio iterum voluntarius miles factus sum in eum exercitum, qui adversus Ætolos et Antiochum regem est missus.* [16] *a M'. Acilio* [17] *mihi primus princeps prioris centuriæ est adsignatus. Expulso rege Antiocho, subactis Ætolis, reportati sumus in Italiam:* [18] *et dein-*

Sp. Ligustini oratio ad populum.

12 *Quum primum in ætatem veni*] De eo dicitur qui adolevit juvenisque est: quod adolescentia et pubertas *prima ætas* videatur esse, perinde quasi in ætatibus pueritia non sit habenda. Hinc *ab ineunte ætate* est a principio adolescentiæ. TURNEBUS.

13 *Mihi . . . decumum ordinem Hastatum assignavit*] Me jussit esse centurionem decimi ordinis Hastatorum.

14 * *Portati*] Lege *reportati*, ut infra in hac ipsa oratione.

15 *Primum Hastatum prioris centuriæ*] Hastatorum, Principum, et Triariorum corpora in decem singula manipulos distributa erant: unusquisque manipulus in duos ordines, vel duas centurias. Dicit igitur Ligustinus se factum esse centurionem prioris centuriæ in primo Hastatorum manipulo.

16 *A. M'. Acilio*] Sic recte Sigonius. Ante *a M. Cœlio*.

17 *Mihi primus Princeps prioris centuriæ est assignatus*] Factus sum centurio prioris centuriæ in primo manipulo Principum. De his gradibus Romanæ militiæ vide fusius disserentem Lipsium l. II. de Mil. Rom. Dial. 8.

18 *Et deinceps bis, quæ annua*] Nullus nobis sensus videtur ex his verbis erui posse, de quibus tamen interpretes plerique siluerunt. Solus, quem viderimus, Dujatius interpretationem afferre conatus est, sed parum felicem. Existimat enim Ligustinum dicere, se pro sedecim annis militiæ, quos leges expleri juberent, duos ac triginta implevisse. At primo non sedecim, sed viginti annua stipendia merere debebant Romani pedites: qua de re vid. Lips. l. I. de Mil. Rom. Dial. 2. De-

U. C. 581. A. C. 171.

ceps bis, quæ annua merebant legiones, stipendia feci. Bis deinde in Hispania militavi, semel Q. Fulvio Flacco, iterum Ti. Sempronio Graccho prætore. A Flacco inter ceteros, quos virtutis caussa secum ex provincia ad triumphum deducebat, deductus sum. a Ti. Graccho rogatus, in provinciam ii. Quater intra paucos annos primum pilum duxi: quater et tricies virtutis caussa donatus ab imperatoribus sum: sex civicas coronas accepi. viginti duo stipendia annua in exercitu emerita habeo, et major annis sum quinquaginta. Quod si mihi nec stipendia omnia emerita essent, necdum ætas vacationem daret, tamen, quum quatuor milites pro me uno vobis dare, P. Licini, possem, æquum erat me dimitti. Sed hæc pro caussa mea dicta accipiatis velim: ipse me, quoad quisquam, qui exercitus scribit, idoneum militem judicabit, numquam sum excusaturus. [19] *Ordinem quo me dignum judicent tribuni militum, ipsorum est potestatis: ne quis me virtute in exercitu præstet, dabo operam;* [20] *ut semper ita fecisse me et imperatores mei, et qui una stipendia fecerunt, testes sunt. Vos quoque æquum est, commilitones, etsi adpellationis vobis usurpatis jus, quum adolescentes nihil adversus magistratuum senatusque auctoritatem usquam feceritis, nunc quoque in potestate senatus ad consulum esse, et omnia honesta loca ducere, quibus rempublicam defensuri sitis.*

Parent centuriones Cos.

XXXV. Hæc ubi dixit, conlaudatum multis verbis consul ex concione in senatum duxit. Ibi quoque ei ex auctoritate senatus gratiæ actæ, tribunique militares in legione prima primum pilum virtutis caussa ei adsignarunt. ceteri centuriones, omissa adpellatione, ad delectum obedienter responderunt. Quo maturius in provincias magistratus proficiscerentur, Latinæ Kalendis Juniis fuere: eoque sollemni perfecto, C. Lucretius prætor, omnibus, quæ ad classem opus erant, præmissis, Brundisium est profectus. Præter eos exercitus, quos consules comparabant, C. Sulpicio Galbæ prætori negotium datum, ut quatuor legiones scriberet urbanas justo numero peditum equitumque; [21] iisque quatuor tribunos militum ex senatu legeret, qui præessent: sociis Latini nominis imperaret quindecim millia peditum, mille et ducentos equites. Is exercitus uti paratus esset, quo senatus censuisset. P. Licinio consuli ad exercitum

inde Ligustinus ipse infra dicit se *duo* tantum *et viginti stipendia annua emerita* habere, non duo et triginta. Nos nihil habemus plane, quod de hoc loco dicere possimus.

19 *Ordinem quo me dignum judicent . . ipsorum est potestatis*] Supple, definire, statuere. Legit Gronovius *ordine quo*.

20 *Ut semper ita fecisse me*] Redundat plane vocula *ita*.

21 *Iisque quatuor tribunos militum ex senatu legeret, qui præessent*] Hoc notandum. Nam ex more solito tribuni alternis imperitabant, ut observatum est ad l. XL. c. 41. Sed his, qui ex senatu leguntur, datur nimirum ob ampliorem dignitatis gradum extraordinaria potestas. Nisi forte mendum est in numero, legendumque *quatuor et viginti tribunos*. *Sex enim tribuni creabantur in singulas legiones.

civilem socialemque petenti addita auxilia, Ligurum [22]duo millia, Cretenses sagittarii, (incertus numerus, [23]quantum rogati auxilia[1] Cretenses misissent) Numidæ item equites elephantique. In eam rem legati ad Masinissam Karthaginiensesque missi, L. Postumius Albinus, Q. Terentius Culleo, C. Aburius. In Cretam item legatos tres ire placuit, A. Postumium Albinum, [24]C. Decimium, A. Licinium Nervam. U. C. 581. A. C. 171.

XXXVI. Per idem tempus legati ab rege Perseo venerunt. eos [25]in oppidum intromitti non placuit, quum jam bellum regi eorum et Macedonibus et senatus decresset, et populus jussisset. [26]In ædem Bellonæ in senatum introducti ita verba fecerunt: *Mirari Persea regem, quid in Macedoniam exercitus transportati essent. Si impetrari a senatu posset, ut ii revocentur, regem de injuriis, si quas sociis factas quererentur, arbitratu senatus satisfacturum esse.* Sp. Carvilius, ad eam ipsam rem ex Græcia remissus ab Cn. Sicinio, in senatu erat. is Perrhæbiam expugnatam armis, Thessaliæ aliquot urbes captas, cetera, quæ aut ageret, aut pararet rex, quum argueret, respondere ad ea legati jussi. Postquam hæsitabant, negantes sibi ultra quidquam mandatum esse, jussi renunciare regi, *Consulem P. Licinium brevi cum exercitu futurum in Macedonia esse. ad eum, si satisfacere in animo esset, mitteret legatos. Romam quod præterea mitteret, non esse:* [27]*neminem eorum per Italiam ire liciturum.* Ita dimissis, P. Licinio consuli mandatum, intra undecimum diem juberet eos Italia excedere, et Sp. Carvilium mitteret, qui, donec navem conscendissent, custodiret. Hæc Romæ acta, nondum profectis in provinciam consulibus. Jam Cn. Sicinius, qui, priusquam magistratu abiret, Brundisium ad classem et ad exercitum præmissus erat, trajectis in Epirum quinque millibus peditum, trecentis equitibus, ad Nymphæum in agro Apolloniati castra habebat. Inde tribunos cum duobus millibus militum ad occupanda Dassaretiorum

Legati a Perseo.

[1] *auxilia* del. Crev.

22 *Duo millia*] Olim legebatur insulse *mille millia*. Correxit Sigonius. Error nempe natus erat ex numerorum notis *MM*.

23 *Quantum rogati Cretenses misissent*] Vulgo *rogati auxilia*. Expunxit superfluam vocem Gronovio auctore Clericus.

24 *C. Decimium*] C. Decimius infra XLIII. 11. fit prætor. Inde sumpsit hoc nomen Sigonius, quum prius hic legeretur *C. Decium*.

25 *In oppidum*] Vid. not. 64. ad c. 20. supra.

26 *In ædem Bellonæ*] Scribit Gronovius *in æde*: et sane sic solet Livius.

27 *Neminem eorum per Italiam ire liciturum*] Fore ut neminem eorum liceat ire per Italiam. Hoc sine causa suspectum fuit Gronovio. *Liciturum* est vox proba, qua usus est Livius supra l. XXXII. c. 21. ut observat Jac. Gronovius: usus est et Cicero l. II. ad Att. Ep. 1. Nec necesse est mutare *neminem* in *nemini*. Tam enim dicitur *licet me hoc facere*, quam *licet mihi*. Vid. Novam Method. linguæ Latinæ.

U. C. 581. A. C. 171. et Illyriorum castella, ipsis arcessentibus præsidia, ut tutiores a finitimorum inpetu Macedonum essent, misit.

XXXVII. Paucis post diebus Q. Marcius, A. Atilius, et P. et Ser. Cornelii Lentuli, et L. Decimius, legati in Græciam missi, Corcyram peditum mille secum advexerunt: ibi inter se et regiones, quas obirent, et milites diviserunt. Decimius missus est ad Gentium, regem Illyriorum, quem, si aliquem respectum amicitiæ eum habere cerneret, tentare, aut etiam ad belli societatem perlicere[k] jussus. Lentuli in Cephalleniam missi, ut in Peloponnesum trajicerent, oramque maris, in occidentem versi, ante hiemem circumirent. Marcio et Atilio Epirus, Ætolia, et Thessalia circumeundæ adsignantur. Inde Bœotiam atque Eubœam adspicere jussi; tum in Peloponnesum trajicere. ibi congressuros se cum Lentulis constituunt. Priusquam digrederentur a Corcyra, literæ a Perseo adlatæ sunt, quibus quærebat, quæ caussa Romanis aut in Græciam trajiciendi copias, aut urbes occupandi, esset? Cui rescribi nihil placuit; nuncio ipsius, qui literas adtulerat, dici, *præsidii caussa ipsarum urbium Romanos facere*. Lentuli, circumeuntes Peloponnesi oppida, quum sine discrimine omnes civitates adhortarentur, ut, quo animo, qua fide adjuvissent Romanos, Philippi primum, deinde Antiochi bello, eodem adversus Persea juvarent, fremitum in concionibus audiebant: Achæis indignantibus, eodem se loco esse, (qui omnia a principiis Macedonici belli præstitissent Romanis, et Macedonum Philippi bello hostes fuissent) quo Messenii atque Elii, qui pro Antiocho hoste arma adversus populum Romanum tulissent; ac, nuper in Achaïcum contributi concilium, velut præmium belli se victoribus Achæis tradi quererentur.

Legati in Græciam, et in Illyricum.

Achæorum querelæ.

XXXVIII. Marcius et Atilius [28]ad Gitanas, Epiri oppidum decem millia ab mari, quum adscenderent, concilio Epirotarum habito, cum magno omnium adsensu auditi sunt: et quadringentos juventutis eorum in Orestas, ut præsidio essent [29]liberatis ab se Macedonibus, miserunt. Inde in Ætoliam progressi, ac paucos ibi morati dies, dum in prætoris mortui locum alius subficeretur, et [30]Lycisco præ-

[k] *pellicere* Crev.

28 *Ad Gitanas*] Nomen incognitum. Pro his duabus vocibus legendum censet Jac. Gronovius *Ægilipa*, oppidum memoratum Straboni et Stephano ex Homero. Sed de mendo constare non potest, nisi constet nos omnia scire debere.

29 *Liberatis ab se Macedonibus*] Videtur τὸ *ab se* referri debere ad Epirotas, quamvis nulla hujus rei prius facta fuerit mentio. Sed Marcius qui tantummodo a Corcyra in Epirum venerat, nullos potuerat liberare Macedonas, quum ne Macedoniam quidem attigisset. Forsan aliquod mendum latet.

30 *Lycisco prætore*] MS. exemplar habuit *Pr.* unde quidam fecere *præfecto*, ut in nonnullis editionibus legitur. Sed patet ex iis verbis quæ præ-

tore facto, quem Romanorum favere rebus satis compertum erat, transierunt in Thessaliam. Eo legati Acarnanum, et Bœotorum exsules venerunt. Acarnanes nunciare jussi, *Quæ Philippi primum, Antiochi deinde bello, decepti* [31] *pollicitationibus regis, adversus populum Romanum commisissent, ea corrigendi occasionem illis oblatam. Si male meriti clementiam populi Romani experti essent, bene merendo liberalitatem experirentur.* Bœotis exprobratum, societatem eos cum Perseo junxisse. iis, quum culpam in Ismeniam, principem alterius partis, conferrent, [32] et quasdam civitates dissentientes in caussam deductas, *adpariturum id esse*, Marcius respondit: *singulis enim civitatibus de se ipsis consulendi potestatem facturos.* Thessalorum Larissæ fuit concilium. ibi et Thessalis benigna materia gratias agendi Romanis pro libertatis munere fuit; et legatis, quod, et Philippi prius et post Antiochi bello, enise adjuti a gente Thessalorum essent. hac mutua commemoratione meritorum accensi animi multitudinis ad omnia decernenda, quæ Romani vellent. Secundum hoc concilium legati a Perseo rege venerunt, privati maxime hospitii fiducia, quod ei paternum cum Marcio erat. Ab hujus necessitudinis commemoratione orsi, petierunt legati, in conloquium veniendi regi potestatem faceret. Marcius, *Et se ita a patre suo accepisse*, dixit, *amicitiam hospitiumque cum Philippo fuisse. minime inmemorem necessitudinis ejus legationem eam suscepisse. Conloquium, si satis commode valeret, non fuisse dilaturum: nunc, ubi primum posset, ad Peneum flumen, qua transitus ab Homolio* [1] *Dium esset, præmissis, qui nunciarent regi, venturos.*

U. C. 581. A. C. 171.

Legati a Perseo ad Marcium.

XXXIX. Et tum quidem ab Dio Perseus in interiora regni recipit [m] se, levi aura spei objecta, quod Marcius ipsius caussa suscepisse se legationem dixisset. Post dies paucos ad constitutum locum venerunt. Magnus comitatus fuit regius, quum amicorum, tum satellitum turba stipante. Non minore agmine legati venerunt, et ab Larissa multis prosequentibus, et legationibus civitatium, quæ convenerant Larissam, et renunciare domum certa, quæ audissent, volebant. Inerat cura insita mortalibus videndi congredientes nobilem regem, et populi principis terrarum omnium legatos. Postquam in conspectu steterunt, dirimente amne, paullisper internunciando cunctatio fuit, utri transgrederentur. aliquid illi regiæ majestati, aliquid hi populi Romani

Conloquium inter regem et legatos Rom.

1 *Omolio* Gron. Crev.

m *recepit* Eæd.

cedunt, legendum esse *prætore*, quod Sigonius voluerat.

31 *Pollicitationibus regis*] At duo reges nominati sunt, Philippus et Antiochus. Lege ergo *regiis*.

32 *Et quasdam civitates*] Et dicerent quasdam civitates, quæ dissentirent, ab Ismenia et Persei fautoribus deductas esse in illam causam, coactas esse illam partem sequi.

nomini, quum præsertim Perseus petisset conloquium, existimabant deberi? Joco etiam Marcius cunctantes movit. *Minor*, inquit, *ad majorem, et* ([33]quod Philippo ipsi cognomen erat) *filius ad patrem transeat.* Facile persuasum id regi est. Aliud deinde ambigebatur, cum quam multis transiret. Rex, cum omni comitatu transire, æquum censebat: legati vel cum tribus venire jubebant, vel, si tantum agmen traduceret, obsides daret, nihil fraudis fore in conloquio. Hippian et Pantauchum, quos et legatos miserat, principes amicorum, obsides dedit. Nec tam in pignus fidei obsides desiderati erant, quam ut adpareret sociis, nequaquam ex dignitate pari congredi regem cum legatis. Salutatio non tamquam hostium, sed hospitalis ac benigna fuit; positisque sedibus consederunt.

Marcii oratio.

XI. Quum paullisper silentium fuisset: *Exspectari, nos,* inquit Marcius, *arbitror, ut respondeamus literis tuis, quas Romam misisti; in quibus quæris, quid ita legati cum militibus venerimus, et præsidia in singulas urbes dimittamus? Ad hanc interrogationem tuam et non respondere vereor, ne superbum sit, et vera respondere, ne nimis acerbum audienti tibi videatur. Sed quum aut verbis castigandus, aut armis sit, qui fœdus rumpit; sicut bellum adversus te alii, quam mihi, mandatum malim, ita orationis acerbitatem adversus hospitem, [n]quamquam est, subibo: [35]sicut medici, quum salutis caussa tristiora remedia adhibent. Ex quo regnum adeptus es, unam rem te, quæ facienda fuerit, senatus fecisse censet; quod legatos Romam ad renovandum *** judicat potius, quam, quum renovatum esset, violandum. Abrupolim, socium atque amicum populi Romani, regno expulisti. Artetari interfectores, ut cæde (ne quid ultra dicam) lætatum adpareret, recepisti, qui tamdiu Illyriorum fidissimum Romano nomini regulum occiderant. Per Thessaliam et Maliensem agrum cum exercitu contra fœdus Delphos isti: Byzantiis item contra fœdus misisti auxilia. Cum Bœotis, sociis nostris, [36]secretam tibi ipsi societatem, quam non licebat, jurejurando pepigisti. Thebanos legatos, Euerxam[n] et Callicritum, venientes a nobis, quærere modo, quis interfecerit, quam arguere. In Ætolia bellum internecinum et cædes principum per quos, nisi per tuos, factæ videri possunt? Dolopes a te ipso evastati sunt. Eumenes rex, ab Roma quum in regnum rediret, prope ut victima Delphis*

[n] Euercum Crev.

[33] *Quod Philippo ipsi cognomen* [illegible] Marcio cognomen erat Philippo, sed patri Persei nomen fuerat.

[n] *Quamquam est*] Hupple, res. Quanquam est acerbitatem orationis [illegible] exponere. Magis placeret tamen, *quæcumque est.*

35 *Sicut medici, quum*] Potest abesse vocula *quum* sine sensus dispendio.

36 * *Secretam tibi ipsi*] Peculiarem et propriam tibi ipsi, separatim a nobis.

in sacrato loco ante aras mactatus, quem insimulet, piget re- U. C. 581.
ferre. Quæ hospes Brundisinus occulta facinora indicet, cer- A. C. 171.
tum habeo, et scripta tibi omnia ab Roma esse, et legatos tuos renunciasse. Hæc ne dicerentur a me, uno modo vitare potuisti, non quærendo, quam ob caussam exercitus in Macedoniam trajicerentur, aut præsidia in sociorum urbes mitteremus. Quærenti tibi superbius tacuissemus, quam vera respondimus. Equidem pro paterno nostro hospitio faveo orationi tuæ, et opto, ut aliquam mihi materiam præbeas agendæ tuæ apud senatum caussæ.

XLI. Ad ea rex: *Bonam caussam, si apud judices æquos* Perseus se
ageretur, apud eosdem et accusatores et judices agam. Eorum purgat.
autem, quæ objecta sunt mihi, partim ea sunt, quibus nescio an gloriari debeam; partim, quæ fateri non erubescam; partim, quæ verbo objecta verbo negare sit. Quid enim, si legibus vestris hodie reus sim, aut index Brundisinus, aut Eumenes mihi objiciat, ut accusare potius vere, quam conviciari, videantur? Scilicet, nec Eumenes, quum tam multis gravis publice ac privatim sit, alium, quam me, inimicum habuit: neque ego potiorem quemquam ad ministeria facinorum, quam Rammium, (quem neque umquam ante videram, nec eram postea visurus) invenire potui. Et Thebanorum, quos naufragio perisse constat, et Artetari cædis mihi reddenda ratio est. in qua tamen nihil ultra objicitur, quam interfectores ejus in regno exsulasse meo. Cujus conditionis iniquitatem ita non sum recusaturus, si vos quoque accipitis, ut, quicumque exsules in Italiam aut Romam se contulerunt, his facinorum, propter quæ damnati sunt, auctores vos fuisse fateamini. Si hoc et vos recusabitis, et omnes aliæ gentes, ego quoque inter ceteros ero. Et, Hercule, quid adtinet cuiquam exsilium patere, si nusquam exsuli futurus locus est? Ego tamen istos, ut primum in Macedonia esse, admonitus a vobis, comperi, requisitos abire ex regno jussi, et in perpetuum interdixi finibus meis. Et hæc quidem mihi, tamquam caussam dicenti reo, objecta sunt: illa, tamquam regi, et quæ de fœdere, quod mihi est vobiscum, disceptationem habeant. Nam, si est in fœdere ita scriptum, ut ne, si bellum quidem quis inferat, tueri me regnumque meum liceat, mihi fatendum est, quod me armis adversus Abrupolim, socium populi Romani, defenderim, fœdus violatum esse. Sin autem hoc et ex fœdere licuit, et jure gentium ita comparatum est, ut arma armis propulsentur, quid tandem me facere decuit, quum Abrupolis fines mei regni usque ad Amphipolim pervastasset, multa libera capita, magnam vim mancipiorum, multa millia pecorum abegisset? Quiescerem et paterer, donec Pellam et in regiam meam armatus pervenisset? At enim bello quidem justo sum persecutus; sed vinci non oportuit eum, neque ea, quæ victis accidunt, pati: quorum casum quum ego subierim,

U. C. 561. A. C. 171. *qui sum armis lacessitus, quid° potest queri sibi accidisse, qui caussa belli fuit? Non sum eodem modo defensurus, Romani, quod Dolopas armis coërcuerim: quia, [37] etsi non merito eorum, jure feci meo; quum mei regni, meæ ditionis essent, vestro decreto patri adtributi meo. Nec, si caussa reddenda sit, non vobis, nec fœderatis, sed iis, qui ne in servos quidem sæva atque injusta imperia probant, plus æquo et bono sævisse in eos videri possum. quippe Euphranorem, præfectum a me impositum, ita occiderunt, ut mors pœnarum ejus levissima fuerit.*

XLII. *At, quum processissem inde ad visendas Larissam, et Antrona, et [38] Pylleon, quo in propinquo multo ante debita vota persolverem, Delphos sacrificandi caussa adscendi. Et hic, criminis augendi caussa, cum exercitu me fuisse adjicitur. Scilicet, ut, quod nunc vos facere queror, urbes occuparem, arcibus inponerem præsidia. Vocate in concilium Græciæ civitates, per quas iter feci; queratur unusquilibet militis mei injuriam; non recusabo, quin, simulato sacrificio, aliud petisse videar. Ætolis et Byzantiis præsidia misimus, et cum Bœotis amicitiam fecimus. Hæc, qualiacumque sunt, per legatos meos non solum indicata, sed etiam excusata sunt sæpe in senatu vestro: ubi aliquos ego disceptatores, non tam æquos, quam te, Q. Marci, paternum amicum et hospitem, habebam. Sed nondum Romam accusator Eumenes venerat; qui calumniando omnia detorquendoque suspecta et invisa efficeret, et persuadere vobis conaretur, non posse Græciam in libertate esse, et vestro munere frui, quoad regnum Macedoniæ incolume esset. Circumagetur hic orbis: erit mox, qui arguat, ne quidquam Antiochum [39] ultra juga Tauri remotum: graviorem multo Asiæ, quam Antiochus fuerit, Eumenem esse: nec conquiescere socios vestros posse, quoad regia Pergami sit. eam arcem supra capita finitimarum civitatium inpositam. Ego hæc, Q. Marci et A. Atili, quæ aut a vobis objecta, aut purgata a me sunt, talia esse scio, ut aures, ut animi audientium sint: nec tam referre, quid ego, aut qua mente fecerim, quam quomodo id vos factum accipiatis. Conscius mihi sum, nihil me scientem deliquisse: et, si quid fecerim inprudentia lapsus, corrigi me et emendari castigatione hac posse. Nihil certe insanabile, nec quod bello et armis persequendum esse censeatis, commisi: at[p] frustra clementiæ gravitatisque vestræ fama vulgata per gentes est, si*

° *qui* Gron. Crev. [p] *aut* Exed.

37 * *Etsi non merito eorum*] Etiamsi concederem illos non meruisse ea quæ passi sunt.

38 *Pylleon*] Legit Turnebus *Pteleon* ex Homeri Catalogo, Ἀγχιάλου τ' Ἄντρωνά τε, δῖα Πτελεὸν λιμενόεσσαν. Infra quoque c. 97 hujus libri, Antron et Pteleon ut vicinæ urbes conjunguntur. Itaque certa constat huic emendationi auctoritas.

39 *Ultra juga Tauri remotum*] Magis Livianum foret *emotum*, quod annotavit Gronovius ad c. 50. hujus libri. Vid. supra l. XXXVII. c. 53. et l. XXXVIII. c. 53. et aliquot alias in locis.

talibus de caussis, quæ vix querela et expostulatione dignæ sunt, U. C. 581.
arma capitis, et regibus sociis bella infertis. A. C. 171.

XLIII. Hæc dicenti tum adsensus Marcius auctor fuit mittendi Romam legati, quum experienda omnia ad ultimum, nec prætermittendum[q] spem ullam censuisset. Reliqua consultatio erat, quonam modo tutum iter legatis esset. ad id quum necessaria petitio induciarum videretur, cuperetque Marcius, neque aliud conloquio petisset, gravate et [40]in magnam gratiam petentis concessit. nihil enim satis Induciæ.
paratum ad bellum in præsentia habebant Romani, non exercitum, non ducem: quum Perseus (ni spes vana pacis obcæcasset consilia) omnia præparata atque instructa haberet, et suo maxime tempore atque alieno hostibus incipere bellum posset. Ab hoc conloquio, fide induciarum interposita, [41]legati Romani in Bœotiam comparati sunt. Ibi jam Bœotiæ
motus cœperat esse, discedentibus a societate communis motus.
concilii Bœotorum quibusdam populis, ex quo renunciatum erat, respondisse legatos, adpariturum, quibus populis proprie societatem cum rege jungi displicuisset. Primi a Chæronea legati, deinde a Thebis, in ipso itinere obcurrerunt, adfirmantes non interfuisse se, quo societas ea decreta esset, concilio: quîs, legati, nullo in præsentia responso dato, Chalcidem se sequi jusserunt. Thebis magna contentio orta erat ex alio certamine. Comitiis prætoriis Bœotorum victa pars, injuriam persequens, coacta multitudine decretum fecit Thebis, ne Bœotarchæ urbibus reciperentur. Exsules Thespias universi concesserunt: inde (recepti enim sine cunctatione erant) Thebas, jam mutatis animis, revocati decretum faciunt, ut duodecim, qui privati cœtum et concilium habuissent, exsilio multarentur. Novus deinde prætor (Ismenias is erat, vir nobilis ac potens) capitalis pœnæ absentes eos decreto damnat. Chalcidem fugerant: inde ad Romanos Larissam profecti, [42]caussam cum Perseo societatis in Ismeniam contulerant. [43]Ex contentione ortum certamen. utriusque tamen partis legati ad Romanos venerunt, et exsules accusatoresque Ismeniæ, et Ismenias ipse.

XLIV. Chalcidem ut ventum est, aliarum civitatium

[q] *prætermittendam* Gron. Crev.

40 * *In magnam gratiam petentis*] Ita ut rex, qui petebat inducias, magnam gratiam pro iis concessis debere videretur.

41 *Legati Romani in Bœotiam comparati sunt*] Vitium esse videtur in verbo *comparati*. Legit Gronovius *conversi*.

42 *Causam cum Perseo societatis*] Videtur hic excidisse aliquod verbum, quale esset *initæ*. Sic enim rotundior foret oratio: *causam initæ cum Perseo societatis*.

43 *Ex contentione ortum certamen*] Hæc alio charactere edenda curavimus, tanquam dicta ab exsulibus Bœotis. Ii nempe significant ex contentione quæ fuerat inter ipsos et Ismeniam de societate cum Perseo, ortum certamen, quod eo eruperat, ut ipsis in exilium abire necesse foret.

U. C. 581. A. C. 171.

principes, id quod maxime gratum erat Romanis, suo quique proprio decreto Persei societatem adspernati, Romanis se adjungebant: Ismenias gentem Bœotorum in fidem Romanorum permitti æquum censebat. inde certamine orto, nisi in tribunal legatorum perfugisset, haud multum abfuit, quin ab exsulibus fautoribusque eorum interficeretur. Thebæ quoque ipsæ, quod Bœotiæ caput est, in magno tumultu erant, aliis ad regem trahentibus civitatem, aliis ad Romanos. et turba Coronæorum[r] Haliartiorumque convenerat ad defendendum decretum regiæ societatis. sed constantia principum, docentium cladibus Philippi Antiochique, quanta esset vis et fortuna imperii Romani, victa eadem multitudo et, ut tolleretur regia societas, decrevit, et eos, qui auctores paciscendæ amicitiæ fuerant, ad satisfaciendum legatis Chalcidem misit, fideique legatorum commendari civitatem jussit. Thebanos Marcius et Atilius læti audierunt, [44] auctoresque et his separatim singulis fuerunt ad renovandam amicitiam mittendi Romam legatos. Ante omnia exsules restitui jusserunt, et [45] auctores regiæ societatis decreto suo damnarunt. Ita, quod maxime volebant, discusso Bœotico concilio, Peloponnesum proficiscuntur, Ser. Cornelio Chalcidem arcessito. Argis præbitum est iis concilium: ubi nihil aliud a gente Achæorum petierunt, quam ut mille milites darent. id præsidium ad Chalcidem tuendam, dum Romanus exercitus in Græciam trajiceretur, missum est. Marcius et Atilius, peractis, quæ agenda in Græcia erant, principio hiemis Romam redierunt.

Bœoticum concilium discussum.

Legati Rom. in Asiæ insulas.

XLV. Inde legatio sub idem tempus in Asiam circum insulas missa. tres erant legati, Ti. Claudius, P. Postumius, M. Junius. ii circumeuntes hortabantur socios ad suscipiendum adversus Persea pro Romanis bellum: et, quo quæque opulentior civitas erat, eo adcuratius agebant, quia minores secuturæ majorum auctoritatem erant. Rhodii maximi ad omnia momenti habebantur, quia non favere tantum, sed adjuvare etiam viribus suis bellum poterant, quadraginta navibus auctore [46] Hegesilocho comparatis. qui, quum in summo magistratu esset, (Prytanin ipsi vocant) multis rationibus pervicerat Rhodios, ut, omissa, quam sæpe vanam

[r] *Coroneorum* Crev.

44 *Auctoresque et his separatim singulis*] Recte Gronovius, *auctoresque et his*, nempe Thebanis, *et separatim singulis* Bœotiæ civitatibus. Id et postulat sensus, et firmat Polybii auctoritas, Legat. 73.

45 *Auctores regiæ societatis decreto suo damnarunt*] Ismenias cum Niceta quodam in carcerem conjecti, non multo post mortem sibi consciverunt. Testis est Polybius ibidem.

46 *Hegesilocho*] Hic olim legebatur *Hegesilo*. Apud Polyb. vero Legat. 64. vocabatur hic idem Rhodiorum magistratus Ἡγησίλοχος. Fulvius Ursinus alterum ex altero correxit, ut hic haberetur *Hegesilocho*, apud Polybium Ἡγησίλοχος.

experti essent, regum fovendorum spe, Romanam societatem (unam tum in terris vel viribus, vel fide stabilem) retinerent. *Bellum imminere cum Perseo: desideraturos Romanos eumdem navalem adparatum, quem nuper Antiochi, quem Philippi ante bello vidissent. trepidaturos tum repente parandâ classe, quum mittenda esset; nisi reficere naves, nisi instruere navalibus socils cœpissent. Id eo magis enise faciendum esse, ut crimina delata ab Eumene fide rerum refellerent.* His incitati, quadraginta navium classem instructam ornatamque legatis Romanis advenientibus, ut non exspectatam adhortationem esse adpareret, ostenderunt. Et hæc legatio magnum ad conciliandos animos civitatium Asiæ momentum fuit. Decimius unus sine ullo effectu, captarum etiam pecuniarum ab regibus Illyriorum suspicione infamis, Romam rediit. U. C. 581. A. C. 171.

XLVI. Perseus, quum a conloquio Romanorum in Macedoniam recepisset sese, legatos Romam de inchoatis cum Marcio conditionibus pacis misit: [47] et Byzantium et Rhodum literas legatis ferendas dedit. In literis eadem sententia ad omnes erat: *conlocutum se cum Romanorum legatis.* quæ audisset, quæque dixisset, ita disposita, ut superior fuisse in disceptatione videri posset. Apud Rhodios legati addiderunt, *Confidere pacem futuram. auctoribus enim Marcio atque Atilio, missos Romam legatos. Si pergerent Romani contra fœdus movere bellum, tum omni gratia, omni ope enitendum fore Rhodiis, ut reconcilient pacem. Si nihil deprecando proficiant, id agendum, ne omnium rerum jus ac potestas ad unum populum perveniat. Quum ceterorum id interesse, tum præcipue Rhodiorum,* [48] *qui plus inter alias civitates dignitate atque opibus excellant: quæ serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit, quam ad Romanos, respectus.* Magis et literæ et verba legatorum benigne sunt audita, quam momentum ad mutandos animos habuerunt: potentior esse partis melioris auctoritas cœperat. Responsum ex decreto est: *Optare pacem Rhodios. si bellum esset, ne quid ab Rhodiis sperarct aut peteret rex, quod veterem amicitiam,*

Perseus legatos Byzantium et Rhodum mittit.

47 *Et Byzantium, et Rhodum*] Hic aliquid videtur vel corruptum esse, vel excidisse. Hoc probant primo ea quæ sequuntur. *In litteris eadem sententia ad omnes erat.* Vox enim *omnes* latius aliquid sonat, quam ut de duabus tantum civitatibus, Byzantio et Rhodo, dici potuerit. Deinde vero Polybius, ex quo hæc omnia descripta sunt, significat Legat. 65. plures fuisse populos, ad quos hæ litteræ missæ fuerint. Postquam enim exposuit, quid illæ litteræ continerent, subjungit: *Circa alias quidem civitates per tabellarios duntaxat litteras illas misit: Rhodum vero etiam legatos cum litteris.* Itaque hic Livii locus culpa librariorum deformatus profecto est, et ejus sententia ex Polybio refingenda.

48 *Qui plus . . excellant*] Si hoc modo legatur, vacat *vè plus.* Lege *quo plus.* Polybius, ἐφ' πλεῖον ἐρίγονται τῆς ἰσηγορίας καὶ παῤῥησίας, καὶ διαφιλῶσι προστατοῦντες ἢ μόνον τῆς αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερίας.

U.C. 581. A.C. 171. *multis magnisque meritis pace belloque partam, disjungeret sibi ab Romanis.* [49] Ab Rhodo redeuntes, Bœotiæ quoque civitates, et Thebas, et Coronæam, et Haliartum, adierunt: quibus expressum invitis existimabatur, ut, relicta regia societate, Romanis adjungerentur. Thebani nihil moti sunt: quamquam nonnihil, et damnatis principibus, et restitutis exsulibus, succensebant Romanis. Coronæi et Haliartii, favore quodam insito in reges, legatos in Macedoniam miserunt, præsidium petentes, quo se adversus inpotentem superbiam Thebanorum tueri possint. Cui legationi responsum ab rege est[a], *præsidium se propter inducias cum Romanis factas mittere non posse: tamen suadere, ita a Thebanorum injuriis, qua possent, ut se vindicarent, ne Romanis præberent caussam in se sæviendi.*

Marcius legationem renunciat.

XLVII. Marcius et Atilius Romam quum venissent, legationem in Capitolio ita renunciarunt, ut nulla re magis gloriarentur, quam decepto per inducias et spem pacis rege. *Adeo enim adparatibus belli fuisse instructum, ipsis nulla parata re, ut omnia opportuna loca præoccupari ante ab eo potuerint, quam exercitus in Græciam trajiceretur. Spatio autem induciarum sumto, venturum illum nihilo paratiorem; Romanos omnibus instructiores rebus cœpturos bellum. Bœotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne conjungi amplius ullo consensu Macedonibus possent.* Hæc, ut summa ratione acta, magna pars senatus adprobabat: veteres et moris antiqui memores negabant, *se in ea legatione Romanas agnoscere artes. Non per insidias et nocturna prælia, nec simulatam fugam inprovisosque ad incautum hostem reditus, nec ut astu magis, quam vera virtute, gloriarentur, bella majores gessisse.* [50] *indicere prius, quam gerere, solitos bella, denunciare etiam; interdum locum finire, in quo dimicaturi essent. Eadem fide indicatum Pyrrho regi medicum, vitæ ejus insidiantem: eadem* [51] *Faliscis vinctum traditum proditorem liberorum regis. Hæc Romana esse, non versutiarum Punicarum, neque calliditatis Græcæ: apud quos fallere hostem, quam vi superare, gloriosius fuerit. Interdum in præsens tempus plus profici dolo, quam virtute: sed ejus demum animum in perpetuum*

Senibus inprobatus.

[a] *est* del. Crev.

49 *Ab Rhodo redeuntes, Bœotiæ quoque civitates*] Polybius diversos legatos Rhodum et in Bœotiam missos esse clare docet Legat. 65. et 66. Quod ideo observamus, quia ceteroquin eum in hac omni narratione sequitur et exscribit noster.

50 *Indicere . . solitos bella, denunciare etiam*] Bellum indicebatur senatus decreto ac populi jussu: tum denunciabatur vel ipsi utique regi aut populo, cui indictum fuerat, vel saltem ad proximum in finibus præsidium. Vid. supra, l. XXXI. c. 8.

51 *Faliscis vinctum traditum proditorem liberorum regis*] Sigonius existimat alios hic auctores secutum esse Livium, quam quos secutus est in ipsa re narranda, supra l. V. c. 27. Gronovius legi posse putat *proditorem liberorum magistrum.*

vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed conlatis cominus viribus, justo ac pio bello esse superatum. U.C. 581. A.C. 171.
Hæc seniores, quibus nova hæc minus placebat sapientia. vicit tamen ea pars senatus, cui potior utilis, quam honesti, cura erat, ut comprobaretur prior legatio Marcii, [52] et eodem rursus in Græciam cum quinqueremibus remitteretur, jubereturque cetera, uti e republica maxime visum esset, agere. A. quoque Atilium miserunt ad occupandam Larissam in Thessalia, timentes, ne, si induciarum dies exisset, Perseus, præsidio eo[t] misso, caput Thessaliæ in potestate haberet. Duo millia peditum Atilius ab Cn. Sicinio accipere ad eam rem agendam jussus. et P. Lentulo, qui ex Achaia redierat, trecenti[u] milites Italici generis dati, ut [53] Thebis daret operam, ut in potestate Bœotia esset. In Græciam remittitur.

XLVIII. His præparatis, quamquam ad bellum consilia erant destinata, senatum tamen præberi legatis placuit. Eadem fere, quæ in conloquio ab rege dicta erant, [54] relata ab legatis. Insidiarum Eumeni factarum crimen, et maxima cura, et minime tamen probabiliter, (manifesta enim res erat) defensum. Cetera deprecatio erat: sed non eis animis audiebantur, qui aut doceri, aut flecti possent. Denunciatum, extemplo mœnibus urbis Romæ, Italia intra trigesimum diem excederent. P. Licinio deinde consuli, cui Macedonia provincia obvenerat, denunciatum, ut exercitui diem primam quamque diceret ad conveniendum. C. Lucretius prætor, cui classis provincia erat, cum quadraginta quinqueremibus ab urbe profectus: nam ex refectis navibus alias in alium usum retineri ad urbem placuit. Præmissus a prætore est [55] frater Lucretius[x] cum quinquereme una: jussusque, ab sociis ex fœdere acceptis navibus, ad Cephalleniam classi obcurrere. ab Rheginis triremi una, ab Locris duabus, ab Uritibus quatuor, præter oram Italiæ supervectus Calabriæ extremum promontorium in Ionio mari, Dyrrhachium trajicit. Ibi decem ipsorum Dyrrhachinorum, duodecim Issæorum, quinquaginta quatuor Gentii regis lembos nactus, simulans se credere, eos in usum Romanorum comparatos esse, omnibus abductis, die tertio Corcyram, inde protinus in Cephalleniam trajicit. C. Lu- Legati Persei auditi. Excedere Italia jussi. Lucretius Pr. in Græciam navigat.

[t] *eo* del. Gron. Crev. [u] *treceni* Exed. [x] *M. Lucretius* Crev.

52 *Et eodem rursus in Græciam*] Tolle duas postremas voces, manifestum glossema, interpretando τῷ *eodem* inepte additum. Idem plane vitium irrepserat supra l. XXXVII. c. 19. *eodem Adramytteum*, ubi itidem nomen urbis tollendum esse monuimus. Hic videtur præterea excidisse numerus quinqueremium.

53 * *Thebis*] Thebis manens, Thebas tenens.

54 * *Relata*] Iterata.

55 *Frater M. Lucretius*] In vulgatis hic prætoris frater caret prænomine. Restitutum ei est hoc loco ex auctoritate Gronovii, qui observavit eum appellari M. Lucretium, infra c. 56.

U. C. 581. A. C. 171. cretius prætor ab Neapoli profectus, superato freto, die quinto in Cephalleniam transmisit. Ibi stetit classis, simul opperiens, ut terrestres copiæ trajicerentur, simul, ut onerariæ, ex agmine suo per altum dissipatæ, consequerentur.

Licinius Cos. proficiscitur in Macedoniam.

XLIX. Per hos forte dies P. Licinius consul, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab urbe profectus est. Semper quidem ea res cum magna dignitate ac majestate geritur: præcipue tamen convertit oculos animosque, quum ad magnum nobilemque, aut virtute aut fortuna, hostem, euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim non [56] officii modo cura, sed etiam studium spectaculi, ut videant ducem suum, cujus imperio consilioque [57] summam rempublicam tuendam permiserunt. Subit deinde cogitatio animum, qui belli casus, quam incertus fortunæ eventus, communisque Mars belli sit: adversa, secunda, quæque inscitia et temeritate ducum clades sæpe acciderint; quæ contra bona prudentia et virtus adtulerit. Quem scire mortalium, utrius mentis, utrius fortunæ consulem ad bellum mittant? triumphantemne mox cum exercitu victore scandentem Capitolium ad eosdem Deos, a quibus proficiscatur, visuri; an hostibus eam præbituri lætitiam sint? Persi autem regi, adversus quem ibatur, famam et bello clara Macedonum gens, et Philippus pater, inter multa prospere gesta Romano etiam nobilitatus bello, præbebat; tum ipsius Persei numquam, ex quo regnum accepisset, desitum belli exspectatione celebrari nomen. cum his cogitationibus omnium ordinum homines proficiscentem consulem prosecuti sunt. Duo consulares tribuni militum cum eo missi, C. Claudius, Q. Mucius; et tres inlustres juvenes, P. Lentulus, et duo Manlii Acidini. alter [58] M. Manlii, alter L. Manlii filius erat. Cum iis consul Brundisium ad exercitum, atque inde, cum omnibus copiis transvectus, ad Nymphæum in Apolloniati agro posuit castra.

Perseus consilium habet.

L. Paucos ante dies Perseus, postquam legati, ab Roma regressi, præciderant spem pacis, consilium habuit. Ibi [59] aliquamdiu diversis sententiis certatum est. Erant, quibus vel stipendium pendendum, si injungeretur, vel agri parte cedendum, si multarent; quidquid denique aliud pacis caussa patiendum esset, non recusandum videretur, nec committendum, ut in aleam tanti casus se regnumque da-

56 *Officii*] Privati: ut cuique cum eo qui proficiscitur privatim aut amicitia, aut cognatio, aut alia aliqua necessitudo est.

57 *Summam rempublicam*] Et hic, quemadmodum supra, c. 33. inversæ erant literæ *P. R.* pro *R. P.*

58 *M. Manlii*] Atqui supra, l. VI. c. 20. memoravit Livius gentis Manliæ decreto cautum esse, ne quis deinde *M. Manlius* vocaretur. Itaque hic vitium est in prænomine.

59 *Aliquamdiu diversis*] Sic recte Sigonius pro *aliquam diversis*.

ret. Si possessio haud ambigua regni maneret, multa diem tempusque adferre posse, quibus non amissa modo recuperare, sed timendus ultro iis esse, quos nunc timeret, posset. Ceterum multo major pars ferocioris sententiæ erat: *Quidquid cessisset, cum eo simul regno protinus cedendum esse,* adfirmabant. *Neque enim Romanos pecunia aut agro egere: sed hoc scire, quum omnia humana, tum maxima quæque et regna et imperia sub casibus multis esse.* [60] *Karthaginiensium opes fregisse sese, et cervicibus eorum præpotentem finitimum regem imposuisse: Antiochum progeniemque ejus* [61] *ultra juga Tauri remotum. Unum esse Macedoniæ regnum, et regione propinquum, et quod,* [62] *sicubi populo Romano*[7] *sua fortuna labet, antiquos animos regibus suis videatur posse facere. Dum integræ res* [63] * * *apud animum suum Persea debere, utrum, singula concedendo, nudatus ad extremum opibus extorrisque regno, Samothraciam aliamve quam insulam petere ab Romanis, ubi privatus superstes regno suo in contemtu atque inopia consenescat, malit: an, armatus vindex fortunæ dignitatisque suæ, ita ut viro forti dignum sit, patiatur, quodcumque casus belli tulerit; aut victor liberet orbem terrarum ab imperio Romano. Non esse admirabilius Romanos Græcia pelli, quam Hannibalem Italia pulsum esse. neque, Hercule, videre, qui conveniat, fratri, adfectanti per injuriam regnum, summa vi restitisse; alienigenis bene parto eo cedere.* [64] *Postremo ita bello et pace quæri, ut inter omnes conveniat, nec turpius quidquam esse, quam sine certamine cessisse regno: nec præclarius quidquam, quam pro dignitate ac majestate omnem fortunam expertum esse.*

U. C. 581. A. C. 171.

LI. Pellæ, in vetere regia Macedonum, hoc consilium erat. *Geramus ergo,* inquit, *Diis bene juvantibus, quando ita videtur, bellum:* literisque circa præfectos dimissis, Citium (Macedoniæ oppidum est) copias omnes contrahit. ipse centum hostiis sacrificio regaliter [65] Minervæ, quam

7 *populus Romanus* Gron. Crev.

60 *Carthaginiensium opes fregisse sese*] Vox *sese* redundat, et videtur nata esse ex vitiosa repetitione ultimarum litterarum verbi præcedentis.

61 *Ultra juga Tauri remotum*] Hic quoque, ut c. 42. supra, magis placeret *emotum*.

62 *Sicubi populus Romanus sua fortuna labet*] Recte videtur emendare Clericus, *Sicubi populo Romano sua fortuna labet.* Atque id quidem eo facilius admitti debet, quod *P. R.* aut additis pauculis litteris *Pop. Rom.* scribere vulgo solebant.

63 *Sint cogitare*] Has duas voces adjicit Sigonius explendo sensui.

64 *Postremo ita bello et pace quæri*] Locus corruptus: cujus sensum ægre, verba nullomodo assequi nos posse speramus. Ceterum ex particulis *ita . . ut* videtur inferri posse, aliquid priore membro dictum fuisse, quod aliquatenus adversaretur iis quæ in secundo membro dicuntur: prorsus quasi priori membro præfixum esset *τὸ quamvis,* alteri *tamen.* Itaque suspicamur hanc fuisse Livii mentem, ut significare voluerit, ita potiorem esse bello pacem, *ut* tamen *inter omnes conveniat, etc.*

65 *Minervæ, quam vocant Alcidem*] Probabilis videtur Turnebi conjectura, qui legit *Alcidemum,* id est, populi ro-

U. C. 581. A. C. 171. Copiæ Persei.

vocant Alcidem, confecto, cum purpuratorum et satellitum manu profectus Citium est. eo jam omnes Macedonum externorumque auxiliorum convenerant copiæ. Castra ante urbem ponit, omnesque armatos [66]in campo struxit. [67]Summa omnium quadraginta millia armata fuere: quorum pars ferme dimidia phalangitæ erant. [68]Hippias Berœæus præerat. Delecta deinde et viribus et robore ætatis, ex omni cætratorum numero, duo erant agemata: hanc ipsi legionem vocabant. Præfectos habebant Leonatum et Thrasippum [69]Eulyestas. Ceterorum cætratorum trium ferme millium hominum, dux erat Antiphilus Edessæus. Pæones, et ex [70]Parorea et Parstrymonia (sunt autem ea loca subjecta Thraciæ) et Agrianes, admixtis etiam [71]Thracibus incolis, trium millium ferme et ipsi expleverunt numerum. Armaverat contraxeratque eos Didas Pæon, qui adolescentem Demetrium occiderat. Et armatorum duo millia Gallorum erant, præfecto Asclepiodoto. Ab Heraclea ex Sintiis tria millia Thracum liberorum suum ducem habebant. Cretensium par pene numerus suos duces sequebatur: Susum Phalasarneum et Syllum Gnossium. Et Leonides Lacedæmonius quingentis ex Græcia, mixto generi hominum, præerat. Regii is generis ferebatur; exsul, damnatus frequenti concilio Achæorum, literis ad Persea deprensis. Ætolorum et Bœotorum, qui non explebant plus quam quingentorum omnes numerum, Lyco Achæus præfectus erat. Ex his mixtis tot populorum, tot gentium auxiliis, duodecim millia armatorum ferme efficiebantur. Equitum ex tota Macedonia contraxerat tria millia. Venerat eodem Cotys, Seuthæ filius, rex gentis Odrysarum, cum mille delectis equitibus, pari ferme peditum numero. Summa totius exercitus triginta novem millia peditum erant, quatuor equitum. Satis constabat, [72]secundum eum exercitum, quem Magnus Alex-

bur. In hanc mentem eum deduxerunt alia quædam Minervæ cognomina huic affinia, ut Λαόσως, populi salus, Ἀλκιμάχη, fortiter pugnans.

66 *In campo struxit*] Melius videretur Gronovio *instruxit*.

67 *Summa omnium*] Vel hic intelligendi sunt soli pedites, vel numerus male conceptus est, legendumque *quadraginta tria millia*. Vid. hoc ipso capite versus finem.

68 *Hippias Berœæus*] Olim *Berœus*: ut et infra legebatur *Antiphilus Edisæus* pro *Edessæus*. Utrumque nomen correxit idem Sigonius.

69 *Eulyestas*] Turnebus, *Elymiotas*. Forte *Lyncestas*. GRONOVIUS.

70 *Parorea*] Hoc nomen ex vi vocabuli exprimit regionem montibus propinquam. *Parstrymonia* regio est ad Strymonem.

71 * *Thracibus incolis*] Thracibus qui in Agrianum regionem transierant, ibique habitabant.

72 *Secundum eum exercitum quem Magnus Alexander*] Ita loquitur Livius, quasi Alexandri exercitus Persei copias vel superasset numero, vel certe æquasset. Constat tamen ex scriptorum omnium consensu, ipsum illum exercitum Orbis domitorem minus militum habuisse, quam quot secum Perseus ducebat. Plutarcho auctore in Alexandro, copiarum ejus numerum qui maximum edidere, tradunt fuisse quatuor et triginta millium peditum equitum quatuor. Justinus, l. XI. 6. triginta duo ei peditum millia tum

ander in Asiam trajecit, numquam ullius Macedonum regis copias tantas fuisse. U. C. 581. A. C. 171.

LII. Sextus et vicesimus annus agebatur, ex quo petenti Philippo data pax erat: per id omne tempus quieta Macedonia et progeniem ediderat, cujus magna pars matura militiæ esset, et levibus bellis Thracum adcolarum, quæ exercerent magis, quam fatigarent, sub assidua tamen militia fuerat: et diu meditatum Philippo primo, deinde et Persi, Romanum bellum, omnia ut instructa parataque essent, effecerat. Mota parumper acies, ([73]non justo decursu tamen) ne stetisse tantum in armis viderentur: armatosque, sicut erant, ad concionem vocavit. Ipse constitit in tribunali, circa se habens filios duos: quorum major Philippus, natura frater, adoptione filius; minor, quem Alexandrum vocabant, naturalis erat. Cohortatus est milites ad bellum: [74]injuriam populi Romani in patrem seque commemoravit: *Illum, omnibus indignitatibus compulsum ad rebellandum, inter adparatum belli fato obpressum: ad se simul legatos, simul milites ad occupandas Græciæ urbes missos. Fallaci deinde conloquio per speciem reconciliandæ pacis extractam hiemem, ut tempus ad comparandum haberent. Consulem nunc venire cum duabus legionibus Romanis, quæ[75] ** trecenos equites habeant, et pari ferme numero sociorum peditum equitumque. Eo ut accedant regum auxilia Eumenis et Masinissæ, non plus septem millia peditum, duo equitum futura. Auditis hostium copiis, respicerent suum ipsi exercitum; quantum numero, quantum genere militum præstarent tironibus, raptim ad id bellum conscriptis, ipsi, a pueris eruditi artibus militiæ, tot subacti atque durati bellis. Auxilia Romanis Lydos, et Phrygas, et Numidas esse: sibi Thracas, Gallosque, ferocissimas gentium. Arma illos habere ea, quæ sibi quisque paraverit pauper miles: Macedonas promta ex regio adparatu, per tot annos patris sui cura et inpensa facta. Commeatum illis quum procul, tum omnibus sub casibus maritimis fore: se et pecuniam et frumentum, præter reditus metallorum, in decem annos seposuisse. Omnia, quæ Deorum indulgentia, quæ regia*

Oratio Persei ad milites.

buit, quatuor millia et quingentos equites: quam sententiam videtur ipse secutus esse Livius, l. IX. c. 19. Vid. et Freinshem. qui ex priscis monumentis rem diligenter exsequitur, Suppl. in Curtium, l. II. c. 3.

73 *Non justo decursu tamen, ne stetisse tantum*] Transponit Muretus: *non justo decursu tamen; tantum, ne stetisse in armis viderentur.* GRONOVIUS. *Non decurrerunt plane: id tantum edidere motus, quod necesse erat ut non stetisse in armis omnino quieti viderentur.

74 *Injuriam populi Romani*] Magis placeret *injurias.* Libro II. c. 38. *Veteres populi Romani injurias, cladesque gentis Volscorum.*

75 *Singulæ sena millia peditum et trecenos equites*] Quinque primas voces inseruit Clericus ex mente Gronovii. Manifestum erat aliquid hoc loco deesse. Cur enim Perseus de solis equitibus mentionem faceret. *Trecenos* reposuit Sigonius pro *tricenos.*

U. C. 581. A. C. 171.

cura præparanda fuerant, plena cumulataque habere Mace-nas. animum habendum esse, quem habuerint majores eoru qui, Europa omni domita, transgressi in Asiam, incogniti famæ aperuerint armis orbem terrarum: nec ante vincere c sierint, quam [76] *Rubro mari inclusis, quod vincerent, defuer At, Hercule, nunc non de ultimis Indiæ oris, sed de ips Macedoniæ possessione certamen fortunam indixisse. C patre suo gerentes bellum Romanos* [77] *speciosum Græciæ li randæ tulisse titulum. nunc propalam Macedoniam in servi tem petere, ne rex vicinus imperio sit Romano, ne gens be nobilis arma habeat. Hæc enim tradenda superbis domi esse cum rege regnoque, si absistere bello, et facere impera velint.*

LIII. Quum per omnem orationem satis frequenti a sensu subclamatum esset; tum vero ea vociferatio, sim indignantium minitantiumque, partim jubentium bonu animum habere regem, exorta est, ut finem dicendi facer [78] tantum jussis ad iter parare[z], (jam enim dici, movere c tra ab Nymphæo Romanos) concione dimissa, ad audie das legationes civitatium Macedoniæ se contulit. venera autem ad pecunias, pro facultatibus quæque suis, et frume tum pollicendum ad bellum. Omnibus gratiæ actæ, rem sum omnibus; satis regios adparatus ad ea dictum sub cere: vehicula tantum imperata, ut tormenta, telorumq missilium ingentem vim præparatam, bellicumque aliud i strumentum veherent. Profectus inde toto exercitu, Eo dæam[a] petens, ad Begorritem, quem vocant, lacum posit castris, postero die in Elimeam ad Haliacmona fluvium pr cessit. Deinde saltu angusto superatis montibus, qu Cambunios vocant, descendit [79] ad (Tripolim vocant) Az rum, [80] Pythium, et Dolichen incolentes. Hæc tria oppid paullisper cunctata, quia obsides Larissæis dederant, vic tamen præsenti metu, in deditionem concesserunt. Benigi his adpellatis, haud dubius Perrhæbos quoque idem fact ros, [81] urbem, nihil cunctatis, qui incolebant, primo advent recipit. [82] Cyretias oppugnare coactus[b], primo etiam d

Macedoniæ civitates pecuniam obferunt.

It in Thessaliam.

[z] *parari* Crev. [a] *Eordeam* Gron. Crev. [b] *conatus* Gron.

76 *Rubro mari*] Id est, Indico. Veteres Rubri maris nomine non intelligebant solummodo Arabicum sinum, cui nunc soli hæc appellatio remansit, sed et Persicum sinum, teste Plinio, l. VI. c. 24. atque etiam Indicum mare: ut patet ex hoc loco, et ex Curtio l. VIII. c. 9. in descriptione Indiæ.

77 *Speciosum . . . tulisse titulum*] Gronovius legit *prætulisse*.

78 *Tantum jussis ad iter parari*] Sigonius emendavit, quum prius legeretur *parare*.

79 * *Ad (Tripolim vocant) Azorum incolentes*] Ad incolentes Azorum, P thium, et Dolichen, quam quidem r gionem Tripolim vocant. *Tripolis* v Græca est, indicans regiunculam t bus oppidis habitatam.

80 *Pythium*] Vulgo *Pythoum*. M tavit Sigonius ex Plutarcho in Paul et Stephano.

81 *Urbem, nihil cunctatis*] Pa excidisse nomen urbis.

82 *Cyretias oppugnare coactus*] S habuit vetus exemplar. Sigonius j

acri concursu ad portas armatorum est repulsus: postero die omnibus copiis adortus, [83] in deditionem omnes ante noctem accepit. U.C. 561. A.C. 171.

LIV. Mylæ, proximum oppidum, ita munitum, ut inexsuperabilis munimenti spes incolas ferociores faceret, non portas claudere regi satis habuerunt, sed [84] probris quoque in ipsum Macedonasque procacibus jaculati sunt. quæ res, quum infestiorem hostem ad obpugnandum fecisset, ipsos desperatione veniæ ad tuendos sese acrius accendit. Itaque per triduum ingentibus utrimque animis et obpugnatæ sunt, et defensæ. Multitudo Macedonum ad subeundum in vicem prœlium haud difficulter succedebat: oppidanos, diem, noctem eosdem tuentes mœnia, non vulnera modo, sed etiam vigiliæ et continens labor conficiebat. quarto die quum et scalæ undique ad muros erigerentur, et porta vi majore obpugnaretur; oppidani depulsi muris ad portam tuendam concurrunt, eruptionemque repentinam in hostes faciunt. quæ quum iræ magis inconsultæ, quam veræ fiduciæ virium esset, pauci et fessi ab integris pulsi terga dederunt; fugientesque per patentem portam hostes acceperunt. Ita capta urbs ac direpta est. libera quoque corpora, quæ cædibus superfuerunt, venumdata. Diruto magna ex parte et incenso oppido profectus, ad Phalannam castra movit: inde postero die Gyrtonem pervenit. Quo quum T. Minucium Rufum et Hippiam, Thessalorum prætorem, cum præsidio intrasse accepisset, ne tentata quidem obpugnatione, prætergressus, [85] Elatiam et Gonnum, perculsis inopinato adventu oppidanis, recepit. Utraque oppida in faucibus sunt, quæ Tempe adeunt; magis Gonnus. itaque et firmiore id præsidio tutum equitum peditumque, ad hoc fossa tripliei ac vallo munitum, reliquit. Ipse, ad Sycurium progressus, opperiri ibi hostium adventum statuit: simul et frumentari passim exercitum jubet in subjecto hostium agro. namque Sycurium est sub radicibus Ossæ montis. qua in meridiem vergit, subjectos habet Thessaliæ campos: ab

sit legi *conatus*, quæ infelix emendatio plerosque editos occupavit. Perspicium tamen est primo nihil minus convenire huic loco, quam verbum *conatus*. Non enim Cyretias Perseus oppugnare conatus est, sed et oppugnavit revera, et cepit. Deinde non minus clarum est, verbum *coactus* hic apprimè quadrare. Urbem in Perrhæbis Perseus primo adventu receperat. At non eadem facilitate Cyretiis potitus est. Eas oppugnare est coactus, atque etiam primo die repulsus est.

83 *In deditionem omnes ante noctem accepit*] Vox *omnes* nullum hic locum habet: ac facile crediderimus eam male natam esse ex propinqua voce *omnibus*, quæ reperitur in præcedenti membro.

84 *Probris . . . jaculati sunt*] Gronovius observat usitatius dici *jaculari aliquid*, vel pro scopo, ut *Dextera sacras jaculatus arces*; vel pro telo, ut *jaculatus puppibus ignes*. Itaque legit vel *probra . . . jaculati sunt*, vel, si utique *probris* retineatur, *joculati*.

85 *Elatiam et Gonnum*] Sua his urbibus restituit nomina Sigonius. Prius legebatur *Velatias et Connum*.

U.C. 581. A.C. 171.

tergo Macedoniam atque Magnesiam. Ad has opport tates accedit summa salubritas et copia, pluribus cir jectis fontibus, perennium aquarum.

Cos. ad regem vadit.

LV. Consul Romanus, per eosdem dies Thessaliam exercitu petens, iter expeditum primo per Epirum hal deinde, postquam in Athamaniam est transgressus, aspe prope invii soli, cum ingenti difficultate parvis itiner ægre Gomphos pervenit: cui si, vexatis hominibus e que, tironem exercitum ducenti acie instructa et loco s tempore obstitisset rex, ne Romani quidem abnuunt, na sua cum clade fuisse pugnaturos. Postquam Gom sine certamine ventum est, præter gaudium periculosi s superati, contemtus quoque hostium, adeo ignorantium portunitates suas, accessit. Sacrificio rite perfecto, co et frumento dato militibus, paucos ad requiem jumento hominumque moratus dies, quum audiret vagari Maced effusos per Thessaliam, vastarique sociorum agros, satis refectum militem ad Larissam ducit. Inde, quum tria lia ferme abesset a Tripoli, (Sceam vocant) super Pen amnem posuit castra. Per idem tempus Eumenes ad C cidem navibus accessit cum Attalo atque Athenæo fr bus, Philetæro fratre relicto Pergami ad tutelam r inde cum Attalo et quatuor millibus peditum, mille e tum, ad consulem venit. Chalcide relicta duo millia tum, quibus Athenæus præpositus. Et alia eodem au Romanis ex omnibus undique Græciæ populis convener quorum pleraque (adeo parva erant) in oblivionem addi Apolloniatæ trecentos equites, centum pedites miser Ætolorum [86]alæ unius instar, quantum in tota gente e tum erat, venerant: et [87]Thessalorum omnis equitatus s ratus erat. non plus quam trecenti erant equites in ca Romanis. Achæi juventutis suæ, Cretico maxime arm ad mille dederunt.

Eumenis adventus.

Alia auxilia.

Lucretius Pr. in Bœotia.

LVI. Sub idem tempus et C. Lucretius prætor, qui vibus præerat ad Cephalleniam, M. Lucretio fratre classe [88]super Maleam Chalcidem jusso petere, ipse t mem conscendit, sinum Corinthium petens ad præoccu das in Bœotia res. tardior ei navigatio propter infirmit corporis fuit. M. Lucretius, Chalcidem adveniens, qu P. Lentulo Haliartum obpugnari audisset, nuncium, pr ris verbis, qui abscedere eum inde juberet, misit. Bo

86 * *Alæ unius instar*] Ex vi verborum, imago ac species unius alæ: id est, una propemodum ala. *Ala* apud Romanos trecentorum ferme equitum erat.

87 *Thessalorum omnis equitatus separatus erat*] Huc illuc sparsus: quia nempe, quum in Thessalia bellu reretur, per omnem regionem dis erant sese, ut varias ejus partes a sus præsentem hostem tuerentur.

88 * *Super Maleam*] Superando leam promontorium.

rum juventute, quæ pars cum Romanis stabat, eam rem ad- U. C. 581.
gressus legatus, a mœnibus abscessit. Hæc soluta obsidio A. C. 171.
locum alteri novæ obsidioni dedit. namque extemplo M. Lucretius cum exercitu navali, decem millibus armatorum, ad hoc duobus millibus regiorum, qui sub Athenæo erant, Haliartum circumsedit: parantibusque jam obpugnare, supervenit a Creüsa prætor. Ad idem fere tempus et ab sociis naves Chalcidem convenerunt: duæ Punicæ quinqueremes, duæ ab Heraclea ex Ponto triremes, quatuor Chalcedone, totidem Samo, tum quinque Rhodiæ quadriremes. Prætor, quia nusquam erat maritimum bellum, remisit sociis. et Q. Marcius Chalcidem navibus venit, Alope capta, Larissa, quæ Cremaste dicitur, obpugnata. Quum hic status in Bœotia esset, Perseus, quum ad Sycurium (sicut ante dictum est) stativa haberet, frumento undique circa ex agris convecto, ad vastandum agrum Pheræorum misit: ratus ad juvandas sociorum urbes longius ab castris abstractos deprehendi Romanos posse. Quos quum eo tumultu nihil motos animadvertisset, [89]prædam quidem, præterquam hominum, (pecora autem maxime omnis generis fuere) divisit ad epulandum militibus.

LVII. Sub idem deinde tempus consilium et consul et rex habuerunt, unde bellum ordirentur. [90]Regis creverunt animi vastatione concessa sibi ab hoste Pheræi agri. itaque eundum inde ad castra, nec dandum ultra spatium cunctandi, censebat. Et Romani censebant, cunctationem suam infamem apud socios esse, maximopere indigne ferentes, non latam Pheræis opem. Consultantibus, quid agerent, (aderant autem Eumenes et Attalus in consilio) trepidus nuncius adfert, hostem magno agmine adesse. Consilio dimisso, signum extemplo datur, ut arma capiant. Interim placet, ex regiis auxiliis centum equites et parem numerum jaculatorum peditum exire. [91]Perseus hora ferme diei quarta, quum paullo plus mille passus abesset a castris Romanis, consistere signa peditum jussit. [92]prægressus ipse cum equitibus ac levi armatura, et Cotys cum eo ducesque aliorum auxiliorum præcesserunt. Minus quingentos passus ab castris aberant, quum in conspectu fuere hostium equites: duæ alæ erant magna ex parte Gallorum, (Cassignatus præerat) et levis armaturæ centum fere et quinquaginta Mysi aut Cretenses. Constitit rex, incertus quantum esset hostium. Perseus in Romanos ducit.

89 *Prædam quidem*] Vacat particula quidem. Gronovius suspicatur legendum, *prædæ quod erat.*

90 *Regis creverunt animi*] Magis placeret: *Regi creverant animi.*

91 *Perseus hora ferme diei quarta*] Adjecit Sigonius vocem *hora*, quæ commode abesse non poterat.

92 *Prægressus ipse . . . et Cotys cum eo ducesque . . . præcesserunt*] Manifestum est vacare ultimam vocem.

U.C. 581. A. C. 171. Equestre prœlium.

Duas inde ex agmine turmas Thracum, duas Macedonum, cum binis Cretensium cohortibus et Thracum, misit. Prœlium, quum pares numero essent, neque ab hac aut illa parte nova auxilia subvenirent, incerta victoria finitum est. Eumenis ferme triginta interfecti; inter quos Cassignatus dux Gallorum cecidit. et tunc quidem Perseus ad Sycurium copias reduxit. postero die circa eamdem horam in eumdem locum rex copias admovit, plaustris cum aqua sequentibus, nam duodecim millium passuum via omnis sine aqua, et plurimi pulveris erat: adfectosque siti, si [93]primo in conspectu dimicassent, pugnaturos fuisse adparebat. Quum Romani quiessent, stationibus etiam intra vallum reductis, regii quoque in castra redeunt. Hoc per aliquot dies fecerunt, sperantes fore, ut Romani equites abeuntium novissimum agmen adgrederentur. inde certamine orto, quum longius a castris eos elicuissent, facile, ubiubi essent, se, qui equitatu et levi armatura plus possent, conversuros aciem.

Perseus equitatum omnem ad castra hostium ducit.

LVIII. Postquam inceptum non succedebat, castra propius hostem movit rex, et a quinque millibus passuum communiit. inde, luce prima in eodem, quo solebat, loco peditum acie instructa, equitatum omnem levemque armaturam ad castra hostium ducit. Visus et plurium et propior solito pulvis trepidationem in castris Romanis fecit. Et primo vix creditum nuncianti est, quia prioribus continuis diebus numquam ante horam quartam hostis adparuerat. tum solis ortus erat. Deinde ut plurium clamore et cursu a portis dubitatio exemta est, tumultus ingens oboritur. tribuni, præfectique, et centuriones in prætorium; miles ad sua quisque tentoria discurrit. Minus quingentos passus a vallo instruxerat Perseus suos circa tumulum, quem Callicinum vocant. Lævo cornu Cotys rex præerat cum omnibus suæ gentis: equitum ordines levis armatura interposita distinguebat. In dextro cornu Macedones erant equites: intermixti turmis eorum Cretenses. [94]Huic armaturæ Milo Bercœæus, equitibus et summæ partis ejus Meno Antigonensis præerat. [95]Proximi cornibus constiterant regii equites, et mixtum genus, delecta plurium gentium auxilia: [96]Patrocles Antigonensis hic[c] et Pæoniæ præfectus Didas erant præpositi. Medius omnium

[c] *his* Crev.

93 * *Primo in conspectu*] Statim atque hostis conspectus erat. Ad pugnam die proxime præcedenti affecti siti venissent, si statim atque conspexerant hostem dimicassent. Ceterum non explicat Livius, cur aut unde sitim, intervallo facto, levarint.

94 *Huic armaturæ*] Milo, sive Midon, sic enim olim hic legebatur, præerat levi armaturæ Cretensium. Equitibus præerat Meno Antigonensis, et insuper summam imperii in hac parte id est, in dextro cornu, habebat.

95 * *Proximi cornibus*] Intellige hos locatos fuisse inter cornua et medium aciem, in qua rex erat.

96 *Patrocles Antigonensis his*] Sic jussit legi Gronovius. Vulgo *hic*.

rex erat. circa eum [97]agema, quod vocant, equitumque [98]sacræ alæ. Ante se statuit funditores jaculatoresque: quadringentorum manus utraque numerum expleverat. Ionem Thessalonicensem et Timanora Dolopem iis præfecit. sic regii constiterant. [99]Consul, intra vallum peditum acie instructa, et ipse equitatum omnem cum levi armatura misit[d]. pro vallo instructi sunt. Dextro cornu præpositus C. Licinius Crassus, consulis frater, cum omni Italico equitatu, velitibus intermixtis: sinistro M. Valerius Lævinus sociorum ex Græcis populis equites habebat, ejusdem gentis levem armaturam. Mediam autem aciem [1]cum delectis equitibus extraordinariis tenebat Q. Mucius. ducenti equites Galli ante signa horum instructi, et de auxiliis Eumenis Cyrtiorum gentis trecenti. Thessali quadringenti equites parvo intervallo [2]super lævum cornu locati. Eumenes rex Attalusque cum omni manu sua ab tergo inter postremam aciem ac vallum steterunt. U.C. 581. A.C. 171. Consulis acies.

LIX. In hunc modum maxime instructæ acies, par ferme utrimque numerus equitum ac levis armaturæ, concurrunt, a funditoribus jaculatoribusque, qui præcesserunt, prœlio orto. Primi omnium Thraces, haud secus quam diu claustris retentæ feræ, concitati cum ingenti clamore in dextrum cornu, Italicos equites, incurrerunt; ut usu belli et ingenio inpavida gens turbaretur. gladiis hastas petere pedites, nunc succidere crura equis, nunc ilia subfodere. [3]Perseus, in mediam invectus aciem, Græcos primo inpetu Prœlium.

[d] *emisit* Gron. Crev.

97 *Agema*] Sic vocavit Livius, lib. XXXVII. c. 40. alam mille equitum: supra c. 51. pedestrem manum, cetratorum nempe legionem. Suidæ *agema* est agmen antecedens regem, e selectis equitibus et peditibus. * Hic potius equites intelligendi videntur. Pugna enim de qua agitur, plane equestris fuit; nec pedites habuit, nisi leviter armatos.

98 *Sacræ alæ*] Vid. not. 28. ad c. 66. infra.

99 *Consul intra vallum*] Olim *proconsul*. Correxit Sigonius.

1 *Cum delectis equitibus extraordinariis*] Qui sint equites *extraordinarii*, explicavimus ad l. XXVII. c. 12. Ceterum vox *delectis* hic suspecta nobis est. Neque enim *extraordinarii* equites tam multi erant, ut pars eorum sufficeret ad tuendam mediam aciem. Itaque vox *delectis* videtur eradenda esse, tanquam apposita ab aliquo, qui exponere voluerit sensum vocis *extraordinariis*. Nisi forte legendum est, *cum delectis equitibus et extraordinariis*. Docet enim Polybius, l. VI. morem fuisse, ut ex equitibus extraordinariis rursum aliqui deligerentur, quos vocat ipse ἐπιλέκτων ἀπολέκτους, *ex extraordinariis delectos*, qui semper in castris, in agmine, consulibus præsto essent. Hos igitur poterimus hic intelligere, si adjiciamus particulam *et*: sicque et mitior, et fortasse verior erit emendatio.

2 * *Super lævum cornu*] Ultra lævum cornu, in subsidiis: quod disertis verbis exprimitur in ipsius pugnæ narratione.

3 * *Perseus in mediam invectus aciem, Græcos . . . avertit*] Græci non tenebant mediam consulis aciem, sed lævum cornu. Itaque, si nihil hic peccavit librariorum incuria, necesse est ut Perseus intelligatur, post tentatam mediam hostium aciem, invectus esse in lævum cornu.

U. C. 581. A. C. 171.

avertit: quibus quum [4] gravis ab tergo instaret hostis; Thessalorum equitatus, qui a lævo cornu brevi spatio disjunctus in subsidiis fuerat extra concursum, primo spectator certaminis, deinde, inclinata re, maximo usui fuit. Cedente senim sensim integris ordinibus, postquam se Eumenis auxiliis adjunxerunt, et cum eo tutum inter ordines suos receptum sociis fuga dissipatis dabant, et, quum minus conferti hostes instarent, progredi etiam ausi, multos fugientium obvios exceperunt. Nec [5] regii, sparsi jam ipsi passim sequendo, cum ordinatis et certo [6] incedentibus gradu manus conserere audebant. [7] Quum, victor equestri prœlio rex parvo momento si adjuvisset, debellatum esset, opportune [8] adhortanti supervenit phalanx, quam sua sponte, ne audaci cœpto [9] deessent, Hippias et Leonatus raptim adduxerant, postquam prospere pugnasse equitem acceperunt. Fluctuante rege inter spem metumque tantæ rei conandæ, Cretensis Evander, quo ministro Delphis ad insidias Eumenis regis usus erat, postquam [10] agmen inpeditum venientium sub signis vidit, ad regem adcurrit, et monere institit, *ne elatus felicitate summam rerum temere in non necessariam aleam daret. Si contentus bene re gesta quiesset eo die, vel pacis honestæ conditionem habiturum, vel plurimos belli socios, qui fortunam sequerentur, si bellare mallet.* In hoc consilium pronior erat animus regis. Itaque, conlaudato Evandro, signa referri, peditumque agmen redire in castra jubet; equitibus receptui canere.

Rex equestri prœlio victor.

Receptui canit.

LX. Cecidere eo die ab Romanis ducenti equites, duo millia, haud minus, peditum; capti ferme ducenti equites. ex regiis autem viginti equites, quadraginta pedites interfecti. Postquam rediere in castra victores, omnes quidem

4 *Gravis*] Sic edidere Gronovii. Quædam aliæ editiones *gravius:* minus concinne. Idem mendum irrepserat supra l. XXVII. c. 4. atque inde sublatum est, auctoribus scriptis.

5 *Regii, sparsi jam ipsi*] Macedones, qui et ipsi, dum sequuntur fugientes, ordines solverant. Nihil in hunc locum, utpote clari admodum sensus, annotassemus, nisi Dujatius *regios* intellexisset Eumenis milites.

6 *Incedentibus*] Primum exemplar habuit *incidentibus*. Emendavit Sigonius.

7 *Quum, victor equestri prœlio rex . . si adjuvisset, debellatum esset*] Potest quidem exponi: Quum debellatum esset, si rex, qui victor jam equestri prœlio erat, parvo momento adjuvisset. Mallemus tamen cum Sigonio et Gronovio legere: *debellaturus esset.*

8 *Adhortanti*] Si adhortabatur suos Perseus ad peragendam victoriam, cur igitur tam bona occasione segniter usus est? An legemus, *adhuc stanti*, nedum receptui canere jubenti? quod paulo post fecit.

9 *Deessent*] Sic maluit Sigonius. Vetus exemplar *deesset*. Sed parum interest.

10 *Agmen impeditum*] Observa Perizonius phalangem nullo modo *impeditam* dici potuisse, quæ supra c. 58 dicitur stetisse instructa eo loco quo solebat, parata ad pugnam, ut ex tota narratione patuit. Itaque legit *agmen peditum*. Paulo post de eadem phalange: *peditumque agmen redire in castra jubet.*

æti, ante alios Thracum insolens lætitia eminebat: cum cantu enim [11] superfixa capita hostium portantes redierunt. Apud Romanos non mœstitia tantum ex male gesta re, sed pavor etiam erat, ne extemplo castra hostis adgrederetur. Eumenes suadere, ut trans Peneum transferret castra; ut pro munimento amnem haberet, dum perculsi milites animos colligerent. Consul moveri flagitio timoris fatendi: victus tamen ratione, silentio noctis transductis copiis, castra in ulteriore ripa communit. Rex, postero die ad lacessendos prœlio hostes progressus, postquam trans amnem in tuto posita castra animadvertit, fatebatur quidem peccatum, quod pridie non institisset victis; sed aliquanto majorem culpam esse, quod nocte foret cessatum. nam, ut neminem alium suorum moveret, levi armatura inmissa, trepidantium in transitu fluminis hostium deleri magna ex parte copias potuisse. Romanis quidem præsens pavor demtus erat, in tuto castra habentibus: damnum inter cetera præcipue famæ movebat. et in consilio apud consulem pro se quisque in Ætolos conferebant caussam; *ab iis fugæ terrorisque principium ortum. secutos pavorem Ætolorum et ceteros socios Græcorum populorum.* Quinque principes Ætolorum primi terga vertentes conspecti dicebantur. Thessali pro concione laudati, ducesque eorum etiam virtutis caussa donati.

U. C. 581. A. C. 171.

Cos. trans Peneum castra transfert.

LXI. Ad regem spolia cæsorum hostium referebantur. dona ex his, aliis arma insignia, aliis equos, quibusdam captivos dono dabat. scuta erant supra mille quingenta[e]; loricæ thoracesque [12] mille amplius summam explebant; galearum gladiorumque et missilium omnis generis major aliquanto numerus. Hæc, per se ampla, pleraque multiplicata verbis regis, quæ ad concionem vocato exercitu habuit. *Præjudicatum eventum belli habetis. Meliorem partem hostium, equitatum Romanum, quo invictos se esse gloriabantur, fudistis. Equites enim illis principes juventutis, equites seminarium senatus: inde lectos in Patrum numerum consules, inde imperatores creant. horum spolia paullo ante divisimus inter vos. Nec minorem de legionibus peditum victoriam habetis. quæ, nocturna fuga vobis subtractæ, naufragorum trepidatione passim natantium flumen compleverunt. Sed facilius nobis sequentibus victos Peneum superare erit, quam illis trepidantibus fuit; transgressique extemplo castra obpugnabimus, quæ hodie cepissemus, ni fugissent. Aut, si acie decernere volent, eumdem*

Perseus suos donat.

[e] *quingena* Gron.

11 *Superfixa capita*] Videtur excidisse *hastis*, aut aliud teli nomen. Gronovius.

12 *Mille amplius summam*] Non intelligimus, cur Gronovius voluerit reponi *millenûm*. Optime enim procedere videtur hæc oratio: Loricæ thoracesque explebant summam *mille* thoracum loricarumque, et amplius.

U. C. 581. A. C. 171. *pugnæ pedestris eventum exspectate, qui equitum in certamine fuerit.* Et qui vicerant alacres, spolia cæsorum hostium humeris gerentes, [13] ante ora sua audivere, ex eo, quod acciderat, spem futuri præcipientes: et pedites, aliena gloria accensi, præcipue qui Macedonum phalangis erant, sibi quoque et navandæ regi operæ, et similem gloriam ex hoste pariendi, occasionem optabant. Concione dimissa, postero die profectus inde [14] ad Mopsium posuit castra. tumulus hic inter Tempe et Larissam medius est.

LXII. Romani, non abscedentes ab ripa Penei, transtulerunt in locum tutiorem castra. Eo Misagenes Numida venit cum mille equitibus, pari peditum numero, ad hoc elephantis duobus et viginti. Per eos dies consilium habenti regi [15] de summa, quum jam consedisset ferocia ab re bene gesta, ausi sunt quidam amicorum consilium dare, ut secunda fortuna [16] in conditione honestæ pacis uteretur potius, quam, spe vana evectus, in casum inrevocabilem se daret. *Modum inponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati præsentis fortunæ, prudentis hominis et merito felicis esse. Mitteret ad consulem, qui fœdus in easdem leges renovarent, quibus Philippus pater ejus pacem a T. Quinctio victore accepisset.* [17] *Neque finiri bellum magnificentius, quam a tam memorabili pugna; neque spem firmiorem pacis perpetuæ dari, quam quæ perculsos adverso prœlio Romanos molliores factura sit ad paciscendum. Quod si Romani tum quoque insita pertinacia æqua adspernarentur, Deos hominesque et moderationis Persei, et illorum pervicacis superbiæ, futuros testes.* Numquam ab talibus consiliis abhorrebat regis animus. itaque plurium adsensu comprobata est sententia. Legati, ad consulem missi, adhibito frequenti consilio, auditi sunt. *Pacem petere, vectigal, quantum Philippus pactus esset,* [18] *daturum Persea Romanis* pollicentes. *urbibus, agris, locisque, quibus Philippus cessisset,* [19] *cessurum primum.* hæc legati. Submotis his, quum consultarent, Romana constantia vicit in consilio. Ita tum mos erat, in adversis vultum secundæ fortunæ gerere, moderari animos in secundis. Responderi placuit, *Ita*

Perseus pacem petit.

13 *Ante ora sua*] Lege cum Gronovio . . *gerentes, facinora,* vel *decora sua audivere.*

14 *Ad Mopsium*] Correctio Sigonii, Stephano auctore nixa. Prius *ad Mopselum.*

15 * *De summa*] De universo bello. Videtur excidisse vel *re,* vel *rerum.*

16 *In conditione*] Recte hic quoque Gronovius: *in conditionem honestæ pacis:* * ut honestæ pacis conditio impetraretur.

17 *Neque finiri bellum magnificentius*] Omnino hic desideramus *posse.*

18 *Daturum Persea Romanis pollicentes*] Ultimum verbum videtur esse a mala manu, quæ Livio succurrere voluerit, ne nimirum hiaret oratio. Innumerabilia in loca, talia adminicula infulserat correctorum ignorantia. Vid. supra l. XXX. c. 7. et l. XXXVI. c. 7. Hoc quoque eliminemus licet.

19 *Cessurum primum*] Bene Gronovius: *cessurum et ipsum.*

pacem dari, si de summa rerum liberum senatui permittat rex de se deque universa Macedonia statuendi jus. Hæc quum renunciassent legati, miraculo ignaris moris pertinacia Romanorum esse; et plerique vetare, amplius mentionem pacis facere. ultro mox quæsituros, quod oblatum fastidiant. Perseus hanc ipsam superbiam, quippe ex fiducia virium esse, timere: et, summam pecuniæ augens, si pretio pacem emere posset, non destitit animum consulis tentare. Postquam nihil ex eo, quod primo responderat, mutabat, desperata pace, ad Sycurium, unde profectus erat, rediit, belli casum de integro tentaturus. U. C. 581. A. C. 171. Frustra.

LXIII. Fama equestris pugnæ, vulgata per Græciam, nudavit voluntates hominum. non enim solum, qui partis Macedonum erant, sed plerique, ingentibus Romanorum obligati beneficiis, [20] quidam vim superbiamque experti, læti eam famam accepere: non ob aliam caussam, quam pravo studio, quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur [21] deteriori atque infirmiori favendo. Eodem tempore in Bœotia summa vi Haliartum Lucretius prætor obpugnarat: et, quamquam nec habebant externa auxilia obsessi, præter Coronæorum juniores, qui prima obsidione mœnia intraverant, neque sperabant, tamen ipsi animis magis, quam viribus, resistebant. nam et eruptiones in opera crebro faciebant: et arietem admotum, libramento plumbi gravatum, ad terram urguebant: [22] et, si qua declinarent, qui agebant, ictum, pro diruto muro novum tumultuario opere, raptim [23] ex ipsa ruinæ[f] strage congestis saxis, exstruebant. Quum operibus obpugnatio lentior esset, scalas per manipulos dividi prætor jussit, ut corona undique mœnia adgressurus; eo magis subfecturam ad id multitudinem ratus, quod, qua parte palus urbem cingit, nec adtinebat obpugnari, nec poterat. Ipse ab ea parte, qua duæ turres, quodque inter eas muri prorutum fuerat, duo millia militum delectorum admovit; ut eodem tempore, quo ipse transcendere ruinas conaretur, concursu adversus se oppidanorum facto, scalis vacua defensoribus mœnia capi parte aliqua possent. Haud segniter oppidani vim ejus arcere parant. nam super

Græci favent Perseo.

Haliarti obpugnatio.

[f] *ruinæ* del. Gron.

20 *Quidam vim superbiamque experti*] Recte Gronovius existimat excidisse, *Macedonum:* vel, si malueris, *Persei*, aut *regis*. Hic enim Livius loquitur de iis quos Perseo favisse mirum videri debeat. Nec vero ille in Romanos tam asperis verbis uteretur.

21 *Deteriori atque infirmiori favendo*] Scribe *favendi*. Adhæret enim hoc verbum τῷ *studio*. GRONOVIUS.

22 *Et, si qua declinarent, qui agebant, ictum*] Et, si qua declinarent ictum molis illius plumbeæ, qui agebant arietem, ac proinde aliquam muri partem proruerent . . .

23 *Ex ipsa ruinæ strage*] Gronovianæ editiones omittunt vocem *ruinæ*, quæ exstat in prima omnium editione, et apud Sigonium, teste Hearnio.

U.C. 581. A.C. 171.

stratum ruinis locum, fascibus aridis sarmentorum injectis, stantes cum ardentibus fascibus accensuros ea se sæpe minabantur, ut, incendio [24] intersepti ab hoste, spatium ad objiciendum interiorem murum haberent. Quod inceptum eorum fors inpediit. nam tantus repente effusus est imber, ut nec accendi facile pateretur, et exstingueret accensa. Itaque et transitus per distracta fumantia virgulta patuit; et, in unius loci præsidium omnibus versis, mœnia quoque pluribus simul partibus scalis capiuntur. In primo tumultu captæ urbis seniores inpubesque [g], quos casus obvios obtulit, passim cæsi: armati in arcem confugerunt: et postero die, quum spei nihil superesset, deditione facta, sub corona venierunt. Fuerunt autem duo millia ferme et quingenti: ornamenta urbis statuæ et tabulæ pictæ, et quidquid pretiosæ prædæ fuit, ad naves delatum: urbs diruta a fundamentis. [25] Inde Thebas ductus exercitus: quibus sine certamine receptis, urbem tradidit exsulibus, et qui Romanorum partis erant: adversæ factionis hominum, fautorumque regis ac Macedonum [26] familias sub corona vendidit. his gestis in Bœotia, ad mare ac naves rediit.

Perseus frustra castra Romana incendere vult.

LXIV. Quum hæc in Bœotia gererentur, Perseus ad Sycurium stativa dierum aliquot habuit. Ubi quum audisset, raptim Romanos circa ex agris demessum frumentum convehere, deinde ante sua quemque tentoria spicas fascibus [h] desecantem, quo purius frumentum tereret, ingentes acervos per tota castra stramentorum fecisse: ratus incendio opportuna esse, faces, tædamque, et malleolos stuppæ inlitos pice parari jubet: atque ita media nocte profectus, ut prima luce adgressus falleret. Nequidquam. primæ stationes obpressæ tumultu ac terrore suo ceteros exciverunt: signumque datum est arma extemplo capiendi; simulque in vallo, ad portas, miles instructus erat, et intentus propugnationi castrorum. Perseus et extemplo circumegit aciem, et prima inpedimenta ire, deinde peditum signa ferri jussit. ipse cum equitatu et levi armatura substitit ad agmen cogendum; ratus, id quod accidit, insecuturos ad extrema ab tergo carpenda hostes. Breve certamen levis armaturæ maxime cum procursatoribus fuit. equites pedites-que sine tumultu in castra redierunt. Demessis circa sege-

g *impuberesque* Gron. Crev. h *falcibus* Eæd.

24 *Intersepti*] Conjectura Florebelli a Sigonio adoptata. Prius *intercepti*.

25 *Inde Thebas ductus exercitus*] Atqui supra c. 44. Thebani memorantur decrevisse ut tolleretur regia societas, et fidei legatorum Romanorum civitatem commendavisse: et c. 46. tentati a Perseo, nihil moti sunt. Vel igitur hic alicujus alterius civitatis nomen posuerat Livius, vel aliquid omisit de Thebanis, unde nosse possemus, cur adversus eos Romanus exercitus ducatur.

26 *Familias*] Servos et bona. Vid. not. 45. ad l. III. c. 55. supra.

ıs, Romani ad Cranonium[1] intactum agrum castra mo- U. C. 581.
t. Ibi quum securi, et propter castrorum longinquita- A. C. 171.
, et viæ inopis aquarum difficultatem, quæ inter Sycu-
a et Cranona est, stativa haberent; repente prima luce
aminentibus tumulis equitatus regius cum levi armatura
ıs ingentem tumultum fecit. Pridie per meridiem profecti
Sycurio erant: peditum agmen sub lucem reliquerant in
ıima planitie. Stetit paullisper in tumulis, elici posse
ıs ad equestre certamen Romanos: qui postquam nihil
rebant, equitem mittit, qui pedites referre ad Sycurium
ıa juberet; ipse mox insecutus. Romani equites, modico
rvallo sequentes, sicubi sparsos ac dissipatos invadere
ıent, postquam confertos abire, signa atque ordines ser-
tes, viderunt, et ipsi in castra redeunt.

.XV. Inde, obfensus longinquitate itineris, rex ad Mop-
n castra movit; et Romani, demessis Cranonis segeti-
, in Phalannæum agrum transeunt. Ibi quum ex trans-
a cognosset rex, sine ullo armato præsidio passim
antes per agros Romanos metere, cum mille equi-
ıs, duobus millibus Thracum et Cretensium profec-
, quum, quantum adcelerare poterat, effuso agmine
nt, inproviso adgressus est Romanos. juncta vehicula,
taque onusta, mille admodum capiuntur, sexcenti
ne homines. Prædam custodiendam ducendamque in
tra trecentis Cretensium dedit. ipse, revocato ab effusa
le equite et reliquis peditum, ducit ad proximum præ-
um, ratus haud magno certamine obprimi posse. L.
npeius tribunus militum præerat, qui perculsos milites
entino hostium adventu in propinquum tumulum recepit,
se præsidio, quia numero et viribus inpar erat, defensu-
. Ibi quum in orbem milites coëgisset, ut densatis scu-
ab jactu sagittarum et jaculorum sese tuerentur, Perseus,
umdato armatis tumulo, alios adscensum undique ten-
: jubet, et cominus prœlium conserere, alios eminus
ingerere. Anceps Romanos terror circumstabat:
n neque conferti pugnare propter eos, qui adscendere in
ıulum conabantur, poterant: et, ubi ordines procursando
rissent, patebant jaculis sagittisve. Maxime [27] cestro- Cestro-
ıendonis vulnerabantur. hoc illo bello novum genus teli sphendonæ descriptio.

[1] *Crannonium* Gron. Crev.

[27] *Cestrosphendonis*] Hujus teli de-
iptio quæ sequitur, aliquid habet
ıcuri: sed multam ei lucem affe-
nt Græca Polybii verba, ex quibus
ivius eam expressit. Illa leguntur
pud Suidam, et referuntur a Lipsio, l.
V. Poliorcet. dial. 3. qui ea vertit hoc
ıodo: *Cestrus. Novum hoc inven-
um bello Persico. Ipsum spiculum
bipalme fuit, tubulum habens æqualem
mucroni. Huic hastile ligneum inser-
tum erat, longitudine spithamæ men-
suram æquans, crassitie, digiti. In
hujus medium tres pinnulæ e ligno in-
figebantur, plane breves. Hoc in fun-
da, quæ duo funalia imparia habebat,
in medio utrorumque, amento leviter,
et ita ut facile solvi posset, ligatum,*

U. C. 581. A. C. 171. inventum est. Bipalme spiculum hastili semicubitali infixum erat, crassitudine digiti: huic ad libramen pinnæ tres, velut sagittis solent, circumdabantur: funda media duo funalia inparia habebat. cum majori sinu libratum funditor habena rotaret, excussum, velut glans, emicabat. Quum et hoc, et alio omni genere telorum, pars vulneratâ militum esset, nec facile jam arma fessi sustinerent, instare rex, ut dederent se, fidem dare, præmia interdum polliceri: nec cujusquam ad deditionem flectebatur animus; quum ex insperato jam obstinatis mori spes adfulsit. Nam quum ex frumentatoribus refugientes quidam in castra nunciassent consuli, circumsideri præsidium; motus periculo tot civium (nam octingenti ferme, et omnes Romani erant) cum equitatu ac levi armatura (accesserant nova auxilia, Numidæ pedites equitesque et elephanti) castris egreditur: et tribunis militum imperat, ut legionum signa sequantur. Ipse, velitibus ad firmanda levium armorum auxilia adjectis, ad tumulum præcedit. consulis latera tegunt Eumenes, Attalus, et Misagenes, regulus Numidarum.

LXVI. Quum in conspectu prima signa suorum circumsessis fuerunt, Romanis quidem ab ultima desperatione recreatus est animus: Perseus, cui primum omnium fuerat, ut, contentus fortuito successu, captis aliquot frumentatoribus occisisque, non tereret tempus in obsidione præsidii; secundum, ea quoque tentata utcumque, quum sciret nihil roboris secum esse, dum liceret intacto, abire; et ipse hostium adventum, elatus successu, mansit, et, qui phalangem arcesserent, propere misit. qua et serius, quam res postulabat, et raptim acta, turbati cursu adversus instructos et præparatos

imponebatur. Tum igitur in circumactione fundæ intentis funalibus manebat. Quum vero alterum solveretur in emissione, excidens amento suo, velut glans e funda, ferebatur, et cum impetu incidens, quidquid incurrisset valde lædebat. Ad rei totius pleniorem expositionem, multa addit Lipsius: ex quibus pauca mutuabimur, plurimis omissis. Ait Livius *cestrosphendonen* hoc telum dictum: recte. Etsi in Suida pars una vocis modo est, *cestrus*. Atqui solitaria ea duntaxat *veruculum* et breve telum notat. Compositio Liviana mixtum hoc complectitur, et *telum e funda missum*. *Bipalme spiculum*, id est, semipedale. Sed in Græco hoc distinctius additur, ipsum mucronem palmi fuisse: auliscum, sive tubulum, item palmi. *Hastile semicubitale:* Polybio σπιθαμιαῖον. Spithama enim est dimidia pars cubiti, dodrans pedis. Adduntur pinnæ tres, quas Græcus monet e ligno fuisse. *Funda media* est ipsum fundæ medium; latius illud, cui telum sedet. Funalia duo imparia videntur ex Polybio intelligenda, non duo ex utraque parte; sed utrimque unum, alterum brevius. In hanc mentem nos ducunt hæc Polybii verba: *quum alterum e funalibus solveretur in emissione:* quæ videntur indicare, duo omnino fuisse funalia, quorum alterum solveretur, altero retento. Cur autem unum brevius fuerit altero, non satis perspicuum nobis est: nisi forte illud quod remanere debebat in manu funditoris, ideo longius erat, ut certius teneri posset. *Majore sinu* interpretatur Lipsius, majore quam vulgatæ fundæ habere solent. Postremo notandum est id quod a Polybio diserte expressum Livius omisit, de amento, quo telum utiliter illigabatur, ne caderet in rotatu, tum ut vehementius emitterentur.

unt adventuri. Consul anteveniens extemplo prœlium U. C. 581.
nseruit. Primo resistere Macedones; deinde, ut nulla re A. C. 171.
res erant, amissis trecentis[k] peditibus, viginti quatuor pri-
oribus equitum [28] ex ala, quam Sacram vocant, inter quos
ntimachus etiam præfectus alæ cecidit, abire conantur.
sterum iter prope ipso prœlio tumultuosius fuit. Pha-
nx, abs trepido nuncio adcita, quum raptim duceretur,
rimo in angustiis captivorum agmini oblata vehiculisque
umento onustis: [29] iis cæsis, [30] ingens ibi vexatio partis
triusque fuit, nullo exspectante, utcumque[l] explicaretur
gmen, sed armatis detrudentibus per præceps inpedimenta,
eque enim aliter via aperiri poterat) jumentis, quum stimu-
rentur, in turba sævientibus. Vix ab incondito agmine
aptivorum expedierant sese, quum regio agmini perculsis-
ue equitibus obcurrunt. Ibi vero clamor jubentium refer-
signa ruinæ quoque prope similem trepidationem fecit:
t, si hostes, introïre angustias ausi, longius insecuti essent,
agna clades accipi potuerit. Consul, recepto ex tumulo
præsidio, contentus modico successu, in castra copias redu-
it. Sunt, qui eo die magno prœlio pugnatum auctores sint.
cto millia hostium cæsa, in his Sopatrum et Antipatrum
egios duces: vivos captos circiter duo millia octingentos,
gna militaria capta viginti septem. Nec incruentam vic-
riam fuisse: supra quatuor millia et trecentos de exercitu
onsulis cecidisse: signa [31] sinistræ alæ quinque amissa.

LXVII. Hic dies et Romanis refecit animos, et Persea Perseus in
erculit, ut, dies paucos ad Mopsium moratus, sepulturæ Macedo-
axime militum amissorum cura, præsidio satis valido ad niam redit.
onnum relicto, in Macedoniam reciperet copias. Timo-
heum quemdam ex regiis præfectis cum modica manu re-
inquit ad Philam, jussum Magnetas et propinquos tentare.
Quum Pellam venisset, exercitu in hiberna dimisso, ipse
um Cotye Thessalonicam est profectus. Eo fama adfertur,
Atlesbim regulum Thracum, et Corragum Eumenis præfec-
tum, in Cotyis fines inpetum fecisse: et regionem, Marenen
quam vocant, cepisse. Itaque, dimittendum Cotyn ad sua
tuenda ratus, magnis proficiscentem donis prosequitur.

k *trecenis* Gron.

l [*dum*] *utcumque* Crev.

28 Ex *ala quam Sacram vocant*] Jam mentio facta est Sacrarum alarum supra c. 58. rursusque fiet infra l. XLIV. c. 42. Suspicamur illas equitum alas circa ipsum regem solitas esse pugnare, ei tuendo speciatim addictas, unde et ipsis fortasse *Sacrarum* nomen inditum. Nec aliam esse ducimus *regiam alam*, memoratam Livio l. XXXVII. c. 40.

29 *Iis cæsis*] Si hoc referas ad vehicula, ineptum est; si ad captivos, parum verisimile. Aliquid mendi latere videtur.

30 *Ingens ibi vexatio partis utriusque*] Tum phalangis, tum Cretensium, qui deducebant captivos et prædam. In iis quæ sequuntur particula *dum* ex Gronovii mente adjecta est.

31 *Sinistræ alæ*] Sinistri sociorum peditum corporis.

U. C. 581. A. C. 171. Cos. in hiberna se confert.

[32]ducenta talenta, semestre stipendium, equitatui numerat; [33]quum primo annuum dare constituisset. Consul, postquam profectum Persea audivit, ad Gonnum castra movet, si potiri oppido posset. Ante ipsa Tempe in faucibus situm, Macedoniæ claustra tutissima præbet, et in Thessaliam opportunum Macedonibus decursum. Quum et loco et præsidio valido [34]inexpugnabilis res esset, abstitit incepto. In Perrhæbiam flexis itineribus, Mallœa primo inpetu capta ac direpta, Tripoli aliaque Perrhæbia recepta, Larissam rediit. inde Eumene atque Attalo domum remissis, Misagenem Numidasque in hiberna in proximis Thessalis[m] urbibus distribuit. et partem exercitus ita per totam Thessaliam divisit, ut et hiberna commoda omnes haberent, et præsidio urbibus essent. Q. Mucium legatum cum duobus millibus ad obtinendam Ambraciam misit. Græcarum civitatium socios omnes præter Achæos dimisit: cum exercitus parte profectus in Achaiam Phthiotim, Pteleum desertum fuga oppidanorum diruit a fundamentis, Antrona voluntate colentium recepit. Ad Larissam deinde exercitum admovit. urbs deserta erat; in arcem omnis multitudo concesserat: eam obpugnare adgreditur. Primi omnium Macedones, regium præsidium, metu excesserant. iis quibus relicti oppidani in deditionem extemplo veniunt. Dubitari inde, utrum Demetrias prius adgredienda foret, an in Bœotia [35]adspiciendæ[n] res. Thebani, vexantibus eos Coronæis, in Bœotiam arcessebant. ad horum preces, quia hibernis aptior regio, quam Magnesia erat, in Bœotiam duxit.

[m] *Thessaliæ* Gron. Crev.

[n] *adipiscendæ* Eæd.

32 *Ducenta talenta*] Marcas argenti nostrates 18750.

33 *Quum primo annuum dare constituisset*] Semestre tantum stipendium numeravit, quamvis primo pollicitus esset solidum iis totius anni stipendium persolutum iri. Hac re notatur Persei avaritia.

34 *Inexpugnabilis res*] Lege cum Gronovio *urbs*.

35 *Adipiscendæ res*] Displicet *adipiscendæ*. An *adspiciendæ*? quemadmodum supra c. 37. *Inde Bœotiam atque Eubœam adspicere jussi*.

EPITOME LIBRI XLIII.

ÆTORES aliquot, eo quod avare et crudeliter provincias ·nistrassent, damnati sunt. P. Licinius Crassus proconsul ·lures in Græcia urbes expugnavit, et crudeliter diripuit. ·l captivi, qui ab eo sub corona venierant, ex senatus-·ulto postea restituti sunt. Item a præfectis [1] *classium anarum multa inpotenter in socios facta. Res præ- ·a Perseo rege in Thracia prospere gestas continet,* [2] *vic- ·ardanis et Illyrico, cujus rex erat Gentius. Motus, qui ·ispania ab Olonico factus erat, ipso interemto consedit. Æmilius Lepidus a censoribus princeps in senatu lectus.*

·lassium Romanarum] Sic An- Sigonius, aliique: melius quam ·do Gronovianæ editiones ha- Romanorum.

·ictis Dardanis, et Illyrico, cujus ·t Gentius] Hæc parum accura- t, sive in librariis culpa, sive in ipso epitomarum auctore resideat. Aliquot Illyriorum oppida cepit Perseus, ut memoratur infra capp. 18. 19. et 20. At non vicit Illyricum; multo minus eam Illyrici partem cujus rex erat Gentius, quem in societatem belli perlicere summopere studebat.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XLIII.

U. C. 581. A. C. 171. Gesta in Illyrico.

EADEM æstate, qua in Thessalia [1] equestri pugna v Romani, [2] legatus, in Illyricum a consule missus, opu duo oppida vi atque armis coëgit in deditionem: omni iis sua concessit, ut opinione clementiæ eos, qui Car tem munitam urbem incolebant, adliceret. postquam ut dederent se, compellere, neque capere obsidendo erat; ne duabus obpugnationibus nequidquam fatigatu les esset, [3] quas prius intactas urbes reliquerat, diripuit.

Cassii Cos. res gestæ.

ter consul C. Cassius nec in Gallia, quam sortitus memorabile quidquam gessit: et per Illyricum ducer giones in Macedoniam vano incepto est conatus. In sum hoc iter consulem senatus ex Aquileiensium le cognovit: qui, querentes coloniam suam novam et mam, necdum satis munitam, inter infestas nationes Istr et Illyriorum esse, quum peterent, ut senatus curæ hal quomodo ea colonia muniretur, interrogati, vellentne rem C. Cassio consuli mandari? responderunt, Cas Aquileiam indicto exercitu, profectum per Illyricu Macedoniam esse. Ea res primo incredibilis visa: e se quisque credere, Carnis forsitan aut Istris bellum tum. Tum Aquileienses, nihil se ultra scire, nec a adfirmare, quam triginta dierum frumentum militi da et duces, qui ex Italia itinera in Macedoniam nossent, quisitos abductosque. Enimvero senatus indignari, tum consulem ausum, ut suam provinciam relinquer alienam transiret; exercitum novo periculoso itinere exteras gentes duceret, viam tot nationibus in Italiam riret. Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius præto ex senatu nominet legatos, qui eo die proficiscant

1 *Equestri pugna vicere Romani*] Victi fuerant Romani eo prælio quod describitur c. 59. libri præcedentis: superiores fuere eo quod refertur c. 66. Itaque legit Gronovius: *equestri pugna primum victi, deinde vicere Romani.* Sed quum prior pugna major multo clariorque fuerit, quam posterior, credimus Livium potius scripsisse: *equestri pugna victi fuere Romani.*

2 *Legatus in Illyricum* . . Excidit nomen legati. Non suspicatur Sigonius Q. Mucium de quo paulo ante mentio facta tremo libro XLII.

3 *Quas prius intactas urbes*] *quam prius intactam urbem.* mutavit, quia duo oppida cap rant.

urbe; et quantum adcelerare possent, Cassium consulem, ubicumque sit, persequantur; nuncient, ne bellum cum ulla gente moveat, nisi cum qua senatus gerendum censuerat. [4]Legati hi profecti, M. Cornelius Cethegus, M. Fulvius, P. Marcius Rex. Metus de consule atque exercitu distulit eo tempore muniendæ Aquileiæ curam. U.C. 581. A.C. 171.

II. Hispaniæ deinde utriusque legati aliquot populorum in senatum introducti. Ii, de magistratuum Romanorum avaritia superbiaque conquesti, nisi genibus ab senatu petierunt, ne se socios fœdius spoliari vexarique, quam hostes, patiantur. Quum et alia indigna quererentur, manifestum autem esset, pecunias captas; L. Canuleio prætori, qui Hispaniam sortitus erat negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias peterent, quinos [5]recuperatores ex ordine senatorio daret, patronosque, quos vellent, sumendi potestatem faceret. Vocatis in curiam legatis recitatum est senatusconsultum, jussique nominare patronos: quatuor nominaverunt, M. Porcium Catonem, P. Cornelium Cn. F. Scipionem, [6]L. Æmilium L. F. Paullum, C. Sulpicium Gallum. [7]Cum M. Titinio primum, qui prætor A. Manlio, M. Junio consulibus in citeriore Hispania fuerat, recuperatores sumserunt. Bis ampliatus, tertio absolutus est reus. Dissensio inter duarum provinciarum legatos est orta: citerioris Hispaniæ populi M. Catonem et Scipionem; ulterioris L. Paullum et Gallum Sulpicium patronos sumserunt. Ad recuperatores adducti a citerioribus populis P. Furius Philus, ab ulterioribus M. Matienus. Ille Sp. Postumio, Q. Mucio consulibus triennio ante, hic biennio prius, L. Postumio, M. Popillio consulibus, prætor fuerat. Gravissimis criminibus accusati ambo ampliatique: quum dicenda de integro caussa esset, excusati exsilii caussa solum vertisse. Furius Præneste, Matienus Tibur exsulatum abierunt. Fama erat, prohiberi a patronis nobiles ac potentes compellare; auxitque eam suspicionem Canuleius prætor, quod, omissa ea re, delectum habere instituit. dein repente in provinciam abiit, ne plures ab Hispanis vexarentur. Ita, præteritis silentio obliteratis, in futurum consultum ab senatu Hispanis, quod impetrarunt, [8]ne frumenti Hispanorum querelæ de Mag. Rom.

4 *Legati hi profecti*] Sic edidere Gronovii. Prius *legati ii*; unde Sigonius efficiebat *legati III.* id est *tres*.

5 *Recuperatores*] Vid. not. 52. ad l. XXVI. c. 48.

6 *L. Æmilium, L. F.*] Vetustiores editiones, et indices ex iis confecti, præferunt *M. F.*

7 *Cum M. Titinio . . recuperatores sumpserunt*] Recuperatores sibi dari postularunt, qui inter se et M. Titinium disceptarent; M. Titinio litem intenderunt apud recuperatores.

8 *Ne frumenti æstimationem*] Duo videntur hic distingui frumenti genera, æstimatum et emptum, de quibus fuse disserit Cic. in Verr. l. III. Primo quidem magistratibus Romanis frumentum in cellam, id est, in domesticum usum, a provincialibus sumere

U. C. 581. A. C. 171. æstimationem magistratus Romanus haberet; neve cogeret vicesimas vendere Hispanos, quanti ipse vellet; et ne præfecti in oppida sua ad pecunias cogendas inponerentur.

III. Et alia novi generis hominum ex Hispania legatio venit. ex militibus Romanis et ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes, supra quatuor millia hominum, orabant, ut sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decrevit, *uti nomina sua apud L. Canuleium profiterentur:* [9] *eorumque si quos manumisisset, eos Carteiam ad oceanum deduci placere.* [10] *Qui Carteiensium domi manere vellent, potestatem fore, uti numero colonorum essent, agro adsignato.* [11] *Latinam eam coloniam fuisse, libertinorumque adpellari.* Eodem tempore ex Africa et Gulussa Masinissæ regis filius, legatus patris, et Karthaginienses venerunt. Gulussa prior in senatum introductus, et, quæ missa erant ad bellum Macedonicum a patre suo, exposuit; et, si qua præterea vellent imperare, præstaturum [12] merito populi Romani est pollicitus: et monuit Patres conscriptos, ut fraude Karthaginiensium caverent. *classis eos magnæ paratæ dæ consilium cepisse; specie pro Romanis, et adversus Macedonas: ubi ea parata instructaque esset, ipsorum fore potestatem, quem hostem aut socium habeant.*

Carteia colonia.

Gulussa et legati Karthaginienses Romæ.

* * *

U. C. 582. A. C. 170. IV. *** tantum pavorem ingressi castra, ostentantes capita, fecerunt, ut, si admotus extemplo exercitus foret, capi castra potuerint. Tum quoque fuga ingens facta est: et

licebat. Ii igitur pro frumento pecuniam sibi numerari jubebant, prædabanturque in eo quod frumentum grandi pretio æstimarent. Unde videntur hic Hispani impetravisse, ut magistratus Romani frumentum ipsum accipere cogerentur, non frumenti æstimationem, id est, pro frumento pecuniam: vel, si quis malit, ne liceret magistratibus Romanis pretium imponere frumento illi quod in cellam sumere poterant, sed, si vellent sibi pro frumento dari pecuniam æstimatione communi et publica uterentur. Alterum frumenti genus est, emptum. Jubebantur nimirum provinciales certam quamdam frumenti sui partem vendere Romanis. In eam rem magistratus pecuniam e publico accipiebant. Sed ut ex ea aliquid in suum quæstum averterent, vilissimo pretio taxabant frumentum illud quod emere debebant. Hispani igitur, qui vicesimas frumenti sui vendere debebant Romanis, hoc impetrant, ne illas vendere cogerentur, quanti vellet magistratus Romanus.

9 *Eorumque si quos manumisisset*] Ex his verbis, et appellatione coloniæ infra, cui nomen imponitur, *Libertinorum colonia*, inferri debet hos servos fuisse, ac proinde natos ex ancillis. Qui enim non ex legitimo matrimonio nascitur, matrem sequitur ex communi gentium jure. Vid. l. I. Institut. Justiniani, tit. 4. Ac proinde hi hybridæ si nati essent ex liberis mulieribus, liberi et ipsi fuissent, nec proinde manumissione opus habuissent.

10 *Qui Carteiensium domi manere vellent*] Simile decretum memoravit Livius de Antiatibus, l. VIII. c. 14.

11 *Latinam eam coloniam fuisse*] Lege cum Gronovio *esse*. Hoc enim ipso tempore illa colonia deducitur.

12 * *Merito populi Romani*] Ut postularent merita populi Romani in Masinissam. Eodem modo locutus est Livius supra XXVIII. 9. *Se vero ea quæ postularent decernere*, Patres, *merito deorum primum, dein secundum deos, consulum*, responderunt.

erant, qui legatos mittendos ad pacem precibus petendam censerent: civitatesque complures, eo nuncio audito, in deditionem venerunt. quibus purgantibus sese, culpamque in duorum amentiam conferentibus, qui se ultro ad pœnam ipsi obtulissent, quum veniam dedisset prætor; profectus extemplo ad alias civitates, omnibus imperata facientibus, quieto exercitu pacatum agrum, qui paullo ante ingenti tumultu arserat, peragravit. Hæc lenitas prætoris, qua sine sanguine ferocissimam gentem domuerat, eo gratior plebi Patribusque fuit, quo crudelius avariusque in Græcia bellatum, et ab consule Licinio et ab Lucretio prætore, erat. Lucretium tribuni plebis absentem concionibus assiduis lacerabant, quum reipublicæ caussa abesse excusaretur: sed tum adeo vicina etiam inexplorata erant, ut is eo tempore in agro suo Antiati esset, aquamque ex manubiis Antium ex flumine Loracinæ duceret. Id opus [15]centum triginta millibus æris locasse dicitur. tabulis quoque pictis ex præda fanum Æsculapii exornavit. Invidiam infamiamque ab Lucretio averterunt [14]in Hortensium successorem ejus Abderitæ legati, flentes ante curiam, querentesque, *oppidum suum ab Hortensio expugnatum ac direptum esse. Caussam excidii fuisse urbi, quod, quum* [15]*centum millia denariûm et* [16]*triciti quinquaginta millia modiûm imperaret,* [17]*spatium petierunt, quo de ea re et ad Hostilium consulem, et Romam mitterent legatos. Vixdum ad consulem se pervenisse, et audisse oppidum expugnatum, principes securi percussos, sub corona ceteros venisse.* [18] Indigna senatui visa: decreveruntque eadem de Abderitis, quæ de Coronæis decreverant priore anno; eademque pro concione edicere [19]Q. Mænium prætorem jusserunt. Et legati duo, C. Sempronius Blæsus, Sex. Julius Cæsar, ad restituendos in libertatem Abderitas missi. Iisdem mandatum, ut et Hostilio consuli et Hortensio prætori nunciarent, senatum Abderitis injustum bellum inlatum, conquirique omnes, qui in servitute sint, et restitui in libertatem, æquum censere.

U. C. 582. A. C. 170.

In Lucretium invehuntur Tr. Pl.

Abderitarum querelæ de Hortensio.

V. Eodem tempore de C. Cassio, qui consul priore anno fuerat, tum tribunus militum in Macedonia cum A. Hosti-

13 *Centum triginta millibus æris*] Assibus 130000. id est, marcis argenti nostratibus circiter 127.

14 *In Hortensium successorem*] Hinc apparet Hortensium hoc anno prætorem fuisse, et classem cum ora Græciæ maritima sortitum esse.

15 *Centum millia denariûm*] Marcas argenti 1562. uncias 4.

16 *Tritici quinquaginta millia modiûm*] Modios Parisienses fere 38542.

17 *Spatium petierunt*] Mallet Gronovius *petierint*.

18 *Indigna senatui visa*] Lege cum eodem vel *Indigna res senatui visa*; vel, *Indigna ea senatui visa*.

19 *Q. Mænium prætorem*] Hic habemus alterius adhuc prætoris nomen: cui jurisdictionem obtigisse patet ex eo quod nunc quoque in urbe sit; peregrinam, ex eo quod collega ejus M. Retius, infra c. 11. ea agat quæ ad prætoris urbani officium pertinebant.

U. C. 582. A. C. 170. Querelæ de Cassio.

lio erat, querelæ ad senatum delatæ sunt, et legati regis Gallorum Cincibili venerunt. Frater ejus verba in senatu fecit, questus, Alpinorum populorum agros sociorum suorum depopulatum C. Cassium esse, et inde multa millia hominum in servitutem abripuisse. Sub id tempus Carnorum Istrorumque et Iapydum legati venerunt: *Duces sibi ab consule Cassio primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monstrarent: pacatum ab se, tamquam ad aliud bellum gerendum, abisse: inde ex medio regressum itinere hostiliter peragrasse fines suos: passim rapinasque et incendia facta: nec se ad id locorum scire, propter quam caussam consules pro hostibus fuerint.* Et regulo Gallorum absenti, et his populis responsum est, *Senatum ea, quæ facta queranturur, neque scisse futura, neque si sint facta, probare. Sed indicta caussa damnari absentem consularem virum, injurium esse, quum is reipublicæ caussa absit. Ubi ex Macedonia rediisset, C. Cassius, tum, si coram eum arguere vellent, cognita re senatum daturum operam, uti satisfiat.* Nec responderi tantum iis gentibus, sed legatos mitti, duos ad regulum trans Alpes, tres circa eos populos placuit, qui indicarent, quæ Patrum sententia esset. Munera mitti legatis ex [20] binis millibus æris censuerunt. duobus fratribus regulis hæc præcipua, torques duo [21] ex quinque pondo auri facti, et [22] vasa argentea quinque ex viginti pondo, et duo equi phaleterati cum agasonibus, et equestria arma ac sagula; et comitibus eorum vestimenta liberis servisque. Hæc missa: illa petentibus data, ut denorum equorum iis commercium esset, educendique ex Italia potestas fieret. legati cum Gallis missi trans Alpes, C. Lælius, M. Æmilius Lepidus: ad ceteros populos C. Sicinius, P. Cornelius Blasio, T. Memmius.

VI. Multarum simul Græciæ Asiæque civitatium legati Romam convenerunt. Primi Athenienses introducti: ii, *se, quod navium habuerint militumque, P. Licinio consuli et C. Lucretio prætori misisse* exposuerunt, *quibus eos non usos* [23] *frumenti sibi centum millia imperasse: quod, quamquam sterilem terram arent, ipsosque etiam agrestes peregrino frumento alerent, tamen, ne deessent officio, confecisse; et alia, quæ imperarentur, præstare paratos esse.* Milesii, nihil præstitisse memorantes, si quid imperare ad bellum senatus vellet, præstare se paratos esse, polliciti sunt. Alabandenses

20 *Binis millibus æris*] Marcis argenti nostratibus 3. uncia 1.

21 *Ex quinque pondo auri*] Septem marcis nostratibus, unciis 6. semuncia 1.

22 *Vasa argentea quinque ex viginti pondo*] Ex marcis nostratibus 81. unciis 2.

23 *Frumenti . . centum millia*] Supple, modiûm. Modios Parisienses fere 77084.

templum Urbis Romæ se fecisse commemoraverunt, ludosque anniversarios ei Divæ instituisse: et [24] coronam auream quinquaginta pondo, quam in Capitolio ponerent, donum Jovi optimo maximo, adtulisse, et scuta equestria trecenta; ea, cui jussissent, tradituros. Donum ut in Capitolio ponere, et sacrificare liceret, petebant. [25] Hoc Lampsaceni, [26] octoginta pondo coronam adferentes, petebant, commemorantes, *Discessisse se a Perseo, postquam Romanus exercitus in Macedoniam venisset, quum sub ditione Persei, et ante Philippi fuissent. Pro eo, et quod imperatoribus Romanis omnia præstitissent, id se tantum orare, ut in amicitiam populi Romani reciperentur: et, si pax cum Perseo fieret, exciperentur,* [27] *ne in regiam potestatem reciperentur.* Ceteris legatis comiter responsum; Lampsacenos in sociorum formulam referre Q. Mænius prætor jussus. munera omnibus in singulos binûm millium æris data. Alabandenses scuta reportare ad A. Hostilium consulem in Macedoniam jussi. Et ex Africa legati [28] simul Karthaginiensium, [29] tritici decies centum millia et [30] hordei quingenta indicantes se ad mare devecta habere, ut, quo senatus censuisset, deportarent. *Id munus officiumque suum scire minus esse, quam pro meritis populi Romani et voluntate sua:* [31] *sed sæpe alias, bonis in rebus utriusque populi, se gratorum fideliumque sociûm muneribus functos esse.* Item Masinissæ legati, tritici eamdem summam polliciti, et mille et ducentos equites, duodecim elephantos: et, si quid aliud opus esset, uti [a] imperaret senatus: æque propenso animo, ac quæ ipse ultro pollicitus sit, præstaturum esse. Gratiæ et Karthaginiensibus et regi actæ; rogatique, ut ea, quæ pollicerentur, ad Hostilium consulem in Macedoniam deportarent. Legatis in singulos binûm millium æris munera missa.

U. C. 582. A. C. 170. Templum Urbis Romæ.

VII. Cretensium legatis, commemorantibus, se, quantum sibi imperatum a P. Licinio consule esset sagittariorum, in

[a] *ut* Gron. Crev.

24 *Coronam auream quinquaginta pondo*] Marcarum nostratium 78. uncias 1.

25 *Hoc Lampsaceni*] Recte Gronovius: *Hoc et Lampsaceni.*

26 *Octoginta pondo*] Marcarum Parisiensium 125.

27 *Ne in regiam potestatem reciperentur*] Lege cum Gronovio *recideret.*

28 *Simul*] Superflua vocula, vel quæ potius indicet pluscula excidisse. Fortassis: *legati simul Carthaginiensium et Masinissæ venerunt: Carthaginiensium, tritici etc.*

29 *Tritici decies centum millia*] Nempe modiûm. Modios nostrates paulo plus 770833. *Hordei quingenta* millia modiûm. Modios nostrates plus 385416.

30 *Hordei quingenta*] Conjectura Sigonii. Vetus exemplar habuit *quinquaginta.*

31 *Sed sæpe alias*] Hæc sane parum cohærent cum iis quæ præcedunt. Tamen possumus ita accipere, ut Carthaginienses mediocritati munerum suorum ideo nunc ignoscendum censeant, quod sæpe alias, quum bonæ essent res utriusque populi, fidelium sociorum officium alacrius impleverint: nunc quum polliciti agerent ob hærentem lateri Masinissam, nihil amplius sese posse præstare.

U. C. 582. A. C. 170. Macedoniam misisse, quum interrogati non inficiarentur, *apud Persea majorem numerum sagittariorum, quam apud Romanos, militare*, responsum est: *Si Cretenses bene ac gnaviter destinarent potiorem populi Romani, quam regis Persei, amicitiam habere, senatum quoque Romanum iis, tamquam certis sociis, responsum daturum esse. Interea nunciarent suis, placere senatui, dare operam Cretenses, ut, quos milites* [32] *intra*[b] *præsidia regis Persei haberent, eos primo quoque tempore domum revocarent.* Cretensibus cum hoc responso dimissis, Chalcidenses vocati; [33] quorum legatio ipso introïtu, ob id quod Mictio[c] princeps eorum pedibus captus lectica est introlatus, ultimæ necessitatis extemplo visa res: [34] in qua ita adfecto excusatio valetudinis, aut ne ipsi quidem petenda visa foret, aut data petenti non esset. Quum sibi nihil vivi reliquum, præterquam linguam ad deplorandas patriæ suæ calamitates, præfatus esset, exposuit civitatis primum suæ benefacta, et vetera, et ea, quæ Persei bello præstitissent ducibus exercitibusque Romanis: tum quæ primo C. Lucretius in populares suos prætor Romanus superbe, avare, crudeliter fecisset: deinde quæ tum cum maxime L. Hortensius faceret. Quemadmodum omnia sibi, etiam iis, quæ patiantur, tristiora, patienda esse ducant potius, quam se dedant Persi. *Quod ad Lucretium Hortensiumque adtineret, scire, tutius fuisse claudere portas, quam in urbem eos accipere.* [35] *Qui*[d] *exclusissent eos, Emathiam, Amphipolim, Maroneam, Ænum, incolumes esse: apud se templa omnibus ornamentis compilata;* [36] *spoliataque sacrilegiis*[e] *C. Lucretium navibus Antium devexisse, libera corpora in servitutem abrepta, fortunas sociorum populi Romani direptas esse, et quotidie diripi. Nam, ex instituto C. Lucretii, Hortensium quoque in tectis hieme pariter atque æstate navales socios habere, et domos suas plenas turba nautica esse; versari inter se, conjuges, liberosque suos,* [37] *quibus nihil neque dicere pensi, neque facere.*

Chalcidenses legati.

Querelæ de Mag. Rom.

[b] *inter* Gron. [c] *Miction* Gron. Crev. [d] *Quæ* Gron. [e] *spoliaque sacrilegii* Crev.

32 *Intra præsidia regis*] Sic prima editio, teste Hearnio, melius quam, ut recentiores, *inter præsidia*. Vid. not. 40. ad l. XXXVIII. c. 11.

33 *Quorum legatio ipso introïtu . . . ultimæ necessitatis extemplo visa res*] Hæc nobis pingue quiddam et inelegans redolent. Libenter legeremus, deleta voce *legatio: Quorum ipso introïtu . . . ultimæ necessitatis extemplo visa res:* ita ut τὸ *quorum* penderet ab his verbis *ipso introïtu*.

34 * *In qua*] Quoniam ita affectus tamque male se habens, aut ipse petendam non existimasset a civibus suis, aut petens non impetrasset, excusatione valetudinis, veniam hujus tam longi tamque laboriosi Chalcide Romam itineris.

35 *Qui exclusissent eos*] Hæc est vetus lectio. Sigonius legi jussit *quæ*, propterea quod nomina urbium sequantur. Sed novum non est urbes poni pro civibus.

36 *Spoliaque sacrilegii*] Hanc Gronovii emendationem admisit in textum Clericus. Vulgo *spoliataque sacrilegiis*.

37 *Quibus nihil neque dicere pensi, neque facere*] Lege cum Sigonio: *qui-*

VIII. Arcessere in senatum Lucretium placuit, ut discep- U. C. 582. taret coram, purgaretque sese. Ceterum multo plura præ- A. C. 170. sens audivit, quam in absentem jacta erant; et graviores potentioresque accessere accusatores duo tribuni plebis, M'.[f] Juventius Thalna et Cn. Aufidius. Ii non in senatu modo eum lacerarunt, sed in concionem etiam pertracto, multis objectis probris, diem dixerunt. Senatus jussu Chal- Senatus cidensibus Q. Mænius prætor respondit: *Quæ bene meritos responsum.* *sese, et ante, et in eo bello, quod geratur, de populo Romano dicant, ea et scire vera eos referre senatum, et, perinde ac debeant, grata esse. Quæ facta a C. Lucretio, fierique ab L. Hortensio prætoribus Romanis querantur; ea neque facta, neque fieri voluntate senatus, quem non posse existimare? qui sciat, bellum Persi, et ante Philippo patri ejus, intulisse populum Romanum pro libertate Græciæ:* [38] *non ut ea a magistratibus sociis atque amicis paterentur. Literas se ad L. Hortensium prætorem daturos esse; quæ Chalcidenses querantur acta, ea senatui non placere: si qui in servitutem liberi venissent, ut eos conquirendos primo quoque tempore, restituendosque in libertatem curaret: sociorum navalium neminem,* [39] *præter magistros, in hospitia deduci æquum censere.* Hæc Hortensio jussu senatus scripta. Munera binûm millium æris legatis missa, et vehicula Mictioni [40] publice locata, quæ eum Brundisium commode perveherent. C. Lucretium, ubi dies, Lucretius quæ dicta erat, venit, tribuni ad populum accusarunt, mul- damnatur. tamque [41] decies centum millium æris dixerunt. Comitiis habitis, omnes quinque et triginta tribus eum condemnarunt.

IX. In Liguribus eo anno nihil memorabile gestum. nam In Liguria nec hostes moverunt arma, neque consul in agrum eorum nihil gestum. legiones induxit: et, satis explorata pace ejus anni, [42] milites duarum legionum Romanarum intra dies sexaginta, quam in provinciam venit, dimisit. sociorum nominis Latini exercitu mature in hiberna Lunam et Pisas deducto, ipse cum equitibus Galliæ provinciæ pleraque oppida adiit. Nusquam alibi, quam in Macedonia, bellum erat: suspec-

[f] *M'.* l. *M.* Crev.

bus nihil neque dicere pensi sit, neque facere: quemadmodum supra l. XLII. c. 23. *Id illi, cui nihil pensi sit, facile esse.*

38 *Non ut ea*] Non ut Græci talia paterentur a magistratibus sociis atque amicis, qualia Chalcidenses ab Lucretio et Hortensio passi fuerant. Gronovius vult legi *socii atque amici*: quod fortasse elegantius videri possit.

39 *Præter magistros*] Videntur hi magistri *sociorum navalium* iidem esse, qui interdum, ut supra l. XXIX. c. 25. *navium magistri* dicuntur: et dignitate gubernatoribus superiores erant, ut colligitur ex l. XLV. c. 42. infra.

40 *Publice locata*] Publica populi Romani impensa præbita, certo pretio redemptoribus condicto.

41 *Decies centum millium æris*] Marcarum argenti Parisiensium 1562. unciarum 4.

42 *Milites . . . dimisit*] Hoc debetur Sigonio. Prius *divisit*.

U.C. 582. A.C. 170. Res in Illyrico gestæ.

tum tamen et Gentium Illyriorum regem habebant. itaque et octo naves ornatas a Brundisio senatus censuit mittendas ad C. Furium legatum Issam, qui cum præsidio duarum Issensium navium insulæ præerat. duo millia militum in eas naves sunt inposita, quæ Q. Mænius prætor ex senatusconsulto in ea parte Italiæ, quæ objecta Illyrico est, conscripsit: et consul Hostilius Ap. Claudium in Illyricum cum quatuor millibus peditum misit, ut adcolas Illyrici [43]tutarentur. qui, non contentus iis, quas adduxerat, copiis, auxilia ab sociis conrogando, ad octo millia hominum vario genere armavit: peragrataque omni ea regione, ad Lychnidum Dassaretiorum consedit.

Ap. Claudius ab Uscanensibus cæsus.

X. Haud procul inde Uscana oppidum finium [44]plerumque Persei erat. decem millia civium habebat, et modicum, custodiæ caussa, Cretensium præsidium. Inde nuncii ad Claudium occulti veniebant: *Si propius copias admovisset, paratos fore, qui proderent urbem. Et operæ pretium esse, non se amicosque tantum, sed etiam milites præda expleturum.* Spes cupiditati admota ita obcæcavit animum, ut nec ex iis, qui venerunt[g], quemquam retineret; nec obsides, pignus futuros furto et fraude agendæ rei, posceret; nec mitteret exploratum; nec fidem acciperet. die tantum statuta profectus a Lychnido, duodecim millia ab urbe, ad quam tendebat, posuit castra. Quarta inde vigilia signa movit, mille ferme ad præsidium castrorum relictis: incompositi, longo agmine effusi, infrequentes, quum nocturnus error dissiparet, ad urbem pervenerunt. Crevit neglegentia, postquam neminem armatum in muris viderunt. Ceterum, ubi primum sub jactu teli fuerunt, duabus simul portis erumpitur; et ad clamorem erumpentium ingens strepitus e muris ortus ululantium mulierum cum crepitu undique æris: et incondita multitudo, turba inmixta servili, variis vocibus personabat. Hic tam multiplex undique objectus terror effecit, ne sustinere primam procellam eruptionis Romani possent. Itaque fugientes plures, quam pugnantes, interemti sunt: vix duo millia hominum cum ipso legato in castra perfugerunt. Quo longius iter in castra erat, eo plures fessos consectandi hostibus copia fuit. Ne moratus quidem in castris Appius, ut suos dissipatos fuga colligeret, (quæ res palatis per agros saluti fuisset) ad Lychnidum protinus reliquias cladis reduxit.

XI. Hæc et alia, haud prospere in Macedonia gesta, ex Sex. Digitio tribuno militum, qui sacrificii caussa Romam

g *venerant* Gron. Crev.

43 *Tutarentur*] Magis placeret *tutaretur*; nempe Ap. Claudius.

44* *Plerumque*] Hoc oppidum in finibus Macedoniæ et Illyrici positum, modo hujus, modo illius ditionis fuerat; sed, ut plurimum, Macedonicæ.

veneraat, sunt audita. Propter quæ veriti Patres, ne quæ U. C. 582.
major ignominia acciperetur, legatos in Macedoniam, M. A. C. 170.
Fulvium Flaccum, et M. Canimium Rebilum, miserunt, qui compérta, quæ agerentur, referrent: et [45] ut A. Hostilius consul comitia consulibus subrogandis ita ediceret, uti mense Januario comitia haberi possent, et ut primo quoque tempore in urbem rediret. Interim [46] M. Ræcio[h] prætori mandatum, ut edicto senatores omnes ex tota Italia (nisi qui reipublicæ caussa abessent) Romam revocaret. Qui Romæ essent, ne quis ultra mille passuum ab Roma abesset[i]. Ea, uti senatus censuit, sunt facta. Comitia consu- Comitia.
laria [47] ante diem quintum Kalendas Septembres fuere. Creati consules sunt Q. Marcius Philippus iterum et Cn. Servilius Cæpio. post diem tertium prætores sunt facti C. Decimius, M. Claudius Marcellus, C. Sulpicius Gallus, C. Marcius Figulus, Ser. Cornelius Lentulus, P. Fonteius Capito. Designatis prætoribus præter duas urbanas, quatuor provinciæ sunt decretæ; Hispania, et Sardinia, et Sicilia, et classis. Legati ex Macedonia, exacto admodum mense Status re-
Februario, redierunt. Hi, quas res ea æstate prospere ges- rum in Ma-
tisset rex Perseus, referebant, quantusque timor socios po- cedonia.
puli Romani cepisset, tot urbibus in potestatem regis redactis. *Exercitum consulis infrequentem commeatibus vulgo datis* [48] *per ambitionem esse: culpam ejus rei consulem in tribunos militum, contra illos in consulem conferre. Ignominiam, Claudii temeritate acceptam,* [49] *elevare eos Patres acceperunt, qui perpaucos Italici generis, et magna ex parte tumultuario delectu conscriptos ibi milites amissos referebant.* Consules designati, ubi primum magistratum inissent, de Macedonia referre ad senatum jussi: destinataeque provinciæ iis sunt Italia et Macedonia. Hoc anno intercalatum est: [50] tertio

[h] *Retio* Gron. Crev. [i] *abeisent* Gron.

45 *Ut A. Hostilius . . . comitia . . . ita ediceret, uti mense Januario comitia haberi possent*] Vacat posterius illud *comitia*, ut observat recte Grotiovius.

46 *M. Reilo prætori mandatum*] Ergo M. Retius prætor urbanus hoc anno fuit. Editi hactenus habent *Recio*. Pighius per diphthongum effert hoc nomen, *Ræcius*. Nobis consultius visum est eam sequi scripturam, quam reperimus l. XXVII. Livii, c. 36. ubi *M. Retius*, fortasse hujus prætoris pater, sic nominatur et scribitur.

47 *Ante diem quintum Kalendas Septembres*] Lege omnino cum Pighio *Kalendas Februarias*. Supra enim dicitur A. Hostilio imperatum, *ita comitia consulibus subrogandis ediceret, uti mense Januario haberi possent*: et infra, post consulum prætorumque comitia, legati ex Macedonia *exacto admodum mense Februario* rediisse memorantur.

48 *Per ambitionem*] Per pravam indulgentiam, captandæ militum gratiæ causa.

49 *Elevare eos Patres acceperunt*] Duo postrema verba dele cum Freinshemio et Gronovio. Sed nihil aliud novandum. Dicunt legati magnam esse cladem eam quæ Ap. Claudii temeritate accepta fuerat: eosque qui referebant perpaucos Italici generis in ea amissos, elevare ac minuere contra rei veritatem illius cladis ignominiam.

50 *Tertio die post Terminalia Ka-*

U. C. 583. A. C. 169. die post Terminalia Kalendæ intercalares fuere. Sacerdotes intra eum annum mortui, [51] L. Flamininus ** pontifices duo decesserunt, L. Furius Philus et C. Livius Salinator. in locum Furii T. Manlium Torquatum, in Livii M. Servilium pontifices legerunt.

Q. Marcio II. Cn. Servilio Cos. Exercitus.

XII. Principio insequentis anni quum consules novi Q. Marcius et Cn. Servilius de provinciis retulissent, primo quoque tempore aut comparare eos inter se Italiam et Macedoniam, aut sortiri placuit: priusquam id sors cerneret, in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in utramque provinciam, quod res desideraret supplementi, decerni. In Macedoniam peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia: equites Romanos ducentos quinquaginta, socios trecentos. Veteres milites dimitti, ita ut in singulas Romanas legiones ne plus sena millia peditum, treceni [k] equites essent. Alteri consuli nullus certus finitus numerus civium Romanorum, quem in supplementum legeret. id modo finitum, ut duas legiones scriberet, quæ quina millia peditum et ducenos haberent, equites trecenos. [52] Latinorum [l] major, quam collegæ, decretus numerus: peditum decem millia et sexcenti equites. quatuor præterea legiones scribi jussæ, quæ, si quo opus esset, educerentur. [53] Tribunos his [m], non permissum, ut consules facerent: populus creavit. Sociis nominis Latini sexdecim millia peditum, et mille equites imperati. Hunc exercitum parari tantum placuit, ut exiret, si quo res posceret. Macedonia maxime

[k] *trecenti* Gron. [l] *Peditum Latinorum* Ead. [m] *iis* Crev.

lendæ Intercalares fuere] *Terminalia*, festus dies dei Termini, de quo vid. not. 12. ad l. I. c. 55. celebrabantur septimo Kal. Martias. *Kalendæ Intercalares* sunt Kalendæ mensis Intercalaris, de quo egimus ad l. I. c. 19. Ceterum hic aliqua est difficultas. Etenim intercalatum esse semper postridie Terminalia colligi videtur ex Varrone, l. V. de Lingua Lat. et ex Macrobio, l. I. Sat. c. 13. Itaque Puteaneus existimat, libro de Bissexto, c. 2. legendum hic esse *postridie Terminalia*. Sed si hic status et solennis fuit dies Kalendis Intercalaribus, ita ut nulla unquam ea in re varietas fuerit, quid attinebat id a Livio notari? Dodwellus Dissert. X. de Cyclis Rom. Sect. 19. et seq. suspicatur, præeunte aliquatenus Macrobio, diem unum a Pontificibus per hunc annum exemptum fuisse, qui dies nunc redditur, ut plenum sit annui orbis spatium, et interponitur inter Terminalia, et Kalendas Intercalares. Quia autem id non semper accidebat, imo hic præter solitum intercalandi morem fiebat, ideo notatur a Livio.

51 *L. Flamininus augur*] Adjecit Sigonius nomen sacerdotii, quo præditum fuisse Flamininum existimat. Nempe l. XXV. c. 2. L. Flamininus fit augur in locum P. Furii Phili. Sed deest etiam nunc hoc loco nomen ejus qui in Flaminini locum suffectus est.

52 *Latinorum major*] Olim *peditum Latinorum*. Gronovius deleri jussit vocem *peditum*, quæ male huc ex subsequente versu immigrarat.

53 *Tribunos iis*] Mallemus *his*. Sensus est: in has quatuor legiones non a consulibus tribuni, sed a populo dati sunt. Nempe initio belli Macedonici, tertio ante hunc anno, permissum fuerat consulibus prætoribusque, ut eo anno tribunos militum facerent. Vid. l. XLII. c. 31. Id et duobus annis qui secuti sunt, videtur esse servatum, nisi quod in hisce quatuor legionibus, de quibus modo actum est, jus suum populus usurpare voluit, et tribunos militum suffragiis creare.

curam præbebat. in classem mille socii navales cives Romani libertini ordinis, ex Italia*[n] scribi jussi; totidem ut ex Sicilia scriberentur: et, cui ea provincia evenisset, mandatum, ut eos in Macedoniam, ubicumque classis esset, deportandos curaret. In Hispaniam tria millia peditum Romanorum in supplementum, trecenti equites decreti. Finitus ibi quoque in legiones militum numerus, peditum quina millia, treceni et triceni[o] equites. Et sociis imperare prætor, cui Hispania obvenisset, jussus quatuor millia peditum, et trecentos equites. U. C. 583. A. C. 169.

XIII. Non sum nescius, ab eadem neglegentia, qua nihil Deos portendere vulgo nunc credant, [54] neque nunciari [55] admodum nulla[p] prodigia in publicum, neque in annales referri. ceterum et mihi, vetustas res scribenti, nescio quo pacto, [56] antiquus fit animus; [57] et quædam religio tenet, quæ illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint, ea pro dignis habere, quæ in meos annales referam. Anagnia duo prodigia eo anno sunt nunciata; facem in cœlo conspectam, et bovem feminam locutam publice ali. Minturnis quoque per eos dies [58] cœli ardentis species adfulserat. Reate imbri lapidavit. Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrimavit. in urbe Romana duo æditui nunciarunt, alter, in æde Fortunæ anguem jubatum a compluribus visum esse: alter, in æde [59] Primigeniæ Fortunæ, quæ in colle est, duo diversa prodigia; palmam in area enatam, et sanguine interdiu pluisse. Duo non suscepta prodigia sunt, alterum quod in privato loco factum esset, palmam enatam inpluvio suo T. Marcius Figulus nunciabat: alterum, quod in loco peregrino, Fregellis in domo L. Atrei hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil ejus ambureret ignis, dicebatur. Publicorum prodigiorum caussa [60] libri a decemviris aditi; quadra- Prodigia.

[n] nota lacunæ abest Gron. Crev. [o] *trecenti et triginta* Eæd. [p] *ulla* Crev.

54 *Neque nunciari admodum ulla prodigia*] Sic edidit obsecutus Gronovio Clericus. Vulgati habent manifestum mendum, *nulla*.

55* *Admodum*] Fere.

56 *Antiquus fit animus*] Quædam editiones *sit*. Sed vetustiores, et ea quoque quæ ab Hearnio adornata est, id habent quod edidimus.

57 *Et quædam religio tenet . . . pro dignis habere*] Videtur legendum esse potius *indignis*. Religioni enim ea habere dicimur, quæ aversamur, quæ facere aut fieri nolumus, non ea quæ præoptamus. Sic l. V. c. 23. *Jovis solisque equis æquiparari dictatorem in religionem etiam trahebant*. Et Ter. Heaut. II. l. 16. *religio est dicere*. * Si quis tamen vulgatam lectionem tueri velit, habet quo nitatur exemplum e l. X. Liviano, c. 27. Vid. ibi not. 55.

58 *Cæli ardentis species affulserat*] Gronovius mallet *effulserat*, ut l. XLI. c. 21. *Tres simul soles effulserunt*.

59 *Primigeniæ*] Olim *Primigenæ*. Correxit Gronovius.

60 *Libri a decemviris aditi . . . . et addiderunt*] Locus fractus, quem hoc modo restituit Gronovius: *Libris decemviri aditis, quadraginta majoribus hostiis quibus diis consules sacrificarent, ediderunt, et uti*. Verbum *ediderunt* hac in re solenne est, nec potest dubi-

U. C. 583. A. C. 169.

ginta majoribus hostiis quibus Diis consules sacrificarent et addiderunt, uti supplicatio fieret, cunctique magistratu circa omnia pulvinaria victimis majoribus sacrificarent, populusque coronatus esset. Omnia, uti decemviri [61] præïerunt, facta.

Censores.

XIV. Censoribus deinde creandis comitia edicta sunt petierunt censuram principes civitatis, C. Valerius Lævinus, L. Postumius Albinus, P. Mucius Scævola, M. Junius Brutus, C. Claudius Pulcher, Ti. Sempronius Gracchus. Hos duos censores creavit populus Romanus. Quum delectus habendi major, quam alias, propter Macedonicum bellum cura esset, consules plebem apud senatum accusabant, [62] quod et juniores non responderent. Adversus quos [63] C. Sulpicius et M. Claudius tribuni plebis caussam egerunt. *Non consulibus, sed ambitiosis consulibus, delectum difficilem esse.* [64] *neminem invitum militem ab iis fieri.* [65] *Id ita ut esse scirent et Patres conscripti, prætores,* [66] *quibus et vis imperii minor et auctoritas esset, delectum, si ita senatui videretur, perfecturos esse.* Id prætoribus [67] magna Patrum * non sine sugillatione consulum, mandatum est. Censores, ut eam rem adjuvarent, ita in concione edixerunt, *Legem censui censendo dicturos esse, ut,* [68] *præter commune omnium civium jusjurandum, hæc adjurarent: Tu minor annis sex et quadraginta es, tuque ex edicto C. Claudii, Ti. Sempronii censorum ad delectum prodito: et, quotiescumque delectus erit,* [69] *quem hic censores magistratum habebunt*[p], *si miles factus non eris, in delectu prodibis.* Item, quia fama erat, multos ex Mace-

Delectus a prætoribus habitus.

[p] *his censoribus magistratus habebunt* Crev.

tari quin ita Livius scripserit. Cetera etsi haud dubie mentem Livii exprimunt, nec possunt longe abire ab ejus scriptura, habent tamen aliquid densius quodammodo et quasi confertius, quam solet Livius.

61 * *Præierunt*] Vid. not. 8. ad IV. 21.

62 *Quod et juniores*] Superest *τὸ et*, aut plura desunt.

63 *C. Sulpicius et M. Claudius tribuni*] Imo *prætores*. Ii et supra, c. 11. memorantur inter prætores hujus anni; et hic, ideo quia prætores sunt, postulant ut delectus cura mandetur prætoribus; et, perfecto a prætoribus delectu, jubentur c. 15. ex his quas scripsissent legionibus, quas videretur, consuli dare. Scripta haud dubie fuit vox *prætores* per duas litteras *PR.* unde librarii pro solita oscitantia, maxime quia sequebatur continuo vox *plebis*, fecerunt *TR.* id est, *tribuni*. Hæc fere Perizonius.

64 *Neminem invitum militem ab iis fieri*] Sic probant Sulpicius et Marcellus ambitiosos esse consules, qui meta offensionum neminem militare invitum cogerent.

65 * *Id ita ut esse*] Ut patres Conscripti quoque scirent id ita esse.

66 *Quibus et vis imperii minor et auctoritas esset*] Quorum et minor potestas, et minor dignatio esset. In *imperio* est vis cogendi: *auctoritas* venerationem conciliat. Supra l. I. c. 7. *Evander tum ea . . . auctoritate magis quam imperio regebat loca.*

67 *Magna Patrum consensione*] Ultimam vocem adjecit Sigonius, ut manum locum expleret.

68 *Præter commune . . . jusjurandum*] Vid. not. 14. ad l. I. c. 42.

69 *Quem his censoribus magistratus habebunt*] Sic emendavit Gronovius. Vetus lectio omnino corrupta erat *quem hic censores magistratum habebunt.*

donicis legionibus, incertis commeatibus per ambitionem imperatorum ab exercitu abesse, edixerunt de militibus, P. Ælio, C. Popilio consulibus, postve eos consules in Macedoniam scriptis, *Ut, qui eorum in Italia essent, intra dies triginta, censi prius apud sese, in provinciam redirent. qui in patris aut avi potestate essent, eorum nomina ad se ederentur. Missorum quoque caussas sese cognituros esse: et, quorum ante emerita stipendia* [70]*gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri jussuros.* Hoc edicto literisque censorum per fora et conciliabula dimissis, tanta multitudo juniorum Romam convenit, ut gravis urbi turba insolita esset. U. C. 583. A. C. 169.

XV. Præter delectum eorum, quos in supplementum mitti oportebat, quatuor a C. Sulpicio prætore scriptæ legiones sunt, intraque undecim dies delectus est perfectus. Consules deinde sortiti provincias sunt. nam prætores propter jurisdictionem maturius sortiti erant. Urbana C. Sulpicio, peregrina C. Decimio obtigerat, Hispaniam M. Claudius Marcellus, Siciliam Ser. Cornelius Lentulus, Sardiniam P. Fonteius Capito, classem C. Marcius Figulus erat sortitus. Consulum Cn. Servilio Italia, Q. Marcio Macedonia obvenit. Latinisque actis, Marcius extemplo est profectus. Cæpione deinde referente ad senatum, quas ex novis legionibus duas legiones secum in Galliam duceret, decrevere Patres, ut C. Sulpicius, M. Claudius prætores ex his, quas scripsissent, legionibus, quas videretur, consuli darent. [71]Indigne patiente[q] prætorum arbitrio consulem subjectum, dimisso senatu, ad tribunal prætorum stans postulavit, ex senatusconsulto destinarent sibi duas legiones. [72]prætores consuli in eligendo arbitrium fecerunt. Senatum deinde censores legerunt: M. Æmilius Lepidus princeps ab tertiis jam censoribus lectus. Septem e senatu ejecti sunt. In censu accipiendo populi milites ex Macedonico exercitu, qui quam multi abessent ab signis, census docuit, in provinciam cogebant: [73]caussas stipendiis[r] missorum cognoscebant: et, cujus nondum justa missio visa esset, ita jusjurandum adigebant: [74]*Ex tui animi sententia, tu ex edicto C. Claudii, Ti. Sempronii censorum in provinciam Macedoniam redibis, quod sine dolo malo facere poteris?*

Provinciarum sortitio.

Censura.

q *patiens* Crev. r add. [*nondum emeritis*] Ead.

70 *Gratiosa*] Gratiæ data non juri.

71 *Indigne patiens*] Et hoc a Gronovio est. Vulgo *patiente*, quæ vox solœcam efficiebat orationem.

72 *Prætores consuli . . . arbitrium fecerunt*] Lege omnino, ut Gronovius jubet, *consulis*. Sic enim amat loqui Livius. Supra l. XXVII. c. 8. *Senatus populi potestatem fecit.*

73 *Causas stipendiis* [nondum emeritis] *missorum*] Sic videtur legi debere. Supra, c. 14. *et quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset.*

74 *Ex tui animi sententia*] Vere et ex animo promittis te etc. Vid. not. 66. ad l. XXII. c. 53.

U. C. 583. A. C. 169. Censs. obfendunt ordinem equestrem.

XVI. In equitibus recensendis tristis admodum eorum atque aspera censura fuit: multis equos ademerunt. [75] in ea re[s] quum equestrem ordinem obfendissent, [76] flammam invidiæ adjecere edicto, quo edixerunt, *Ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Postumio censoribus publica vectigalia aut* [77] *ultro tributa conduxissent,* [78] *ad hastam suam accederet, sociusve aut adfinis ejus conductionis esset.* Sæpe id querendo veteres publicani quum impetrare nequissent ab senatu, ut modum potestati censoriæ inponerent, tandem tribunum plebis P. Rutilium, ex rei privatæ contentione iratum censoribus, patronum caussæ nacti sunt. [79] Clientem libertinum parietem in Sacra via adversus [80] ædes publicas [81] demoliri jusserant[t], quod publico inædificatus esset. adpellati a privato tribuni. quum præter Rutilium nemo intercederet, censores [82] ad pignora capienda miserunt, multamque pro concione privato dixerunt. [83] Hinc[u] contentione orta, quum veteres publicani se ad tribunum contulissent, rogatio repente sub unius tribuni nomine promulgatur: *Quæ publica vectigalia, ultro tributa C. Claudius et Ti. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset. de integro locarentur, et ut omnibus redimendi et conducendi promiscue jus esset.* Diem [84] ad ejus rogationem concilio tribunus plebis dixit. qui postquam venit, ut censores ad dissuadendum processerunt, Graccho dicente, silentium fuit. quum Claudio obstreperetur, audientiam facere præconem jussit. [85] Eo facto, avocatam a se concionem tribunus questus, et in ordinem se coactum, ex Capitolio, ubi erat concilium, abiit. Postero die ingentes tu-

Tr. Pl. diem iis dicit.

[s] *re* del. Gron. [t] *jusserunt* Ead. [u] *Hic* Ead.

75 *In ea re*] Adjecimus vocem *re*, qua carent Gronovianæ editiones, ex auctoritate primæ editionis, quam secutus est quoque Sigonius.

76 *Flammam invidiæ adjecere edicto*] Odium in se equestris ordinis magis inflammavere. Videlicet publicani ex equestri ordine erant.

77 *Ultrotributa*] Vid. not. 70. ad l. XXXIX. c. 44.

78 * *Ad hastam suam*] Ad locationem suam. Vid. not. 86. ad XXIV. 18.

79 *Clientem libertinum*] Merito judicat Gronovius legendum esse *Hujus*, nempe Rutilii, *clientem*; vel *Clientem ejus*.

80 *Ædes publicas*] Haud satis liquet, quid fuerint ædes illæ publicæ. An quales sunt apud nos *Maisons*, ou *Hotels de Ville*?

81 *Demoliri jusserant*] Sic prima editio, teste Hearnio. Recentiores *jusserunt*, minus commode.

82 *Ad pignora capienda*] Vid. not. 70. ad l. III. c. 38. supra.

83 *Hinc contentione orta*] Mendose in recentioribus editis legitur *hic*.

84 *Ad ejus rogationem*] Sic dixit Livius *ad ejus* rogationis *rogationem*, quomodo dixisset *ad eam rogationem rogandam*. *Rogatio* est quidquid ad populum fertur. *Promulgabatur* rogatio, quum in publico scripta proponeretur per trinundinum inspiciendæ et versanda ab iis quibuscunque collibuisset. *Rogabatur* tum, quum de ea populus in suffragium mittebatur.

85 *Eo facto avocatam a se concionem*] Nimirum tribunus habebat illam concionem et concilio præerat, non censores. Quum igitur pro potestate jussisset Claudius præconem audientiam facere, videbatur avocasse concionem a tribuno, id est, concionis moderamen abstulisse a tribuno et sibi vindicasse.

multus ciere. [86]Ti. Gracchi primum bona consecravit, U.C. 583.
quod in multa pignoribusque ejus, qui tribunum adpellasset, A.C. 169.
intercessioni non parendo, [87]se in ordinem coëgisset. C. Claudio diem dixit, quod concionem ab se avocasset, et [88]utrique censori perduellionem se judicare pronunciavit, diemque comitiis a C. Sulpicio prætore urbano petiit. Non recusantibus censoribus, qui minus[u] primo quoque tempore judicium de se populus faceret, in ante dies octavum et septimum Kalendas Octobres comitiis perduellionis dicta dies. Censores extemplo in atrium Libertatis adscenderunt: et, ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, et dimissis [89]servis publicis, negarunt, se prius quidquam publici negotii gesturos, quam judicium populi de se factum esset. Prior Claudius caussam dixit: et, quum [90]ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multæque aliæ primæ classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi, annulis aureis positis, vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent. Maxime tamen sententiam vertisse dicitur Ti. Gracchus, quod, quum clamor undique plebis esset, periculum Graccho non esse, conceptis verbis juravit, si collega damnatus esset, non exspectato de se judicio, comitem exsilii ejus futurum. Adeo tamen ad extremum spei venit reus, ut octo centuriæ ad damnationem defuerint. Absoluto Claudio, tribunus plebis negavit se Gracchum morari. Absolvuntur.

XVII. Eo anno, postulantibus Aquileiensium legatis, [91]ut numerum colonorum augeret, mille et quingentæ familiæ ex senatusconsulto scriptæ, triumvirique, qui eas dedu-

[u] *quo minus* Gron. Crev.

86 *Ti. Gracchi . . . bona consecravit*] Bonorum Q. Metelli, Cn. Lentuli, etc. hoc modo a tribunis plebis consecratorum mentionem facit Cic. pro Domo, n. 123. et seqq. Ea consecratio fiebat in concione, certo quodam verborum carmine, foculo posito, et adhibito tibicine. Ejus hanc vim esse volebat is qui bona alicujus consecraverat, ut bona illa alicui deo, puta Ceri, jam sacra essent, ac proinde nullam ad profanum usum vetri possent, inque ea jus omne amitteret is qui illa antea possederat. Sed ad irritum cadebant illæ minæ, et scenicæ illæ theatralesque bonorum consecrationes fraudi non erant possessoribus. Hæc omnia docet Cicero loco memorato.

87 * *Se in ordinem coëgisset*] Jus magistratus sui infregisset, ac secum velut cum privato egisset. Vid. not. 52. ad III. 35.

88 *Utrique censori perduellionem se judicare*] Se judicare utrumque censorem perduellionis crimine teneri. Sed hoc judicium ratum esse non poterat, nisi populus suffragiis suis illud firmasset. Eodem fere modo mulcta dicebatur a magistratu, sed jubebatur a populo. Recens exemplum habes in Lucretio, supra c. 8. De *perduellione* vid. not. 85. ad l. I. c. 26.

89 *Servis publicis*] Servi publici sunt ii qui, etsi nullius privati, at populi servi sunt. Tales servi ad tabularii ministeria præsto erant censoribus.

90 *Ex duodecim centuriis equitum*] Imo *octodecim*. Tot enim instituit Ser. Tullius. Vid. supra l. I. c. 43.

91 *Ut numerum colonorum augeret*] Lege, *ut numerus colonorum augeretur*: vel in iis quæ præcedunt, *postulantibus a senatu Aquileiensium legatis*.

U. C. 583. A. C. 169. Legati Rom. in Græcia.

cerent, missi sunt, T. Annius Luscus, P. Decius Subulo, M. Cornelius Cethegus. Eodem anno C. Popillius et Cn. Octavius legati, qui in Græciam missi erant, senatusconsultum, Thebis primum recitatum, per omnes Peloponnesi urbes circumtulerunt, *Ne quis ullam rem in bellum magistratibus Romanis conferret, præterquam quod senatus censuisset.* Hoc fiduciam in posterum quoque præbuerat, levatos se oneribusque[x] inpensisque, quibus, alia aliis imperantibus, exhauriebantur. [92]Achaïco concilio Argis agitato, [93]benigne locuti auditique, [94]egregia spe futuri status fidissima gente relicta, in Ætoliam trajecerunt. Ibi nondum quidem seditio erat, sed [95]omnia suspecta, criminumque inter ipsos plena. ob quæ obsidibus postulatis, neque exitu rei inposito, in Acarnaniam inde profecti legati sunt. [96]Thyrii concilium legatis Acarnanes dederunt. Ibi quoque inter factiones erat certamen: quidam principum postulare, ut præsidia in urbes suas inducerentur adversus amentiam eorum, [97]qui ad Macedonas gentem trahebant: pars recusare, ne, [98]quod bello captis et hostibus mos esset, id pacatæ et sociæ civitates ignominiæ acciperent. Justa deprecatio hæc visa. Lenisam ad Hostilium proconsulem (ab eo enim missi erant) legati redierunt. Octavium retinuit secum. Popillium cum mille ferme militibus in hiberna Ambraciam misit.

Persei expeditio in Illyricum.

XVIII. Perseus, principio hiemis egredi Macedoniæ finibus non ausus, ne qua in regnum vacuum inrumperent Romani, sub tempus brumæ, quum inexsuperabiles ab Thessalia montes nivis altitudo facit, occasionem esse ratus frangendi finitimorum spes animosque, ne quid, averso se in Romanum bellum, periculi subesset, quum a Thracia pacem Cotys, ab Epiro Cephalus repentina defectione a Romanis [1]præstarent, Dardanos recens domuisset bello, solum

[x] *oneribus* Gron. Crev.

92 *Achaïco concilio Argis*] Reponendum est *Ægii*, ex Polyb. Legat. 74.

93 *Benigne locuti*] Sed magis ut servirent temporibus, quam ex animo. Etenim *dicebantur*, inquit Polybius, *accusaturi Lycortam, et Archonem, et Polybium, tanquam alienos a populi Romani rebus. Id tamen facere non sunt ausi, quod nullam causam satis probabilem haberent, cur eos reos agerent.*

94 *Egregia spe*] Id est, in egregia spe futuri status. Ceterum, si hoc durius videtur, lege cum Mureto: *Egregia spe . . . fidissimæ genti relicta.*

95 *Omnia suspecta criminumque inter ipsos plena*] Rem fusius exponit Polybius, docetque criminationes illas inde ortas esse, quod hi ceteros contenderent haud sincera fide cum Romanis sentire; illi accusatores suos calumniis in se grassari dicerent, quo potentioribus adularentur.

96 *Thyrii*] Nomen hujus urbis varie scribitur, *Tyrrheum, Thyreum, Thurium, Thyrium.* Vide Cellar. Geogr. Ant. II. 13.

97 *Qui ad Macedonas gentem trahebant*] Emendatio Gronovii. Olim *ad Macedonicam.*

98 *Quod bello captis et hostibus mos esset*] Potius, *quod bello captos et hostes mos esset*, ut intelligatur *acciperet ignominiæ.* GRONOVIUS.

1 *Præstarent*] Sic vetustiores editi =

infestum esse Macedoniæ latus, quod ab Illyrico pateret, U. C. 583.
cernens, neque ipsis quietis Illyriis, et [2] aditum præbentibus A. C. 169.
Romanis, si domuisset proximos Illyriorum, Gentium quoque regem jam diu dubium in societatem perlici posse, cum decem millibus peditum, quorum pars phalangitæ erant, et duobus millibus levium armatorum, et quingentis equitibus profectus, Stuberam venit. Inde frumento complurium dierum sumto, jussoque adparatu obpugnandarum urbium sequi, tertio die [3] ad Uscanam ([4] Penestianæ terræ ea maxima urbs est) posuit castra: prius tamen, quam vim admoveret, missis, qui tentarent nunc præfectorum præsidii, nunc oppidanorum animos. erat autem ibi cum juventute Illyriorum Romanum præsidium. Postquam nihil pacati referebant, obpugnare est adortus, et corona eam capere conatus est. quum sine intermissione interdiu noctuque alii aliis succedentes, [5] pars scalas muris, ignem portis inferrent, sustinebant tamen eam tempestatem propugnatores urbis; quia spes erat, neque hiemis vim diutius pati Macedonas in aperto posse, nec ab Romano bello tantum regi laxamenti fore, ut posset morari. Ceterum, postquam vineas agi, turresque excitari viderunt, victa pertinacia est. nam, præterquam quod adversus vim pares non erant, ne frumenti quidem aut ullius alterius rei copia intus erat, ut in necopinata obsidione. Itaque quum spei nihil ad resistendum esset, C. Cavvilius Spoletinus et C. Afranius a præsidio Romano missi, qui a Perseo peterent, primo, ut armatos suasque secum ferentes abire sineret; dein, si id minus impetrarent, vitæ tantum libertatisque fidem acciperent. Promissum id benignius est ab rege, quam præstitum. exire enim sua secum afferentibus jussis [6] primum arma ademit. his urbe egressis, et Illyriorum cohors, (quingenti erant) et Uscanenses se urbemque dediderunt.

XIX. Perseus, præsidio Uscanæ inposito, multitudinem

et recte quidem. Pertinet enim hoc verbum ad Cotyn simul et Cephalum. Gronovianæ editiones mendose habent *pateret*.

2 *Aditum præbentibus Romanis*] Quum Illyrii præberent aditum Romanis. Magis placeret quod Gronovius subjicit, *Romano*.

3 *Ad Uscanam . . . posuit castra*] Urbs illa, c. 10. supra, frustra tentatur ab Ap. Claudio, et in potestate Persei remanet. Quum hic igitur a Perseo oppugnetur, intelligendum est illam hoc temporis spatio in potestatem Romanorum venisse.

4 *Penestianæ terræ ea maxima urbs est*] Sic edidit Sigonius, et post eum Hearnius, ut et placuit Gronovio. Alii *maxime*.

5 *Pars scalas muris, ignem portis*] Magis placeret cum eodem Gronovio legere: *scalas muris, pars ignem portis inferrent*. In priore enim potius, quam in posteriore membro omittere solet Livius vocem qua partitio significatur. *Virgis cædi, alii securi subjici*. l. III. c. 37.

6 *Primum arma ademit*] Perspicuum est hic alterum orationis membrum excidisse, quod respondeat τῷ *primum*. Ex iis quæ sequuntur apparet retentos esse a rege Romanos. Id hoc loco significarat Livius.

U. C. 583. A. C. 169.

omnem deditorum, quæ prope numero exercitum æquabat, Stuberam abducit. Ibi [7] Romanis, (quatuor millia autem hominum erant) præter principes, in custodiam civitatium divisis, Uscanensibus Illyriisque venditis, in Penestiam exercitum reducit ad Oæneum oppidum in potestatem redigendum. et alioqui opportune situm, et transitus ea est in Labeates, ubi Gentius regnabat. Prætereunti frequens castellum, Draudacum nomine, peritorum quidam regionis ejus, *nihil Oæneo capto opus esse*, ait, *nisi in potestate et Draudacum sit.* [8] *opportunius etiam ad omnia positum esse.* Admoto exercitu, omnes extemplo dediderunt sese. Qua spe celeriore deditione erectus, postquam animadvertit, quantus agminis sui terror esset, undecim alia castella eodem metu in potestatem redigit. ad perpauca vi opus fuit, cetera voluntate dedita: et in his recepti mille et quingenti dispositi per præsidia milites Romani. Magno usui Carvilius Spoletinus erat in conloquiis, dicendo, nihil in ipsos sævitum. Ad Oæneum perventum est, quod sine justa obpugnatione capi non poterat; et majore aliquanto, quam cetera, juventute, et validum oppidum mœnibus erat. et hinc amnis Artatus nomine, hinc mons præaltus et aditu difficilis cingebat. hæc spem ad resistendum oppidanis dabant. Perseus, circumvallato oppido, aggerem a parte superiore ducere instituit, cujus altitudine muros superaret. quod opus dum perficitur, crebris interim prœliis, quibus per excursiones et mœnia sua oppidani tutabantur, et opera hostium inpediebant, magna eorum multitudo variis casibus absumta est: et, qui supererant, labore diurno nocturnoque et vulneribus inutiles erant. Ubi primum agger injunctus muro est, et cohors regia, quos Nicatoras adpellant, transscendit, et scalis multis simul partibus inpetus in urbem est factus. puberes omnes interfecti sunt: conjuges liberosque eorum in custodiam dedit: prædæ alia militum cessere.

Legatos ad Gentium Perseus mittit.

Stuberam inde victor revertens ad Gentium legatos, Pleuratum Illyrium, exsulantem apud se, et [9] Aputeum Macedonem a Berœa, mittit. Iis mandat, ut exponerent æstatis ejus hiemisque acta sua adversus Romanos Dardanosque adjicerent recentia in Illyrico hibernæ expeditionis opera. [10] hortarentur Gentium in amicitiam secum et cum Macedonibus jungendam.

7 *Romanis . . . præter principes, in custodiam civitatum divisis*] Principes nempe secum habuit, ut colligitur ex iis quæ dicuntur infra de Carvilio. Ceteros custodiendos per civitates divisit.

8 *Opportunius etiam*] Reposuimus veterem primæ editionis et Sigonii lectionem, ab Hearnio testatam. Gronovianæ editiones, *opportunius enim.*

9 *Aputeum*] Is *Adæus* a Polybio vocatur, Legat. 76.

10 *Hortarentur Gentium in amicitiam . . . jungendam*] Magis placeret *ad amicitiam.*

Hi, transgressi jugum Scordi montis, per Illyrici U. C. 583.
ıes, quas de industria populando Macedones fece- A. C. 169.
transitus faciles Dardanis in Illyricum aut Mace-
essent, Scodram labore ingenti tandem pervenerunt.
x Gentius erat. eo adciti legati, mandata exponen- Gentius pecuniam poscit.
igne auditi sunt: qui responsum sine effectu tule-
'oluntatem sibi non deesse ad bellandum cum Romanis:
ad conandum id, quod velit, pecuniam maxime deesse.
uberam retulere regi, tum maxime captivos ex Illy-
ıdenti. Extemplo iidem legati, addito Glaucia ex
custodum corporis, remittuntur sine mentione pe-
qua una barbarus inops inpelli ad bellum poterat.
n inde populatus Perseus, in Penestas rursum ex-
reducit: firmatisque Uscanæ, et circa eam per om-
ella, quæ receperat, præsidiis, in Macedoniam sese

. L. Cœlius, legatus Romanus, præerat Illyrico: Res gestæ a Rom. in Illyrico.
veri non ausus, quum in iis locis rex esset, post profec-
demum ejus conatus in Penestis Uscanam recipere,
dio, quod ibi Macedonum erat, cum multis vulneri-
ulsus, Lychnidum copias reduxit. Inde post dies
M. Trebellium Fregellanum cum satis valida manu
stas misit ad obsides ab his urbibus, quæ in amici-
fide permanserant, accipiendos. Procedere etiam
ıinos (ii quoque obsides dare pepigerant) jussit: ab
gente [11] sine tumultu exigi. Penestarum obsides
iam, Parthinorum [12] Dyrrachium (tum Epidamni ma-
bre nomen Græcis erat) missi. Ap. Claudius, ac-
in Illyrico ignominiam corrigere cupiens, Phanotem
ıstellum adortus obpugnare, et auxilia Athamanum
ɔtorumque, præter Romanum exercitum, ad sex mil-
inum secum adduxit: neque operæ pretium fecit,
ıui relictus a Perseo erat, cum valido præsidio de-
ɛ. Et Perseus, [13] in Elimeam profectus, et circa
ercitu lustrato, [14] ad Stratum, vocantibus Epirotis, Perseus ad Stratum it.
Stratus validissima tum urbs Ætoliæ erat. sita est

tumultu exigi] Placet con-
onovii, *exacti.*
rachium (*tum Epidamni magis*
nen] Duplici nomine urbs illa
ım et *Epidamnus* vocabatur.
ɛlebre tum erat apud Græcos
i nomen.
Elymæam profectus, et circa
rcitu lustrato] Quod hic dici-
ıercitu circa Elymæam lustra-
ıs conveniret urbi, quam re-
Et revera in Elymiotide re-
gione urbs est Elyma, sive Elymæa.
Itaque legendum est sine præpositione
Elymæam profectus, vel *ad Elymæam*
profectus.

14 *Ad Stratum vocantibus Epirotis*]
Ex iis quæ sequuntur, videtur legen-
dum esse potius *Ætolis.* Namque
Stratus urbs *Ætoliæ* est: traditur per
Archidamum principem *Ætolorum:*
denique rex ubi ad Stratum accessit,
exspectat effusos omnibus portis *Æto-*
los in fidem suam venturos.

U. C. 583. A. C. 169. super Ambracium sinum, prope amnem Acheloum. Cum decem millibus peditum eo profectus est et equitibus trecentis: quos pauciores propter angustias viarum et asperitatem duxit. Tertio die quum pervenisset ad Citium montem, vix transgressus propter altitudinem nivis, locum quoque castris ægre invenit. Profectus inde, magis quia manere non poterat, quam quod tolerabilis aut via aut tempestas esset, cum ingenti vexatione, præcipue jumentorum, altero die ad templum Jovis, quem Nicæum vocant, posuit castra. Ad Arachthum inde flumen, itinere ingenti emenso, retentus altitudine amnis, [15] mansit. Quo spatio temporis ponte perfecto, traductis copiis diei progressus iter, [16] obvium [y] Archidamum principem Ætolorum, per quem ei Stratus tradebatur, habuit.

XXII. Eo die ad finem agri Ætoli castra posita. Inde altero die ad Stratum perventum: ubi, prope Acheloum amnem castris positis, quum exspectaret, effusos omnibus portis Ætolos in fidem suam venturos, clausas portas, atque ipsa ea nocte, qua venerat, receptum Romanum præsidium cum C. Popillio legato invenit. Principes, qui præsentis Archidami auctoritate compulsi regem arcessierant, obviam egresso Archidamo segniores facti, locum adversæ factioni dederant ad Popillium cum mille peditibus ab Ambracia arcessendum. In tempore et Dinarchus, præfectus equitum gentis Ætolorum, cum sexcentis peditibus et equitibus centum venit. Satis constabat, eum, tamquam ad Persea tendentem, Stratum venisse: mutato deinde cum fortuna animo, Romanis se, adversus quos venerat, junxisse. Nec Popillius securior, quam debebat esse, inter tam mobilia ingenia erat, claves portarum custodiamque murorum suæ extemplo potestatis fecit; Dinarchum Ætolosque cum juventute Stratiorum in arcem per præsidii speciem amovit. Perseus, ab imminentibus superiori parti urbis tumulis tentatis conloquiis, quum obstinatos atque etiam telis procul arcentes videret, quinque millia passuum ab urbe trans Petitarum amnem posuit castra. Ibi consilio [z] advocato, quum Archidamus [17] Epirotarumque transfugæ retinerent, Mace-

Stratum intrant Romani.

Regreditur Perseus.

y *obviam* Gron. z *concilio* Crev.

15 *Mansit. Quo spatio temporis*] Profecto hic aliquid deest. Ut enim hæc structa sunt, necesse est omnino ut Livius indicaverit, quodnam fuerit illud spatium temporis, quo mansit rex ad Arachthum.

16 *Obvium Archidamum . . . . habuit*] Sic habet, Hearnio teste, prima editio; melius quam, ut vulgata nunc, *obviam*.

17 *Epirotarumque transfugæ*] Li pecul dubio erant ex factione Cephali, de quo supra c. 18. et ideo dicuntur transfugæ, quia quum primo ab Romani stetissent, ab iis postea defecerant. Nisi forte hic quoque legendum est *Ætolorum*.

donum principes non pugnandum cum infesto tempore anni censerent, nullis præparatis commeatibus; quum inoplam prius obsidentes, quam obsessi, sensuri essent, [18]maxime quod hostium haud procul inde hiberna erant; territus in Aperantiam castra movit. Aperantii eum, propter Archidami magnam in ea gente gratiam auctoritatemque, consensu omnium acceperunt: is ipse cum octingentorum militum præsidio his est præpositus. U. C. 583. A. C. 169.

XXIII. [19]Rex cum[a] minore vexatione jumentorum hominumque, quam venerat, in Macedoniam rediit. Appium tamen [20]ab obsidione Phanotis fama ducentis ad Stratum Persei submovit. Clevas, cum præsidio inpigrorum juvenum insecutus, sub radicibus prope inviis montium ad mille hominum ex agmine inpedito occidit, ad ducentos cepit. Appius, superatis angustiis, in campo, quem Elæona[b] vocant, stativa dierum paucorum habuit. Interim Clevas, adsumto [21]Philostrato, qui Epirotarum gentem habebat, in agrum Antigonensem transscendit. Macedones ad depopulationem profecti; Philostratus cum cohorte sua in insidiis loco obscuro consedit. in palatos populatores quum erupissent ab Antigonea armati, fugientes eos persequentes effusius in vallem insessam ab hostibus præcipitant. ibi ad mille occisis, centum ferme captis, ubique prospere gesta re, prope stativa Appii castra movent, ne qua vis sociis suis ab Romano exercitu inferri possit. Appius, nequidquam in his locis terens tempus, dimissis Chaonumque, et si qui alii Epirotæ erant, præsidiis, cum Italicis militibus in Illyricum regressus, per Parthinorum socias urbes in hiberna militibus dimissis, ipse Romam sacrificii caussa rediit. Perseus ex Penestarum gente mille pedites, ducentos equites revocatos, Cassandriam, præsidio ut essent, misit. Ab Gentio eadem adferentes redierunt. nec deinde alios atque alios mittendo tentare eum destitit, quum adpareret, quantum in eo præsidii esset; nec tamen impetrare ab animo posset, [22]ut inpensam in rem maximi ad omnia momenti faceret ****.

[a] *cum* l. *non* Gron. Crev. [b] *Eleona* Eæd.

18 * *Maxime quod*] Eo maxime territus, quod hostium haud procul inde hiberna erant.

19 *Rex non minore vexatione*] Olim *cum minore*. Emendavit Gronovius ex Freinshemii sententia.

20 *Ab obsidione Phanotis*] Scribe *Phanotes*. Est enim Φανότη. GRONOVIUS.

21 *Philostrato, qui Epirotarum gentem habebat*] Hoc obscurum est; et auget mendi suspicionem id quod sequitur: *Philostratus cum cohorte sua*. An enim Epirotarum gens contribui poterat in unam cohortem? Legere possumus hic *Epirotarum transfugas*, si recte illi nominati sunt c. præcedenti.

22 *Ut impensam in rem maximi ad omnia momenti faceret*] Hic asteriscum apposuerat Sigonius, quod ea quæ de Olonico Hispano in epitome hujus

U. C. 583.
A. C. 169.

libri traduntur, ad Clondicum Bastarnarum ducem a Livio nominatum l. XL. c. 58. retulerit: quem in Pæonia fecisse aliquem motum existimavit, et ibi interemptum esse. Ea igitur quæ ad illum Clondicum spectarent, hic excidisse putavit. Sed quum multo probabilior sit, ut supra annotavimus, de Olonico conjectura Gronovii, qui illum eumdem esse cum Flori Salondico arbitratus est, nulla satis idonea ratione videtur motus esse Sigoni mutilum hic esse librum arbitr Dujatius Sigonii auctoritate credidit et ipse hic aliquid inter inseruitque hoc loco rogationem conio promulgatam et perlata coërcendis mulierum heredit Sed de lege Voconia egerat L XLI. ut apparet ex epitome illiu Credimus igitur nihil ex fine hu bri XLIII. periisse.

EPITOME LIBRI XLIV.

Q. MARCIUS Philippus per invios saltus penetravit in Macedoniam, compluresque urbes occupavit. Rhodii misere legatos Romam, [1] *minantes, se Perseo auxilio futuros, nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam jungeret. indigne id latum. Quum id bellum L. Æmilio Paullo, sequentis anni consuli iterum, mandatum esset,* [2] *Paullus, in concione precatus, ut, quidquid diri populo Romano inmineret, in domum suam converteretur, et in Macedoniam profectus, vicit Persen, totamque Macedoniam in potestatem redegit. Antequam confligeret,* [3] *C. Sulpicius Gallus tribunus militum prædixit exercitui, ne miraretur, quod luna nocte proxima defectura esset. Gentius quoque rex Illyriorum, quum rebellasset, ab Anicio prætore victus, venit in deditionem,* [4] *et cum uxore, et liberis, et propinquis, Romam missus est. Alexandria legati a Cleopatra et Ptolemæo regibus venerunt, querentes de Antiocho rege Syriæ, quod his bellum inferret. Perses, sollicitatis in auxilium Eumene rege Pergami, et Gentio rege Illyriorum, quia his pecuniam, quam promiserat, non dabat,* [5] *ab iis relictus est.*

1 *Minantes se Perseo auxilio futuros, nisi pop. Rom. cum eo pacem atque amicitiam jungeret*] Hæc est unius codicis a Gronovio inspecti scriptura; quæ quum expeditissima sit, Clericus eam in editione sua repræsentavit, quod ejus exemplo nos itidem hic facimus. In vulgata lectione aliquid erat vitii: *minantes, ut Perseo essent auxilio, nisi populus Romanus . . conjungeret.*

2 *Paullus in concione precatus, ut*] Hanc precationem fecit Paullus, non antequam proficisceretur ad bellum, sed devicto Perseo, quum jam secundo cursu Italiam tenuisset. Vid. infra l. XLV. c. 41. et Val. Max. l. V. c. 10. Itaque hic fallitur auctor epitomes. Ceterum in hac periodo formanda secuti sumus auctoritatem trium membranarum a Gronovio laudatarum, quibus assentitur Campanus, nisi quod *supra domum suam*, quemadmodum vulgati, præfert. Vulgo *precatus est*, et *supra domum suam*, et *vicit Perseum.*

3 *C. Sulpicius Gallus tribunus militum*] Nihil horum comparebat in libris: sed ea inseruit ex historiæ fide Sigonius. Non enim Paullus, sed Sulpicius ille Gallus hunc Lunæ defectum prædixisse memoratur tum Livio ipsi infra, c. 37. tum Val. Max. l. VIII. c. 11.

4 *Et cum uxore*] Deest copulativa in Gronovianis editionibus, operarum, ut videtur, incuria.

5 *Ab eis relictus est*] Ab Eumene scilicet, et Gentio. De Eumene nulla est difficultas. De Gentio vid. not. 38. ad c. 26. hujus libri.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XLIV.

U. C. 583.
A. C. 169.

PRINCIPIO veris, quod hiemem eam, qua hæc gesta sunt, insecutum est, ab Roma profectus Q. Marcius Philippus consul [1] cum quinque millibus ([2] quod in supplementum legionum secum trajecturus erat) Brundisium pervenit. M. Popillius consularis [3] et alii pari nobilitate adolescentes tribuni militum in Macedonicas legiones consulem secuti sunt. Per eos dies et C. Marcius Figulus prætor, cui classis provincia evenerat, Brundisium venit: et simul ex Italia profecti, Corcyram altero die, tertio Actium Acarnaniæ portum tenuerunt. Inde consul, ad Ambraciam egressus, itinere terrestri petit Thessaliam. Prætor, superato Leucata, Corinthium sinum invectus, et Creüsse relictis navibus, terra et ipse per mediam Bœotiam diei unius expedito itinere Chalcidem ad classem contendit. Castra eo tempore A. Hostilius in Thessalia circa Palæpharsalum habebat; sicut nulla re bellica memorabili gesta, ita [4] ad cunctam militarem disciplinam ab effusa licentia formato milite, et sociis cum fide cultis, et ab omni genere injuriæ defensis. Audito successoris adventu, quum arma, viros, equos cum cura [5] inspexisset, ornato exercitu obviam venienti consuli processit. Et primus eorum congressus ex dignitate ipsorum ac Romani nominis, [6] et in rebus deinde gerendis *. Proconsul enim

Marcius Cos. et Marcius prætor trajiciunt in Græciam.

1 *Cum quinque millibus*] Deest profecto hic aliquid. Numerus enim absolute et per se, non adjecta re quæ numeretur, stare in oratione non potest. Sed et numerus ipse hoc loco videtur vitiatus esse, quum supra l. XLIII. c. 12. decreverit senatus in supplementum Macedonici exercitus *peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia: equites Romanos ducentos quinquaginta, socios trecentos.*

2 *Quod in supplementum*] Dele cum Gronovio voculam *in*, et lege *quod supplementum.*

3 *Et alii pari nobilitate adolescentes*] *Et alii pari nobilitate,* sed non pari ætate, quippe *adolescentes,* quum M. Popillius consularis esset, ac proinde maturæ jam ætatis.

4 *Ad cunctam militarem disciplinam*] Ad cunctas militaris disciplinæ partes.

5 *Inspexisset*] Conjectura Manutii. Codex habuit *inexisset.*

6 *Et in rebus deinde gerendis*] Hunc locum sic explet Sigonius: *et in rebus deinde gerendis summe utilis Philippo consuli fuit. Proconsul enim ad exercitum conversus, eum ad rem fortiter gerendam hortatus est, eoque consuli tradito Romam reversus est.* Sed quis dixerit eum summe utilem duci fuisse in rebus gerendis, qui tantummodo hortatus milites ad rem fortiter gerendam statim abierit? Omittimus inelegantiam dictionis, et geminatas odiose voces. Nobis non libet hariolari in re omnino obscura. Mens Livii ex reliquiis ejus non satis apparet, ut eam expiscari posse videamur, nec alii auctores adjuvant. Locum ergo mutilum relinquimus.

ad exercitum **. Paucis post diebus consul concionem apud milites habuit. orsus a [7] parricidio Persei perpetrato in fratrem, cogitato in parentem, [8] adjecit, *post scelere partum regnum, veneficia, cædes, latrocinio nefando petitum Eumenem, injurias in populum Romanum, direptiones sociarum urbium contra fœdus, ea omnia quam Diis quoque invisa essent, sensurum in exitu rerum suarum. Favere enim pietati fideique Deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigii venerit.* Vires deinde populi Romani, jam terrarum orbem complectentis, cum viribus Macedoniæ, exercitus cum exercitibus comparavit. *Quanto majores Philippi Antiochique opes non majoribus copiis fractas esse?* U. C. 583. A. C. 169.

II. Hujus generis adhortatione accensis militum animis, consultare de summa gerendi belli cœpit. Eo et C. Marcius prætor a Chalcide, classe accepta, venit. Placuit, non ultro morando in Thessalia tempus terere, sed movere extemplo [a] castra, atque pergere inde in Macedoniam: et prætorem dare operam, ut eodem tempore classis quoque invehatur hostium litoribus. Prætore dimisso, consul, [9] menstruum jusso milite secum ferre, profectus decimo post die, quam exercitum acceperat, castra movit: et, unius diei progressus iter, convocatis itinerum ducibus, [10] quum, exponerent in consilio, jussisset, qua quisque ducturus esset; submotis iis, [11] quam potissimum peteret, retulit ad consilium. Aliis per Pythium placebat via: aliis per Cambunios montes, qua priore anno duxerat Hostilius consul: aliis præter Ascuridem paludem. Restabat [12] aliquantum viæ communis: itaque in id tempus, quo prope divortium itinerum castra posituri erant, deliberatio ejus rei differtur. in Perrhæbiam inde ducit, et inter Azorum et Dolichen stativa habuit ad consulendum rursus, quam potissimum capesseret viam. Per eosdem dies Perseus, quum adpropinquare hostem sciret, quod iter petiturus esset ignarus, omnes saltus insidere præsidiis statuit. In jugum Cambu- Cos. in Macedoniam contendit. Perseus aditus occupat.

[a] *extemplo* del. Crev.

7 *Parricidio . . . cogitato in parentem*] Nihil ea de re antea memoravit Livius.

8 *Adjecit, post scelere partum regnum, veneficia*] Adjecit consul veneficia, cædes, aliaque facinora consecuta scelere partum a Perseo regnum. Vulgo aliter distinguitur hic locus: *adjecit post, scelere partum regnum, veneficia.* Nostra interpunctio elegantiorem efficit sensum.

9 *Menstruum*] Cibariorum quantum in mensem satis esset.

10 *Quum exponerent in consilio jussisset*] Merito Gronovius legi jubet *exponere.* Intellige *eos*, id est, duces itinerum.

11 *Quam potissimum peteret*] Sigonius suspicatur excidisse *viam.* Gronovius existimat Livium voluisse illam vocem huc intelligendo referri ex sequentibus, *aliis per Pythium placebat via.* Malumus illam repetere ex præcedentibus, *qua*, nempe via, *quisque ducturus esset.*

12 *Aliquantum viæ communis*] Aliquantum viæ, quæ pariter ad Pythium, ad Cambunios montes, ad Ascuridem paludem duceret.

U. C. 583. A. C. 169.

niorum montium (Volustana ipsi vocant) [13] decem millia levis armaturæ juvenum cum duce Asclepiodoto mittit: ad castellum, quod super Ascuridem paludem erat, (Lapathus vocatur locus) Hippias tenere saltum cum duodecim millium Macedonum præsidio jussus. Ipse cum reliquis copiis primo circa Dium stativa habuit. deinde, adeo ut obtorpuisse inops consilii videretur, cum equitibus expeditis [14] litore nunc Heracleum, nunc Philan percurrebat, eodem inde cursu Dium repetens.

III. Interim consuli sententia stetit eo saltu ducere, [15] ubi propter Octolophum diximus regis castra*. Præmitti tamen quatuor millia armatorum ad loca opportuna præoccupanda placuit: quîs præpositi sunt M. Claudius, Q. Marcius consulis filius. confestim et universæ copiæ sequebantur. Ceterum adeo ardua et aspera et confragosa via fuit, ut præmissi expediti biduo quindecim millium passuum ægre itinere confecto castra posuerint: [16] turrim Eudieru, quem cepere, locum adpellant. Inde postero die septem millia progressi, tumulo [17] haud procul hostium castris capto, nuncium ad consulem remittunt: *perventum ad hostem esse, loco se tuto et ad omnia opportuno consedisse; ut, quantum extendere iter posset, consequeretur.* Sollicito consuli, et propter itineris difficultatem, quod ingressus erat, et eorum vicem, quos paucos inter media præsidia hostium præmiserat, nuncius ad Ascuridem paludem obcurrit. Addita igitur et ipsi fiducia est, conjunctisque copiis, castra tumulo, qui tenebatur, qua aptissimum ad loci naturam erat, sunt adclinata. Non hostium modo castra, quæ paullo plus mille passuum aberant, sed omnis regio ad

Macedoniam ingreditur Marcius.

13 *Decem millia levis armaturæ juvenum*] Dele otiosam vocem *juvenum*. Nisi forte illius loco fuit nomen gentis, quæcunque tandem illa sit: ut in altero præsidio, quocum mox Hippias dicitur jussus tenere saltum ad Lapathunta, diserte exprimitur illud fuisse *duodecim millium Macedonum*.

14 *Littore*] Magis placeret *per littora*, ut infra c. 4. *Sed quum ad Dium per littora cum equitibus vagaretur rex.* Libenter quoque pro *percurrebat* legeremus *currebat*.

15 *Ubi propter Octolophum diximus regis castra*] Subjicit Sigonius *Philippi fuisse*, et lectorem remittit ad l. XXXI. ubi revera reperitur pugna equestris ad Octolophum inter Philippum regem, et Sulpicium consulem Romanum. Sed si quis totam narrationem rerum a Sulpicio adversus Philippum gestarum sedulo expenderit, facile animadvertet Octolophum libro XXXI. memoratum ad occiduum Macedoniæ latus situm fuisse, ac longe abfuisse ab Heracleo, et Phila, et Dio, quæ prima Macedoniæ oppida hic Marcio e jugis degresso occurrunt. Vel igitur duplex locus fuit qui Octolophi nomen haberet, alter in Dassaretiis, alter in finibus Perrhæbiæ; vel hic mendum agnoscendum est. Quæ desunt, explere non tentamus. Tamen regem cujus hic mentio fit, potius Persea fuisse credimus, quam Philippum.

16 *Turrim Eudieru*] Si nihil est in hoc nomine vitii, intellige Græcum esse vocabulum in patrio casu, εὐδιερῶ. Διερὸς humidus. Itaque turris εὐδιερῶ dicta fuerit ab amœnitate et bonitate aquarum.

17 *Haud procul hostium castris*] Castra illa hostium intellige præsidium Macedonum cui præerat Hippias, ut patet ex c. seq.

Dium et Philan, oraque maris, late patente ex tam alto jugo prospectu, oculis subjicitur. Quæ res accendit militi animos, postquam summam belli, ac regias omnes copias, terramque hostilem tam e propinquo conspexerunt. Itaque quum alacres, protinus duceret ad castra hostium, consulem hortarentur; dies unus fessis labore viæ ad quietem datus est. tertio die, parte copiarum ad præsidium castrorum relicta, consul ad hostem ducit. U. C. 582. A. C. 169.

IV. Hippias nuper ad tuendum saltum ab rege missus erat: qui, ex quo castra Romana in tumulo conspexit, præparatis ad certamen animis suorum, venienti agmini consulis obvius fuit: et Romani expediti ad pugnam exierant, et hostes. levis armatura erat, promtissimum genus ad lacessendum certamen. Congressi igitur extemplo, tela conjecerunt. multa utrimque vulnera temerario incursu et accepta, et inlata: pauci utriusque partis ceciderunt. Irritatis in posterum diem animis, majoribus copiis atque infestius concursum ab illis, si loci satis ad explicandam aciem fuisset: jugum montis, in angustum dorsum cuneatum, vix [18] ternis ordinibus armatorum in fronte patuit. Itaque, paucis pugnantibus, cetera multitudo, præcipue qui gravium armorum erant, spectatores pugnæ stabant. levis armatura etiam per amfractus jugi procurrere, et ab lateribus cum levi armatura [19] conserere, per iniqua atque æqua loca pugnam petere. ac, pluribus ea die vulneratis, quam interfectis, prœlium nocte diremtum est. Tertio die egere consilio Romanus imperator: nam neque manere in jugo inopi, nèque regredi sine flagitio, atque etiam periculo; [20] sed cedenti ex superioribus locis instare hostis poterat: nec aliud restabat, quam audacter commissum pertinaci audacia, quæ prudens interdum in exitu est, corrigere. Ventum quidem erat eo, ut, si hostem similem antiquis Macedonum regibus habuisset consul, magna clades accipi potuerit. sed, quum ad Dium per litora cum equitibus vagaretur rex, et ab duodecim millibus prope clamorem et strepitum pugnantium audiret, nec auxit copias integros fessis submittendo, neque ipse, quod plurimum intererat, certamini adfuit: quum Romanus imperator, major sexaginta annis, et prægravis corpore, omnia militaria munera ipse inpigre obiret. Egregie ad ultimum in audacter commisso perseveravit: et, Levia prœlia cum Macedonibus.

18 *Ternis ordinibus . . . in fronte*] Ordines hic intelligendi videntur introrsum porrecti, ita ut terni homines in fronte essent, quos sequebatur a tergo longus ordo suorum. Hinc paucitas pugnantium, mox a Livio notata.

19 *Conserere*] Manum, vel pugnam. Alterutra vox profecto excidit.

20 *Sed cedenti . . . instare hostis poterat*] Emendat Gronovius: *Nam neque manere in jugo inopi, neque regredi sine flagitio, atque etiam periculo, si cedenti ex superioribus locis instaret hostis, poterat.*

U. C. 563. A. C. 189. Popillio relicto in custodia jugi, per invia transgressus, præmissis, qui repurgarent iter, Attalum et Misagenem, cum suæ gentis utrumque auxiliaribus, præsidio esse saltum aperientibus jubet. ipse, equites inpedimentaque præ se habens, cum legionibus agmen cogit.

Difficultas itinerum. V. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina jumentorum sarcinarumque. Progressis vixdum quatuor millia passuum nihil optabilius esse, quam redire, qua venerant, si possent. Hostilem prope tumultum agmini elephanti præbebant: qui, ubi ad invia venerant, dejectis rectoribus, cum horrendo stridore pavorem ingentem, equis maxime, incutiebant, donec traducendi eos ratio inita est. Per proclive, [21]sumto fastigio, longi duo validi asseres ex inferiore parte in terra defigebantur, distantes inter se paullo plus, quam quanta belluæ latitudo est. in eos transversi incumbentes tigni, ad tricenos longi pedes, ut pons esset, injungebantur: humusque insuper injiciebatur. modico deinde infra intervallo similis alter pons: dein[b] tertius, et plures ex ordine, quas rupes [22]abscisæ erant, fiebant. Solido procedebat elephas in pontem: cujus priusquam in extremum procederet, [23]suboscisis asseribus conlapsus pons, usque alterius initium pontis, prolabi eum leniter cogebat. alii elephanti pedibus insistentes, alii clunibus subsidentes, prolabebantur. ubi planicies altera pontis excepisset eos, rursus simili ruina inferioris pontis deferebantur, donec ad æquiorem vallem perventum est. [24]Paullo plus septem millia die Romani processerunt; minimum pedibus itineris confectum. plerumque provolventes se simul cum armis aliisque oneribus, cum omni genere vexationis, processerunt: adeo ut ne dux quidem et auctor itineris inficiaretur, parva manu deleri omnem exercitum potuisse. Nocte ad modicam planiciem pervenerunt: neque, an infestus is locus esset, septus undique, cir-

[b] *dein* l. *inde* Gron. Crev.

21 *Sumpto fastigio*] Longi duo asseres inter se adversi modica inclinatione demissi secundum superiorem partem, in terra ex inferiore parte defigebantur. Hic *fastigium* intelligitur *clivus*, propterea quod si quid in clivum devexum est, idem et in fastigium contrario sensu assurgit: eadem fere ratione, qua *altum* et *profundum* promiscue usurpantur. Itaque illi asseres intelligendi sunt triquetra fere forma fuisse, ita ut e tribus lateribus unum per proclive porrigeretur et acclinaretur secundum montem; alterum, nempe superius, modice inclinatum esset et leni fastigio devexum; tertium denique e terra, in qua ex inferiore parte defigebatur, assurgeret in rectum.

22 *Abscisæ*] Ex *abs* et *cædo* fit verbum *abscido, abscidi, abscisum*. [illegible] Martialis, l. III. epigr. 66. *Abscidit v[illegible]litus ensis uterque sacros. Abscindo* d[illegible] versum est verbum, licet ejusdem fere sensus. Atque hujus quidem participium *abscissus* frequentius nunc occurrit in editis. At observat Gronovius fere ubique in optimis et antiquissimis codicibus legi *abscisus*.

23 *Successis asseribus*] Sive ass[illegible]rum fulcris.

24 *Paulo plus septem millia* [illegible] *die*] Per diem, et opponitur τῇ νυκτί, [illegible] quod sequitur paulo post. Itaque nihil [illegible] est hic inserere *eo* ante vocem *die*, quod voluerat Gronovius.

cumspiciendi spatium fuit. vix tandem ex insperato stabilem ad insistendum nactis locum postero quoque die in tam cava valle opperiri Popillium, ac relictas cum eo copias, necesse fuit: quos et ipsos, quum ab nulla parte hostis terruisset, locorum asperitas hostiliter vexavit. Tertio die conjunctis copiis eunt per saltum, quem incolæ Callipeucen adpellant. [25]quarto inde die per æque invia sed adsuetudine peritius, et meliore cum spe, quod nec hostis [26]umquam[c] adparebat, et mari adpropinquabant, [27]degressi[d] in campos, inter [28]Heracleum et Libethrum posuerunt castra peditum: quorum pars major tumulos tenebat. ii vallem, [29]campi quoque partem, ubi eques tenderet, amplectebantur. U. C. 583. A. C. 169.

VI. Lavanti regi dicitur nunciatum, hostes adesse. quo nuncio quum pavidus exsiluisset [30]e solio, [31]victum se sine prœlio clamitans proripuit; et, subinde per alia atque alia pavida consilia et imperia trepidans, [32]duobus ex amicis Pellam, alterum Asclepiodotum, ubi pecunia deposita erat, ex præsidiis revocat; omnesque aditus aperit bello. Ipse, ab Dio [33]auratis statuis omnibus raptim, ne præda hosti essent, in classem congestis, ocius demigrare Pydnam cogit: et, quæ temeritas consulis videri potuisset, quod eo processisset, unde invito hoste regredi nequiret, eam [34]non inconsultam audaciam fecit. Duos enim saltus, per quos inde evadere possent, habebant Romani: unum per Tempe in Thessaliam, alterum in Macedoniam præter Dium: quæ utraque regiis tenebantur præsidiis. Itaque si dux intrepidus decem dies primam speciem adpropinquantis terroris sustinuisset, [35]neque receptus Romanis per Tempe in Thessaliam, neque commeatibus pervehendis eo patuisset iter. Persei pavor et incredibilis stupor.

[c] *usquam* Crev. [d] *digressi* Gron. Crev.

25 *Quarto inde die*] Olim legebatur *tertio*, manifesto errore, quem sustulit Sigonius.

26 *Usquam*] Olim *usquam*. Mutavit Sigonius.

27 *Digressi*] Lege cum Sigonio, *degressi*.

28 *Heracleum*] Sic dedit Gronovius. Ante *Heracetum*: corrupte.

29 *Campi quoque*] Gronovius legi jubet *campique*.

30 *E solio*] Solium est pars balnei, in qua quis sedens lavatur.

31 *Victum se . . . . clamitans, proripuit*] Bis intelligendum *vè se*, quamvis semel exprimatur. Clamitans se victum esse, se proripuit.

32 *Duobus ex amicis Pellam*] Hic aliqua desunt, quæ ex c. 10. infra, et ex Diodoro in Excerpt. Vales. suppleri possunt in hunc fere modum. Duobus ex amicis, Niciam proficisci jussit Pellam, ubi pecunia deposita erat, et, quidquid ejus ibi nancisceretur, in mare dejicere: alterum, Andronicum misit Thessalonicam, ut navalia incenderet. Simul Hippiam et Asclepiodotum ex præsidiis revocat. In eo tamen discrepat Diodorus a Livio, quod pro urbe Pella nominat Phacum.

33 *Auratis statuis*] Intellige insignem illam turmam, Lysippi opus: id est, statuas equestres viginti quinque, quas Alexander fieri jusserat totidem fortissimorum virorum in pugna ad Granicum occisorum.

34 *Non inconsultam audaciam*] Hoc debetur Sigonio. Antea, *non consultam*.

35 *Neque receptus Romanis per Tempe in Thessaliam*] Quatuor postremæ voces videntur huc immigrasse ex quarto ante versu. Certe iis nihil hic est opus.

U. C. 583. A. C. 169. Sunt enim Tempe saltus, etiamsi non bello fiat infestus, transitu difficilis. nam [36]præter angustias per quinque millia, qua exiguum jumento onusto iter est, rupes utrimque ita abscisæ sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit. terret et sonitus et altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis. Hic locus, tam suapte natura infestus, per quatuor distantia loca [37]præsidiis regis fuit insessus. unum in primo aditu ad Gonnum erat: [38]alterum Condylon castello inexpugnabili: tertium circa Lapathunta, quem Characa adpellant: quartum viæ ipsi, qua et media et angustissima vallis est, inpositum, quam vel decem armatis tueri facile est. Intercluso per Tempe simul aditu commeatibus, simul reditu, ipsi montes, per quos descenderant, repetendi erant. [39]quod ut furto fefellerant, ita propalam, tenentibus superiora cacumina hostibus, non poterant: et experta difficultas spem omnem incidisset. Supererat nihil aliud in temere commisso, quam in Macedoniam ad Dium per medios evadere hostes: quod, nisi Dii mentem regi ademissent, ipsum ingentis difficultatis erat. Nam quum Olympi radices montis paullo plus quam mille passuum ad mare relinquant spatium, cujus dimidium loci occupat ostium late restagnans Baphyri amnis, [40]partem planiciæ aut Jovis templum, aut oppidum tenet; reliquum perexiguum fossa modica valloque claudi poterat, et saxorum ad manum silvestrisque materiæ tantum erat, ut vel murus objici, turresque excitari potuerint. Quorum nihil quum dispexisset cæcata mens subito terrore, [41]nudatis omnibus præsidiis, patefactisque bello, ad Pydnam refugit.

VII. Consul, plurimum et præsidii et spei cernens in stultitia et segnitie hostis, remisso nuncio ad Sp. Lucretium Larissam, ut castella, relicta ab hoste, circa Tempe occuparet, præmisso Popillio ad explorandos transitus circa Dium, postquam patere omnia in omnes partes animadvertit, se-

36 *Præter angustias*] Præterquam quod angusta via est per quinque millia, adeo ut exiguum onusto jumento iter sit, utrimque . . . Parum videntur convenire huic descriptioni ea quæ Plinius l. IV. c. 8. de eodem loco habet. *Tempe*, inquit, *quinque millium passuum longitudine, et forma sesquijugeri latitudine, ultra visum hominis attollentibus se dextra lævaque leniter convexis jugis.*

37 *Præsidiis regis*] Mallemus cum Gronovio *regiis*. Sic enim solet Livius.

38 *Alterum Condylon*] Idem Gronovius legendum existimat *alterum*, nempe præsidium, *ad Condylon*. *Castello* intellige *cum castello*, vel *in castello*.

39 *Quod ut furto fefellerant*] Quod ut fecerant fallentes furto Persea Macedonasque, ita propalam facere non poterant, si tenuissent cacumen hostes. Transscenderant quidem illos saltus, quia fefellerant hostem: at idem facere non poterant palam et aperta vi, si hostis obstitisset.

40 *Partem planitiæ*] Revocavit primæ editionis scripturam Gronovius. Vulgatæ habent *planitiei*.

41 *Nudatis omnibus præsidiis*] Nudatis præsidio omnibus locis.

rundis castris pervenit ad Dium: metarique [42] sub ipso templo, nè quid sacro in loco violaretur, jussit. Ipse, urbem ingressus, sicut non magnam, ita exornatam [43] publicis locis et [44] multitudine statuarum, munitamque egregie, vix satis credere, in tantis rebus sine caussa relictis non aliquem subesse dolum. Unum diem ad exploranda circa omnia moratus, castra movet: satisque credens, paratam frumenti copiam fore, eo die ad amnem nomine Mityn processit. Postero die progressus, Agassam urbem, tradentibus sese ipsis, recepit: et, ut reliquorum Macedonum animos sibi conciliaret, obsidibus contentus, sine præsidio relinquere se eis urbem, inmunesque ac suis legibus victuros, est pollicitus. Progressus inde diei iter, ad Ascordum flumen posuit castra: et, [45] quantum procederet longius a Thessalia, eo majorem rerum omnium inopiam sentiens, regressus ad Dium est; dubitatione omnibus exemta, quid intercluso ab Thessalia patiendum fuisset, cui procul inde abscedere tutum non esset. Perseus, contractis in unum omnibus copiis ducibusque, increpare præfectos præsidiorum, ante omnes Asclepiodotum atque Hippiam: ab his dicere claustra Macedoniæ tradita Romanis esse: cujus culpæ reus nemo justius, quam ipse, fuisset. Consuli postquam ex alto conspecta classis spem fecit, cum commeatu naves venire, (ingens enim caritas annonæ ac prope inopia erat) ab invectis jam portum audit, onerarias naves Magnesiæ relictas esse. Incerto inde, quidnam agendum foret, (adeo sine ulla ope hostis quæ adgravaret, cum ipsa difficultate rerum pugnandum erat) peropportune literæ a Sp. Lucretio adlatæ sunt: castella se, quæ super Tempe essent et circa Philan, tenere omnia, frumentique in iis et aliarum in usum rerum copiam invenisse.

U. C. 583. A. C. 169. Cos. Dium pervenit.

Inopia laborat.

VIII. His magnopere lætus consul ab Dio ad Philan ducit, simul ut præsidium ejus firmaret, simul ut militi frumentum, cujus tarda subvectio erat, divideret. Ea profectio famam haudquaquam secundam habuit. nam alii, metu recessisse eum ab hoste, ferebant, quia [46] manenti imperatori prœlio dimicandum foret: alii [47] ignarum, belli quæ in dies

Dium relinquit.

42 *Sub ipso templo*] Templum Jovis intellige, cujus sub finem c. præcedentis mentio facta est.

43 * *Publicis locis*] Qualia sunt fora, porticus, basilicæ.

44 *Multitudine statuarum*] Vid. not. 33. ad c. proxime præcedens: * et intellige, præter illam amicorum turmam, quam Perseus in classem congesserat, aliarum quoque statuarum non mediocrem numerum in urbe Dio fuisse.

45 *Quantum procederet longius*] Muretus et Gronovius reponunt *quanto*. Sed quid vetat dici *quantum longius* quemadmodum apud Plautum *quam magis intendas vincula?* Nimirum *quantum* regitur a præpositione *secundum* intellecta.

46 *Manenti imperatori*] Vox *imperatori* omnino otiosa est.

47 *Ignarum belli quæ*] Magis placeret, mutato duarum vocum ordine, *ignarum, quæ belli in dies fortuna no-*

U. C. 583. A. C. 169.

fortuna novaret; ut qui, obferentibus sese rebus, omisisset e manibus ea, quæ mox repeti non possent. Simul enim cessit possessione Dii, excitavit hostem, ut nunc[d] tandem sentiret, recuperanda esse, quæ prius culpa amissa forent.

Perseus Dium redit.

Audita enim profectione consulis, regressus Diuna, quæ disjecta ac vastata ab Romanis erant, reficit: pinnas mœnium decussas reponit, ab omni parte muros firmat: deinde quinque millia passuum ab urbe citra ripam Enipei amnis castra ponit; amnem ipsum, transitu perdifficilem, pro munimento habiturus. Fluit ex valle Olympi montis, æstate exiguus, hibernis idem incitatus pluviis: [48]et supra rupes ingentes gurgitibus facit, et intra prorupta, in mare evolvendo terram, præaltas voragines, cavatoque medio alveo ripas utrimque præcipites. Hoc flumine Perseus [49]septum iter hostis credens, extrahere reliquum tempus ejus æstatis in animo habebat. Inter hæc consul a Phila Popillium cum duobus millibus armatorum Heracleum mittit. abest a Phila quinque millia ferme passuum, media regione inter Diuna Tempeque, in rupe amni inminente positum.

Heracleum obpugnatum.

IX. Popillius, priusquam armatos muris admoveret, misit, qui magistratibus principibusque suaderent, fidem clementiamque Romanorum, quam vim, experiri mallent. nihil ea consilia moverunt, quia ignes ad Enipeum ex regis castris adparebant. Tum terra marique (et classis adpulsa ab litore stabat) simul armis, simul operibus machinisque, obpugnari cœpti. Juvenes etiam quidam Romani, ludiere circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effusione inducta [50]bestiis omnium gentium circum complendi, varia spectaculorum conquirere genera: [51]nec, semel quadrigis, semel

[d] *tunc* Gron. Crev.

varat. Aut certe sic expenendus locus, quasi hoc ordine collocatæ voces essent: qua de forma loquendi vid. not. 89. ad l. IV. c. 17. supra.

48 *Et supra rupes ingentes gurgitibus*] Emenda ex Gronovii mente: *Et supra rupes, ingentes gurgites facit, et infra, prorutam in mare evolvendo terram, præaltas voragines.* Nempe intelligendum est rupibus in ipso alveo enatis cursum amnis impediri. Supra eas rupes tardatæ earum objectu aquæ ingentes gurgites faciunt. Infra easdem rupes vis aquarum per se ipsa proruit terram, et alveum magis ac magis cavat.

49 *Septum iter hostis*] Melius *hosti*.

50 *Bestiis omnium gentium*] Vult Fulvius Ursinus *omnium generum*. Potest tamen vulgata lectio retineri, ut recte monet Dujatius. Sensus est: bestiis ex toto terrarum Orbe conquisitis. Nota est hæc Romanorum insania, tum ex multis aliis testimoniis, tum ex litteris Cœlii ad Ciceronem, l. VIII. Ep. Cic. ad Fam. * Fortasse erunt quibus placeat magis legere *bestiis omnium generum*.

51 *Nec semel quadrigis*] Gronovius scribendum existimat, *et semel quadrigis:* ut voluerit Livius, non ita multiplicatos esse olim, ut novo suo, quadrigarum et desultorum missus; atque adeo, ut muneris tempus produceretur, conquisita esse varia spectaculorum genera. Gronovianæ emendationi præivere Onufrius Panvinius, et Jul. Cæsar Bullingerus: quorum alter, l. I. de Ludis Circensibus, c. 8. alter libro de Circo ludisque Circensi-

desultore misso, vix unius horæ tempus utrumque curricu- U. C. 593.
lum complebat. Inter cetera sexageni ferme juvenes, inter- A. C. 169.
lum plures, [52] adparitoribus * ludi armati inducebantur. horum inductio [53] in parte simulacrum decurrentis exercitus erat; ex parte [54] elegantioris exercitii, quam militaris artis, propiorque gladiatorium armorum usum. [55] Quum alios decursus edidissent motus, quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nisis, fastigatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant. Hinc quinquaginta ferme pedum spatio distantes duo armati procurrebant, comminatique inter se, ab ima in summam testudinem per densata scuta quum evasissent, nunc velut propugnantes per oras extremæ testudinis, nunc in media inter se concurrentes, haud secus quam stabili solo persultabant. Huic testudini simillima parti muri admota, quum armati superstantes subissent, propugnatoribus muri fastigio altitudinis æquabantur: depulsisque iis, in urbem [56] duorum signorum milites transcenderunt. Id tantum dissimile fuit, quod, et in fronte extrema, et ex lateribus, soli non habebant super capita elata scuta ne nudarent corpora; [57] sed prætecta pugnantium more. ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes læserunt, et testudini injecta imbris in modum lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur. Et consul, capto jam Heracleo, castra eo promovit; tamquam Dium, atque, inde submoto rege, in Pieriam etiam progressurus. Sed, hiberna jam præparans, vias commeatibus subvehendis ex Thessalia muniri jubet, et eligi horreis opportuna loca tectaque ædificari, ubi diversari portantes commeatus possent.

X. Perseus, tandem [58] a pavore eo, quo adtonitus fuerat, Pudet Persea pavoris sui.

* *ab apparitoribus* Gron.

bus, c. 50. hunc Livii locum allegantes, habent, *Nam semel quadrigis:* sive ex conjectura corrigerent locum, sive in suis Livii exemplaribus sic legerent. Qui sint desultores, docet ipse aliud agendo Livius, l. XXIII. c. 29. *Numidæ . . quibus desultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transsultare mos erat.* Denique hoc eodem loco Gronovius reposuit ex antiquis editis *utrumque curriculum,* quum recentiores mendose habeant *utrumque circulum. Curriculum* hic idem valet ac *cursus.*

52 *Apparitoribus ludi*] Sic legebatur in veteribus editis, teste Gronovio. Nuperi adjecerunt *ab* ante *apparitoribus.* Multum blanditur Mureti conjectura: *interdum plures apparatioribus ludis.*

53 *In parte . . ex parte*] Hæc sic dicta sunt, quomodo si iteraretur *partim.*

54 *Elegantioris exercitii, quam militaris artis*] Expunge cum Gronovio vocem *artis.*

55 *Quum alios decursus edidissent motus*] Malit Dujatius *decursu:* et merito quidem.

56 *Duorum signorum*] Duorum manipulorum. Vid. not. 2. ad l. XXXIII. c. 1.

57 *Sed prætecta*] Reponit Lipsius *prætenta.* Refertur enim ad *scuta.*

58 *A pavore . . recepto animo, malle*] Adjecit Sigonius voculam *a,* et legi jussit *malle* pro *mallet.*

U. C. 583. A. C. 169.

recepto animo, malle, imperiis suis non obtemperatum esse, quum trepidans gazam in mare dejici Pellæ, Thessalonicæ navalia jusserat incendi. Andronicus, Thessalonicam missus, traxerat tempus, [59]id ipsum quod accidit, pœnitentiæ relinquens locum. incautior Nicias Pellæ projiciendo [60]pecuniæ partem, quod fuerat nactus: sed [61]in rem emendabilem visus lapsus esse, quod per urinatores omne ferme extractum est. tantusque pudor regi pavoris ejus fuit, ut urinatores clam interfici jusserit; deinde Andronicum quoque et Nician, ne quis tam dementis imperii conscius exsisteret. Inter hæc C. Marcius, cum classe ab Heracleo Thessalonicam profectus, et agrum pluribus locis, expositis per litora armatis, late vastavit, et procurrentes ab urbe, secundis aliquot prœliis, trepidos intra mœnia compulit. jamque ipsi urbi terribilis erat, [62]quum, dispositis omnis generis tormentis, non vagi modo circa muros, temere adpropinquantes, sed etiam qui in navibus erant, saxis tormento emicantibus [63]percutiebantur. Revocatis igitur in naves militibus, omissaque Thessalonicæ obpugnatione, Æniam inde petunt. quindecim millia passuum ea urbs abest, adversus Pydnam posita, fertili agro. Pervastatis finibus ejus, legentes oram, Antigoneam perveniunt. ibi, egressi in terram, primo et vastarunt agros passim, et aliquantum prædæ contulerunt ad naves. dein palatos eos adorti Macedones, mixti pedites equitesque, fugientes effuse ad mare persecuti, quingentos ferme occiderunt, et non minus ceperunt. Nec aliud, quam ultima necessitas, quum recipere se tuto ad naves prohiberentur, animos militum Romanorum, simul desperatione alia salutis, simul indignitate, irritavit. Redintegrata in litore pugna est. adjuvere et, qui in navibus erant. Ibi Macedonum ducenti ferme cæsi; par numerus captus. Ab Antigonea classis profecta, ad agrum Pallenensem exscensionem ad populandum fecit. Finium is ager Cassandrensium erat, longe fertilissimus omnis oræ,

Variæ urbes a Rom. frustra tentatæ.

59 *Idipsum quod accidit, pœnitentiæ relinquens locum*] Scabra Gronovio videtur hæc oratio, non nobis. *Nulla hic erit difficultas, si in interpretando membrorum ordinem inverteris. † *Pœnitentiæ relinquens locum, idipsum quod accidit*, id est, quod quidem ipsum accidit, nempe ut regem pœniteret.

60 *Pecuniæ partem, quod fuerat nactus*] Et hunc locum Gronovius post Freinshemium conjecturis sollicitat. Nobis nihil videtur esse vitii. *Pecuniæ partem*, scilicet *id quod fuerat nactus*.

61 *In rem emendabilem . . . lapsus esse*] Potest tolerari vulgatum. Magis tamen placeret, quod subjicit Gronovius, *in errorem . . emendabilem*.

62 *Quum dispositis omnis generis tormentis*] Ab iis qui in urbe erant. *Tota periodus habere videtur aliquid obscuri propter nimiam brevitatem. Sensus est: jamque ipsi urbi terribilis erat, quum subito conversa est rerum facies, dispositis super urbis muros tormentis, quibus Romani, et in agris, et in ipsis quoque navibus percutiebantur. Itaque absistere incepto coacti sunt.

63 *Percutiebantur*] Lege *percuterentur*.

quam prætervecti fuerant. Ibi Eumenes rex, viginti tectis navibus ab Elea profectus, obvius fuit; et quinque missæ a Prusia rege tectæ naves. U. C. 583. A. C. 169.

XI. Hac virium accessione animus crevit prætori, ut Cassandream obpugnaret. [64]Condita est a Cassandro rege in ipsis faucibus, quæ Pallenensem agrum ceteræ Macedoniæ jungunt, hinc Toronaïco, hinc Macedonico septa mari. Eminet namque in altum lingua, in qua sita est: [65]nec minus, quam in altum magnitudine Atho mons, excurrit, obversa in regionem Magnesiæ duobus inparibus promontoriis; quorum majori Posideum est nomen, minori Canastræum. Divisis partibus obpugnare adorti: Romanus ad Clitas, quas vocant, munimenta, [66]cervis etiam objectis, ut viam intercluderet, a Macedonico ad Toronaïcum mare perducit. ab altera parte [67]euripus est: inde Eumenes obpugnabat. Romanis in fossa complenda, quam nuper objecerat Perseus, plurimum erat laboris. Ibi quærenti prætori, quia nusquam cumuli adparebant, quo regesta e fossa terra foret, [68]monstrati sunt fornices: *non ad eamdem crassitudinem, qua veterem murum, sed simplici laterum ordine, structos esse.* Consilium igitur cepit, transfosso pariete iter in ur-

64 *Condita est a Cassandro rege*] Olim Potidæa, teste Plinio, l. IV. c. 10. Illam deinde vel auxerat, vel instauraverat Cassander, et de suo nomine *Cassandream* dixerat.

65 *Nec minus quam in altum magnitudine Atho mons excurrit*] Prolixa et verbosa oratio, et quæ sapiat sarcinatoris manum. * Reseca vocem *magnitudine*, et, levi trajectione verborum, emenda: *nec minus in altum quam Atho mons excurrit.*

66 *Cervis etiam objectis*] *Cervi* erant ramosi trunci arborum, quos in terram ante fossam vallumque depangere et varie serere solebant, ad obstruendum aut impediendum iter. Nomen habuerunt a similitudine cornuum cervi. Plura de iis vide apud Lips. l. II. Poliorcet. Dial. 2.

67 *Euripus*] Intelligenda videtur fossa aliqua manu facta, quæ maris æquas acciperet. Nam tales fossæ *Euripi* apud antiquos nominabantur.

68 *Monstrati sunt fornices*] Gronovius reponit *monstratum est*, atque etiam hanc emendationem Clericus in contextum admiserat. Sed videtur antiqua lectio stare posse. Nimirum in iis quæ sequuntur, τὰ *structos esse* pendent a verbo *dicebant*, *dictum est*, intellecto, ex solenni more Livii. Ceterum totius loci, qui ob nimiam brevitatem sane perspicuus non est, hic fortasse sensus esse possit. Quærebat prætor, quo regesta e fossa terra esset. Monstrati sunt fornices, dictumque illos structos esse e terra quam e fossa egesserant, in lateres cocta. Quod ut probarent ii qui prætorem tota de re commonefaciebant, observabant illos fornices aliter structos esse ac veterem murum urbis, nec proinde eodem tempore. Fossa autem, ut supra annotatum est, nuper objecta fuerat a Perseo. Quum igitur fossa esset recens facta, fornices item recens structi, hoc argumento aliquatenus dicta firmabant. Prætori e re natum est consilium, ut fornicum parietes simplici laterum ordine structos, quod facile factu erat, transfoderet, atque id sibi iter in urbem patefaceret. Restaret explicandum, ubi et quem ad usum structi illi fornices, et qui eorum pariete perfosso in urbem pateret via. Hæc non facile expedimus. Tantum observabimus fossam tunc completam non fuisse a Romanis. Itaque locus ubi perfossi sunt fornices, debuit esse citra fossam, si Romanos respicias. In ejusmodi locis non possumus non multum desiderare Polybium, qui ut militaris vir, et locorum peritus, et accuratissimus scriptor, omnia, ni fallit animus, diligentius exposuerat.

U. C. 583. A. C. 169. bem patefacere. fallere autem ita se posse, si, muros a parte alia scalis adortus, tumultu injecto, [69] in custodiam ejus loci propugnatores urbis avertisset. Erant in præsidio Cassandreæ, præter non contemnendam juventutem oppidanorum, octingenti Agrianes, [70] et duo millia Penestarum Illyriorum, [71] a Pleurato inde missi, bellicosum utrumque genus. His tuentibus muros, quum subire Romani summa vi niterentur, momento temporis parietes fornicum perfossi urbem patefecerunt. [72] quod si, qui inrupere, armati fuissent, extemplo cepissent. Hoc ubi perfectum esse opus militibus nunciatum est, clamorem alacres gaudio repente tollunt, aliis parte alia in urbem inrupturis.

XII. Hostes primum admiratio cepit, quidnam sibi repentinus clamor vellet. postquam patere urbem accepere, præfecti præsidii Pytho et Philippus, [73] pro eo, qui occupasset adgredi, opus factum esse rati, cum valida manu Agrianum Illyriorumque erumpunt: Romanosque, qui alii aliunde coïbant convocabanturque, ut signa in urbem inferrent, incompositos atque inordinatos fugant, persequuntur-que ad fossam: in quam compulsos ruina cumulant. sexcenti ferme ibi interfecti, omnesque prope, qui inter murum fossamque deprehensi erant, vulnerantur. Ita suo ipse conatu perculsus prætor, segnior ad alia factus consilii erat: et ne Eumeni quidem, simul a mari, simul a terra adgredienti, quidquam satis procedebat. Placuit igitur utrique, custodiis firmatis, ne quod præsidium ex Macedonia intromitti posset, quoniam vis aperta non processisset, operibus mœnia obpugnare. Hæc parantibus his, decem regii lembi, ab Thessalonica cum delectis Gallorum auxiliaribus missi, quum in salo stantes hostium naves conspexissent; ipsi, obscura nocte, simplici ordine, quam poterant proxime litus tenentes, intrarunt urbem. Hujus novi præsidii fama absistere obpugnatione simul Romanos regemque coëgit. circumvecti promontorium, ad Toronam classem adpulerunt. Eam quoque obpugnare adorti, ubi

69 *In custodiam ejus loci*] Quem scalis adoriretur.

70 *Et duo millia Penestarum*] Sic dedit Sigonius, quum inveniret *M millia*: unde ille effecit *MM.* sive *duo millia*. Tamen l. XLIII. c. 23. dicitur *Perseus ex Penestarum gente mille pedites, ducentos equites . . . Cassandriam, præsidio ut essent, misisse.*

71 *A Pleurato inde missi*] Pro *inde*, quod procul dubio vitiosum est, lege vel *deinde*, vel cum Gronovio *eodem*.

72 *Quod si, qui irrupere*] Nulli irrupere, ut constat ex c. seq. Neque inermes id facere fuissent ausi, tanto vitæ periculo. Legit ergo Perizonius, *quod si, qui irrumperent, armati fuissent*: hoc sensu, si præsto fuissent armati, qui irrumperent in urbem. Nobis probabilius videtur quod Dujatius suggerit, *qui perfodere*, vel *qui perrupere*, nempe parietem.

73 *Pro eo*] Antea *Proco*. Emendavit Freinshemius, adstipulante Gronovio. Rati opus factum a Romanis ei utile futurum, qui primus aggredi maturasset.

valida defendi manu animadverterunt, irrito incepto Demetriadem petunt. Ibi quum adpropinquantes repleta mœnia armatis vidissent, prætervecti ad Iölcon classem adpulerunt; inde, agro vastato, Demetriadem quoque adgressuri. U. C. 583. A. C. 169.

XIII. Inter hæc et consul, ne segnis sederet tantum in agro hostico, M. Popillium cum quinque millibus militum ad Meliboeam urbem obpugnandam mittit. Sita est in radicibus Ossæ montis, qua parte in Thessaliam vergit, opportune inminens super Demetriadem. Primus adventus hostium perculit incolas loci: conlectis deinde ex nocopinato pavore animis, discurrunt armati ad portas ac mœnia, qua suspecti aditus erant: spemque extemplo inciderunt, capi primo inpetu posse. Obsidio igitur parabatur, et opera obpugnationum fieri cœpta. Perseus, quum audisset, simul Meliboeam a consulis exercitu obpugnari, simul classem Iölci stare, ut inde Demetriadem adgrederetur, Euphranorem quemdam ex ducibus cum delectis duobus millibus Meliboeam mittit. eidem imperatum, ut, si a Meliboea submovisset Romanos, Demetriadem prius occulto itinere intraret, quam ab Iölco ad urbem castra moverent Romani. Et ab obpugnatoribus Meliboeæ, quum in superioribus locis repente adparuisset, cum trepidatione multa relicta opera sunt, ignisque injectus. ita a Meliboea abscessum est. Euphranor, soluta unius urbis obsidione, Demetriadem extemplo ducit. nec tum mœnia modo, sed agros etiam [74]confiderunt se a populationibus tueri posse: et eruptiones in vagos populatores non sine vulneribus hostium factæ sunt. Circumvecti tamen mœnia sunt prætor et rex, situm urbis contemplantes, si qua parte tentare aut opere aut vi possent. Fama fuit, per [75]Cydantem[e] Cretensem et Antimachum, qui Demetriadi præerat, tractatas inter Eumenem et Persea conditiones amicitiæ. ab Demetriade certe abscessum est. Eumenes ad consulem navigat: gratulatus, quod prospere Macedoniam intrasset, Pergamum in regnum abit[f]. Marcius Figulus prætor, parte classis in hiberna Sciathum missa, cum reliquis navibus [76]Oreum Bœotiæ petit, eam urbem aptissimam ratus, unde exercitibus, qui in Macedonia, quique in Thessalia erant, mitti commeatus possent. De Eumene rege longe diversa tradunt. Si Valerio Antiati credas, nec classe adjutum ab eo prætorem esse, quum sæpe

[e] *Cydam* Crev. [f] *abiit* Gron. Crev.

74 *Confiderunt*] Observa parum omnino usitatum verbum, pro *confisi sunt*.

75 *Cydam*] Sic Sigonius. Antea *Cydantem*.

76 *Oreum Bœotiæ*] Oreum urbs est Eubœæ insulæ, non Bœotiæ. Lege ergo *Oreum Eubœæ*. Neque enim vitium est in nomine urbis, quum infra c. 30. Octavius prætor, qui Marcio successit, dicatur isse *Oreum ad classem*.

U. C. 583. A. C. 169. eum literis arcessisset, tradit, [77]nec eum gratia ab consul profectum in Asiam, indignatum, quod, ut iisdem castris tenderet, permissum non fuerit. ne ut equites quidem Gallos, quos secum adduxerat, relinqueret, impetrari ab eo potuisse. Attalum fratrem ejus et remansisse apud consulem et sinceram ejus fidem æquali tenore egregiamque operam in eo bello fuisse.

XIV. Dum bellum in Macedonia geritur, legati Transalpini ab regulo Gallorum (Balanos ipsius traditur nomen; gentis, ex qua fuerit, non traditur) Romam venerunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia. Gratiæ ab senatu actæ, muneraque missa, torquis aureus [78]duo pondo, et pateræ aureæ quatuor pondo, equus phaleratus, armaque equestria. Secundum Gallos Pamphyli legati coronam auream, [79]ex viginti millibus Philippeorum factam, in curiam intulerunt: petentibusque iis, ut id donum in cella Jovis optimi maximi ponere, et sacrificare in Capitolio liceret, permissum. benigneque amicitiam renovare volentibus legatis responsum, et [80]binûm millium æris singulis missum munus.

Prusiæ et Rhodiorum legati. Tum ab rege Prusia, et paullo post ab Rhodiis, de eadem re longe aliter disserentes legati auditi sunt. utraque legatio de pace reconcilianda cum rege Perseo egit. Prusiæ preces magis, quam postulatio, fuere, profitentis, *et ad id tempus se cum Romanis stetisse, et, quoad bellum foret, staturum. Ceterum quum ad se a Perseo legati venissent de finiendo cum Romanis bello, et iis pollicitum deprecatorem apud senatum futurum;* [81]*petere, si possent inducere in animum, ut finiant iram, se quoque in gratia reconciliatæ pacis posse uti.* hæc regii legati. Rhodii, superbe commemoratis erga populum Romanum beneficiis, et pene victoriæ, utique de Antiocho rege, majore parte [82]ad se vindicata, adjecerunt: *Quum pa*

Rhodiorum superba oratio.

77 * *Nec cum gratia ab consule profectum*] Neque ita profectum ab consule, ut integra esset inter illos gratia et amicitia, sed cum mutua offensione.

78 *Duo pondo*] Qui tres marcas nostrates, unciam unam pondo haberet. *Quatuor pondo.* Sex marcas, uncias duas.

79 *Ex viginti millibus Philippeorum*] Aureorum: qui quum singuli pares essent didrachmo, sequitur viginti millia nummorum Philippeorum redire ad 400. libras Romanas pondo, marcas nostrates 625. Immane profecto pondus, etiamsi detrahatur manus pretium. Sed corona illa dicanda erat Jovi, et stabili sede in Capitolio collocanda.

80 *Binûm millium æris*] Marcarum argenti 3. unciæ 1.

81 *Petere, si possent*] Lege cum Gronovio *et petere*, quod respondeat iis quæ præcedunt, *et pollicitum.* Ultima hujus periodi sic ab eo formantur: *se quoque in gratia reconciliatæ pacis uti ponerent:* id est, darent sibi locum ineundæ gratiæ apud Persea, tanquam pacis reconciliatori. Hujus locutionis, *ponere in gratiam*, vel *in gratia*, exempla ex epistolis Ciceronis hic allegat Gronovius. Unum afferemus e lib. V. ad Att. ep. 11. *Apud Patronem te in maxima gratia posui.* Feci, ut magnam tibi gratiam haberet Patro, ostendendo ei, te, quod desiderat, id mihi vehementer commendasse.

82 *Ad se vindicata*] Olim *a se.* Emendavit Sigonius.

inter Macedonas Romanosque esset, sibi amicitiam cum rege Perseo cœptam. eam se invitos, nullo ejus in se merito, quoniam ita Romanis visum sit in societatem se belli trahere, interrupisse. Tertium se annum multa ejus incommoda belli sentire. mari intercluso, inopia insulam premi, amissis [83] *maritimis vectigalibus atque commeatibus. Quum id ultra pati non possent, legatos alios ad Persea in Macedoniam misisse, qui ei denunciarent, Rhodiis placere, pacem eum componere cum Romanis: se Romam eadem nunciatum missos. Per quos stetisset, quo minus belli finis fieret, adversus eos quid sibi faciendum esset, Rhodios consideraturos esse.* Ne nunc quidem hæc sine indignatione legi audirive posse, certum habeo. inde existimari potest, qui habitus animorum audientibus ea Patribus fuerit. U. C. 583. A. C. 169.

XV. Claudius, nihil responsum, auctor est: tantum senatusconsultum recitatum, quo Caras et Lycios liberos esse juberet populus Romanus, literasque extemplo ad utramque gentem* [84] scirent indicatum mitti. Qua audita re, principem legationis, cujus magniloquentiam vix curia paullo ante ceperat, conruisse. Alii responsum esse tradunt, *Populum Romanum et principio hujus belli haud vanis auctoribus compertum habuisse, Rhodios cum Perseo rege adversus rempublicam suam occulta consilia inisse: et, si id ante dubium fuisset, legatorum paullo ante verba ad certum redegisse: et plerumque ipsam se fraudem, etiamsi initio cautior fuerit, detegere. Rhodios* [85] *nuncio in orbe terrarum arbitria belli pacisque agere:* [86] *Deorum nutu arma sumturos positurosque Romanos esse. jam non Deos fœderum testes, sed Rhodios habituros.* [87] *Itane tandem iis pareatur, exercitusque de Macedonia* Castigatio ferocia Rhodiorum.

83 * *Maritimis vectigalibus æque commeatibus*] Maritima vectigalia sunt portoria, et aliæ mercedes quæ in publicum redigebantur ex mercibus importatis in insulam. Maritimi commeatus, quæcunque mari invehuntur ad usum commoditatemque vitæ.

84 *Scirent indicatum*] Hæc corrupta esse cuivis apparet. Sigonius legendum putat *ut scirent*: id est, ut Rhodii scirent rem indicatam esse Lyciis et Caribus. Sed hoc nobis frigidum et obscurum videtur. Magis inclinat sententia ut credamus *vè scirent indicatum* ab aliquo emendatore esse, qui depravatam aliquatenus veterem scripturam nactus magis fœdaverit; Liviumque scripsisse: *Litterasque extemplo ad utramque gentem et senatusconsultum mitti.* Nempe mos est sæpe testatus Livio, ut litteræ alicujus magistratus cum senatusconsulto mittantur. Sic l. XXVI. c. 15. *litteras a Calpurnio prætore Fulvio et senatusconsultum tradidit.*

85 *Nuncio*] Uno nuncio per Orbem terrarum misso. Sic Cic. pro Lege Manil. n. 11. *tot civium Romanorum millibus uno nuncio atque uno tempore necatis.*

86 *Deorum nutu*] Magis placeret *eorum*, nempe Rhodiorum: siquidem in duobus orationis membris, præcedenti et sequenti, amara punguntur ironia Rhodii, quæ perit, si legimus *deorum*; retinetur, si reponimus *eorum*. Nisi melius est legere *Rhodiorum*. In ipsa enim repetitione inest aliquid irrisionis.

87 *Itane tandem*] Hunc locum sic legere et interpungere placeret: *Itane tandem? Ni pareatur, exercitusque de Macedonia deportentur, visuros esse quid sibi faciendum sit?* Hæc ultima verba ex oratione Rhodiorum desumpta, hic per irrisionem repetuntur.

U. C. 583. A. C. 169.

deportentur? Visuros esse, quid sibi faciendum sit. Quid Rhodii visuri sint, ipsos scire. Populum certe Romanum, devicto Perseo, quod prope diem sperent fore, visurum, ut pro meritis cujusque in eo bello civitatis gratiam dignam referat. Munus tamen legatis in singulos binûm millium aeris missum est: quod ii non acceperunt.

Marcii litteræ.

XVI. Literæ deinde recitatæ Q. Marcii consulis sunt, *Quemadmodum, saltu superato, in Macedoniam transisset: [88]ibi et[g] ex aliis locis [89]commeatus a prætore prospectos in hiemem habere, et ab Epirotis [90]viginti millia modiûm tritici, decem hordei sumsisse: ut [91]pro eo[h] frumento [92]pecunia Romæ legatis eorum curaretur. Vestimenta militibus ab Roma mittenda esse: equis ducentis ferme opus esse, maxime Numidis: nec sibi in his locis ullam copiam esse.* Senatusconsultum, ut ea omnia ex literis consulis fierent, factum est. C. Sulpicius prætor sex millia togarum, triginta tunicarum, et equos deportanda in Macedoniam, præbendaque arbitratu consulis locavit, et legatis Epirotarum pecuniam pro frumento solvit; et Onesimum, Pythonis filium, nobilem Macedonem, in senatum introduxit. Is [93]pacis semper auctor regi fuerat, monueratque, sicut pater ejus Philippus institutum usque ad ultimum vitæ diem servabat, [94]quotidie bis in die fœderis icti cum Romanis perlegendi; ut eum morem, si non semper, crebro tamen usurparet. Postquam deterrere eum a bello nequiit, primo subtrahere sese per alias atque alias caussas, ne interesset iis, quæ non probabat, cœpit: postremo, quum suspectum se esse cerneret, et proditionis interdum crimine insimulari, ad Romanos transfugit: magno usui consuli fuit. Ea introductus in curiam quum memorasset, senatus in formulam sociorum eum referri jussit: locum, lautia præberi: agri Tarentini, qui publicus populi Romani esset, ducenta jugera dari, et ædes Tarenti emi: uti ea curaret, C. Decimio prætori mandatum. Censores censum Idibus Decembribus, severius quam ante, habuerunt: multis equi ademti, inter quos P. Rutilio,

Onesimi Macedonis præmia.

Census.

g *et ibi et* Gron. h *eo* del. Ead.

88 *Ibi et ex aliis locis*] Vulgo *et ibi et ex aliis*, contra primæ editionis fidem, teste Hearnio.

89 *Commeatus a prætore prospectos*] Hoc debetur Sigonio. Prius *commeatus rempublicam prospectos*. Nimirum, ut idem observat, sæpe et facile librarii decepti sunt in his vocibus, *P. R. et R. P. et PR. Populus Romanus, Res Publica, Prætor.*

90 *Viginti millia modiûm*] Modios Parisienses plus 15416. *Decem millia*, 7708.

91 *Pro eo frumento*] Addidimus ex vetustioribus editis vocem *eo*, quæ respicit triticum et hordeum memorata in iis quæ proxime præcedunt.

92 *Pecunia . . . curaretur*] Solveretur. *Curare pecuniam, curare nummos*, sæpe occurrit in epistolis Ciceronis: puta l. II. ad Q. Fratr. ep. 4. l. VII. ad Att. ep. 3. et alibi sæpius.

93 *Pacis semper auctor regi*] Male olim legebatur *regis*. Emendavit Sigonius.

94 *Quotidie bis in die*] Vel *quotidie* vacat, vel *in die*.

qui tribunus plebis eos violenter [95]accusarat; tribu quoque U. C. 583.
is motus, [96]et ærarius factus. Ad opera publica facienda A. C. 169.
quum eis dimidium ex vectigalibus ejus anni adtributum ex senatusconsulto a quæstoribus esset; Ti. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi adtributa erat, ædes P. Africani [97]pone Veteres ad Vortumni signum, [98]lanienasque et tabernas conjunctas in publicum emit, [99]basilicamque faciendam curavit, quæ postea Sempronia adpellata est.

XVII. Jam in exitu annus erat, et propter Macedonici maxime belli curam in sermonibus homines habebant, quos in annum consules ad finiendum tandem id bellum crearent. itaque senatusconsultum factum est, ut Cn. Servilius primo quoque tempore ad comitia habenda veniret. Senatusconsultum [1]Sulpicius prætor ad consulem * post paucos dies recitavit, quibus ante diem ** in urbem venturum. Et consul maturavit, et comitia eo die, qui dictus erat, sunt perfecta. Comitia. Consules creati L. Æmilius Paullus iterum, [2]septimo decimo anno postquam primo consul fuerat, et C. Licinius Crassus. Prætores postero die facti Cn. Bæbius Tamphilus, L. Anicius Gallus, Cn. Octavius, P. Fonteius Balbus, M. Æbutius Elva, C. Papirius Carbo. Omnia ut maturius agerentur, belli Macedonici stimulabat cura. itaque designatos extemplo sortiri placuit provincias; ut, utri Macedonia consuli, [3]cuique prætori classis venisset, sciretur: ut jam inde cogitarent pararentque, quæ bello usui forent, senatumque consulerent, si qua re consulto opus esset. *Latinas, ubi magistratum inissent, quod per religiones posset, primo quoque tempore fieri placere; neque consulem, cui eundum in Macedoniam esset, teneri.* His decretis, consulibus Italia et Macedonia, prætoribus, præter duas jurisdictiones in urbe, classis, et Hispania, et Sicilia, et Sardinia provinciæ nominatæ sunt. Consulum, Æmilio Macedonia, Licinio Italia evenit. Prætores, Cn. Bæbius urbanam, L. Anicius peregrinam, et si quo senatus censuisset, Cn. Octavius classem, P. Fonteius Hispaniam, M. Æbutius Siciliam, C. Papirius Sardiniam est sortitus.

95 *Accusarat*] Libri ante Sigonium habebant *accusaret*: mendose.

96 *Et ærarius*] Hoc a Fulvio Ursino est. Prius *ut operarius*.

97 *Pone veteres*] Vel excidit nomen, quod jungatur τῷ *veteres*, vel ut in illis locorum appellationibus fieri solet, brevitatis causa ex usu communi supprimebatur. Illud supplere non nostrum est.

98 *Lanienas*] Sic Turnebus jussit legi. Antea *laneas*.

99 *Basilicam*] Vid. not. 44. ad l. XXVI. c. 27.

1 *Sulpicius prætor ad consulem misit*] Hic locus suppletus est ex Gronovii mente: tantum, dies quo se in urbem venturum scribebat consul, certo definiri non potuit.

2 *Septimodecimo anno*] Imo *decimo quarto*, vel, si ambo extremi anni numerentur, *decimo quinto*.

3 *Cuique prætori classis venisset*] Lege *evenisset*, vel *obvenisset*. Sic enim ubique Livius.

U. C. 583. A. C. 169. Belli Macedonici adparatus.

XVIII. Extemplo adparuit omnibus, non segniter i bellum L. Æmilium gesturum; præterquam quod alius v erat, etiam quod dies noctesque intentus ea sola, quæ ad i bellum pertinerent, animo agitabat. Jam omnium primu a senatu petit, ut legatos in Macedoniam mitterent ad exe citus visendos classemque, et comperta referenda, quid a terrestribus aut navalibus copiis [4]opus esset: præterea u explorarent copias regias, quantum possent, quaque pr vincia nostra, qua hostium foret: utrum intra saltus castr Romani haberent, an jam omnes angustiæ exsuperatæ, et i æqua loca pervenissent: qui fideles nobis socii, qui dubi suspensæque ex fortuna fidei, qui certi hostes viderentur quanti præparati commeatus, et unde terrestri itinere, und navibus subportarentur: [5]quid ea æstate terra marique re rum gestarum esset: ex his bene cognitis certa in futurun consilia capi posse ratus. Senatus Cn. Servilio consuli ne gotium dedit, ut is in Macedoniam, quos L. Æmilio videre tur, legaret. Legati biduo post profecti, Cn. Domitiu Ahenobarbus, A. Licinius Nerva, L. Bæbius. Bis in exit anni ejus lapidatum esse nunciatum est; in Romano agro [6]simul in Veientibus. novemdiale sacrum factum est. Sacer dotes eo anno mortui sunt, P. Quinctilius Varus, flamen Mar tialis; et M. Claudius Marcellus decemvir: in cujus locu Cn. Octavius subfectus. Et jam magnificentia crescent notatum est, ludis circensibus P. Cornelii Scipionis Nasica et P. Lentuli ædilium curulium sexaginta tres [7]Africana et quadraginta ursos et elephantos [8]lusisse.

Ludorum circensium magnificentia.

U. C. 584. A. C. 168. L. Æmilio II. C. Licinio Coss.

XIX. L. Æmilio Paullo, C. Licinio consulibus, Idibu Martiis principio insequentis anni, quum in exspectation Patres fuissent, maxime quidnam consul de Macedoni cujus ea provincia esset, referret; *nihil se habere*, Paullu *quod referret, quum nondum legati redissent*, dixit. *Ceteru Brundisii legatos jam esse, bis ex cursu* [9]*Dyrrachium ejecto Cognitis mox, quæ nosci prius in rem esset, relaturum: id fo intra perpaucos dies. Et, ne quid profectionem suam tenere* [10]*pridie Idus Aprilis Latinis esse constitutam diem. Sacr*

4 *Opus esset*] Olim *opus est*. Mutavit jure Sigonius.

5 *Quid . . . rerum gestarum esset*] Emendat Gronovius *gestum*.

6 *Simul in Veientibus*] Feliciter emendat Jac. Gronovius: *simul in Veienti. Bis novendiale sacrum*. Toties enim novendiale sacrum fiebat, quoties lapidibus pluisse visum erat. Vid. l. XXVII. c. 37.

7 *Africanas*] Pantheras, ut patet ex Plinio, l. VIII. c. 17.

8 *Lusisse*] In ludis exhibitos esse. Intelligenda videtur venatio facta Circo, vel pugna bestiarum inter se.

9 *Dyrrachium ejectos*] *Ejici v* bum est naufragorum. *Ejectum lit re, egentem*. Vid. not. 70. ad l. XXI c. 34. Magis placet cum Gronovio gere *rejectos*.

10 *Pridie Idus Aprilis*] Lege ex 22. infra, et ex fragmento tabular diurnarum, seu, ut censent alii, lib rum linteorum, quod Pighius vulgav *pridie Kalendas Apriles*, sive *Aprilis*.

ficio rite perfecto, se et Cn. Octavium, simul senatus censuisset, exituros esse. C. Licinio collegæ suo fore curæ, se absente, ut, si qua parari mittive ad id bellum opus sit, parentur mittanturque. Interea legationes exterarum nationum audiri posse. U. C. 584. A. C. 168.

[11] Sacrificio rite perfecto, primi Alexandrini, legati [12] ab Ptolemæo et Cleopatra regibus, vocati sunt. Sordidati, barba et capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi curiam, procubuerunt: et oratio, quam habitus, fuit miserabilior. Antiochus Syriæ rex, qui obses Romæ fuerat, per honestam speciem majoris Ptolemæi reducendi in regnum, bellum cum minore fratre ejus, qui tum Alexandriam tenebat, gerens, et ad Pelusium navali prœlio victor fuerat, et, tumultuario opere ponte per Nilum facto, transgressus cum exercitu, obsidione ipsam Alexandriam terrebat: nec procul abesse, quin potiretur regno opulentissimo, videbatur. Ea legati querentes orabant senatum, ut opem regno regibusque amicis imperio ferrent. *Ea merita populi Romani in Antiochum, eam apud omnes reges gentesque auctoritatem esse, ut, si legatos misissent, qui denunciarent, non placere senatui, sociis regibus bellum fieri, extemplo abscessurus a mœnibus Alexandriæ, abducturusque exercitum in Syriam esset. Quod si cunctentur facere, brevi extorres regno Ptolemæum et Cleopatram Romam venturos, cum pudore quodam populi Romani, quod nullam opem in ultimo discrimine fortunarum tulissent.* Moti Patres precibus Alexandrinorum, extemplo [13] C. Popillium Lænatem, et [1] C. Decimium, et C. Hostilium legatos, ad finiendum inter reges bellum, miserunt. Prius Antiochum, dein Ptolemæum adire jussi, et nunciare, ni absistatur bello, per utrum stetisset, eum non pro amico, nec pro socio habituros esse.

Alexandrini legati.

Ad Antiochum et Ptolemæum mittuntur legati.

XX. His intra triduum simul cum legatis Alexandrinis profectis, legati ex Macedonia [14] Quinquatribus ultimis adeo exspectati venerunt, uti, nisi vesper esset, extemplo senatum vocaturi consules fuerint. Postero die senatus fuit; legatique auditi sunt. Ii nunciant, *Majore periculo, quam emolumento, exercitum per invios saltus in Macedoniam inductum. Pieriam,* [15] *quo processisset, regem tenere: castra cas-*

Legatorum ex Macedonia reducum oratio.

[1] *et* del. Crev.

11 *Sacrificio rite perfecto, primi*] Vix dubium videtur esse, tres primas voces ex quinto ante versu huc immigravisse. Nihil iis hoc loco opus est.

12 *Ab Ptolemæo*] Ptolemæo Epiphani duo filii fuere, Ptolemæus Philometor, qui sororem Cleopatram in matrimonio habuerat, et Ptolemæus Evergetes, sive Physcon, qui tum pulso fratre Alexandriam tenebat cum Cleopatra, quam Philometori ademerat. Ab his, nempe Ptolemæo minore et Cleopatra, venerat legatio de qua hic agit Livius.

13 *C. Popillium Lænatem, C. Decimium, et C. Hostilium*] Sic voluit Sigonius. Olim editi habebant, *et C. Decimium, C. Hostilium.* Vulgati nunc geminant *et.*

14 *Quinquatribus ultimis*] Ultimo die Quinquatruum. Vid. not. 49. ad l. XXX. c. 36. De Quinquatribus egimus ad l. XXVI. c. 27.

15 *Quo processisset*] Romanus exercitus. Ceterum hic habes emendatio-

U. C. 584. A. C. 168.

*tris prope ita conlata esse, ut flumine Enipeo interjecto arceantur. neque regem pugnandi potestatem facere, nec nostris vim ad cogendum esse. Hiemem etiam asperam rebus gerendis intervenisse, in otio militem ali, nec plus quam sex **[k] frumentum habere. Macedonum dici triginta millia armatorum esse. Si Ap. Claudio circa Lychnidum satis validus exercitus foret, potuisse ancipiti bello [16]distinere[l] regem: nunc et Appium, et quod cum eo præsidii sit, in summo periculo esse, nisi propere aut justus exercitus eo mittatur, aut illi inde deducantur. Ad classem se ex castris profectos, sociorum navalium partem morbo audisse absumtam; partem, maxime qui ex Sicilia fuerint, domos suas abisse, et homines navibus deesse. qui sint, neque stipendium accepisse, neque vestimenta habere. Eumenem classemque ejus, tamquam vento adlatas naves, sine caussa et venisse, et abisse: nec animum ejus regis constare satis visum.* Sicut omnia de Eumene dubia, [17]Attali egregie constantem fidem nunciabant.

S. C. de belli adparatu.

XXI. Legatis auditis, tunc de bello referre sese L. Æmilius dixit. Senatus decrevit, *ut in [18]octo legiones parem numerum tribunorum consules et populus crearent: creari autem neminem eo anno placere, nisi qui honorem gessisset. Tum ex omnibus tribunis militum uti L. Æmilius in duas legiones in Macedoniam, quos eorum velit, eligat, et ut, sollemni Latinarum perfecto, L. Æmilius consul, Cn. Octavius prætor, cui classis obtigisset, in provinciam proficiscantur.* Additus est his tertius L. Anicius prætor, cujus inter peregrinos jurisdictio erat. eum in provinciam Illyricum circa Lychnidum Ap. Claudio succedere placuit. Delectus cura C. Licinio consuli inposita. is septem millia civium Romanorum et equites ducentos scribere jussus; et sociis nominis Latini septem millia peditum imperare, quadringentos equites; et [19]Cn. Servilio Galliam obtinenti provinciam literas mittere, ut sexcentos equites conscriberet. Hunc exercitum ad collegam primo quoque tempore mittere in Macedoniam jussus. neque in ea provincia plus quam duas legiones esse; eas repleri, ut sena millia peditum, trecenos haberent equites. ceteros equites peditesque in præsidiis disponi. qui eorum idonei ad militandum non essent, dimitti.

[k] pro asteriscis *dierum* exhibent Gron. Crev. et prior quidem uncinis non inclusum. [l] *distineri* Crev.

nem Gronovianam. Prisci editi *processit*.

16 *Distineri*] Vulgo *distinere*. Mutavit Gronovius.

17 *Attali*] Scribe cum eodem Gronovio, *ita Attali*.

18 *Octo legiones*] In ea quæ sequitur legionum descriptione sex tantum enumerantur. Sed præterea duæ credi possunt urbanæ fuisse. Vid. not. 20. ad XXXIII. 25.

19 *Cn. Servilio*] Prioris anni consuli, qui, ut ex hoc loco discimus, prorogato ex consulatu imperio Galliam obtinebat.

Decem præterea millia peditum imperata sociis, et octingenti equites. Id præsidii additum Anicio, præter duas legiones, [20]quas portare in Macedoniam est jussus, quina millia peditum et ducenos habentes, trecenos equites: et in classem quinque millia navalium sociûm sunt scripta. Licinius consul duabus legionibus obtinere provinciam jussus: eo addere sociorum decem millia peditum, et sexcentos equites. U. C. 584. A. C. 168.

XXII. Senatusconsultis perfectis, L. Æmilius consul e curia in concionem processit, orationemque talem habuit. L. Æmilii Cos. oratio. *Animadvertisse videor, Quirites, majorem mihi, sortito Macedoniam provinciam, gratulationem factam, quam quum aut consul essem consalutatus, aut quo die magistratum inissem: neque id ob aliam caussam, quam quia bello in Macedonia, quod diu trahitur, existimastis dignum majestate populi Romani exitum per me inponi posse. Deos quoque huic favisse sorti spero, eosdemque in rebus gerendis adfuturos esse. Hæc partim* [21] *opinari, partim sperare possum. Illud adfirmare pro certo habeo audeoque, me omni ope adnisurum esse, ne frustra vos hanc spem de me conceperitis. Quæ ad bellum opus sunt, et senatus decrevit, et (quoniam extemplo proficisci placet, neque ego in mora sum) C. Licinius collega, vir egregius, æque enise parabit, ac si ipse id bellum gesturus esset. Vos, quæ scripsero senatui, aut vobis, credite. rumores credulitate vestra ne alatis, quorum auctor nemo exstabit. Nam nunc quidem, quod vulgo fieri, hoc præcipue bello, animadverti, nemo tam famæ contemtor est, cujus non debilitari animus possit. In omnibus circulis, atque etiam (si Diis placet) in conviviis sunt, qui exercitus in Macedoniam ducant; ubi castra locanda sint, sciant; quæ loca præsidiis occupanda; quando, aut quo saltu intranda Macedonia; ubi horrea ponenda; qua terra, mari subvehantur commeatus; quando cum hoste manus conserendæ; quando quiescendum sit. Nec, quid melius faciendum sit, modo statuunt, sed, quidquid aliter, quam ipsi censuere, factum est, consulem veluti dicta die accusant. Hæc magna inpedimenta res gerentibus sunt. nec enim omnes tam firmi et constantis animi contra adversum rumorem esse possunt, quam Fabius fuit: qui suum imperium minui* [22] *per vanitatem populi maluit, quam secunda fama male rem gerere. Non sum is, qui non existimem admonendos duces esse: immo eum, qui de sua unius sententia omnia gerat, superbum judico magis, quam sapientem. Quid ergo est? Primum a prudentibus, et proprie rei*

20 *Quas portare in Macedoniam est jussus*] Imo *in Illyricum*. Hæc enim Anicio provincia obtigerat.

21 * *Opinari*] Parum proprium hoc loco verbum. Legimus *ominari*. Sensus est. Hæc ita futura spondere mihi possum, partim ex ominibus, quibus propitia nobis deorum voluntas declaratur; partim ex spe, quam subjicit ratio haud fallax.

22 *Per vanitatem populi*] Per inconsultam populi levitatem.

U. C. 584. A. C. 168.

*militaris peritis, et usu doctis, monendi imperatores sunt: deinde ab his, qui intersunt gerendis * loco*[m], qui hostem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem velut navigio participes sunt periculi. Itaque si quis est, qui, quod e republica sit, suadere se mihi in eo bello, quod gesturus sum, confidat; ne deneget operam reipublicæ, et in Macedoniam mecum veniat. nave, equo, tabernaculo, viatico etiam a me juvabitur. Si quem id facere piget, et otium urbanum militiæ laboribus præoptat, e terra ne gubernaverit. Sermonum satis ipsa præbet urbs. loquacitatem suam contineat: nos castrensibus consiliis contentos futuros esse sciat.* Ab hac concione, Latinis, quæ pridie Kalendas Apriles fuerunt, [23] in monte sacrificio rite perpetrato, protinus inde et consul et prætor Cn. Octavius in Macedoniam profecti sunt. Traditum est memoriæ, majore, quam solita, frequentia prosequentium consulem celebratum; ac prope certa spe ominatos esse homines, [24] finem esse Macedonico bello, maturumque reditum cum egregio triumpho consulis fore.

Persei adparatus.

XXIII. Dum hæc in Italia geruntur, Perseus, quod jam inchoatum perficere, quia inpensa pecuniæ facienda erat, non inducebat in animum, ut Gentium Illyriorum regem sibi adjungeret; hoc, postquam intrasse saltum Romanos, et adesse discrimen ultimum belli animadvertit, non ultra differendum ratus; quum per Hippiam legatum [25] trecenta argenti talenta pactus esset, ita ut obsides ultro citroque darentur, Pantauchum misit, ex fidissimis amicis, ad ea perficienda. Medeone Labeatidis terræ Pantauchus regi Illyrio obcurrit: ibi et jusjurandum ab rege et obsides accepit. missus et a Gentio est legatus, nomine Olympio, qui jusjurandum a Perseo obsidesque exigeret. [26] Cum eodem

Fœdus facit cum Gentio.

[m] *loca* Gron. Crev.

23 *In monte*] Albano. Ibi enim Latinarum feriarum sacrum peragi mos erat.

24 *Finem esse Macedonico bello*] Lege *finem adesse.* Sic l. II. c. 9. *Adesse finem regnis.*

25 *Trecenta argenti talenta*] Marcas argenti nostrates 28125.

26 *Cum eodem ad pecuniam*] Hæc sic intellige ex Polyb. Legat. 85. Cum eodem missi sunt alii, qui pecuniam a Perseo acciperent, alii, suadente Pantaucho, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent. Quæ sequuntur sic struimus, mutato tantum ordine, intactis ipsis vocibus ... *cum Macedonibus irent: duorum simul regum nomine incitari Rhodios ad bellum Romanum posse. Adjunctam civitatem, penes quam unam tum rei navalis gloria esset, nec terra nec mari spem relicturam Romanis. Parmenio et Morcus destinantur: quibus ita mandatum, uti jurejurando, obsidibusque, et pecunia accepta, tum demum Rhodum proficiscerentur. Venientibus Illyriis,* etc. Hunc ordinem ut vulgato anteponamus duo suadent: primum, quod in his *duorum simul regum,* etc. videmur agnoscere verba Pantauchi impellentis Gentium ad mittendos Rhodum legatos, jactantisque commoda ex societate cum Rhodiis ventura. Alterum, quod, ut hæc vulgo collocata sunt, verbum *destinantur* redundat; in ordine quem struimus, idem omnino necessarium est. Sed dubitationem omnem eximit Polybius, qui loco jam allato eum plane ordinem repræsentat, quem hic restitutum volumus. Et hinc auctoritas

ad pecuniam accipiendam missi sunt, et, auctore Pantaucho, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent, Parmenio et Morcus destinantur. quibus ita mandatum, uti, jurejurando, obsidibusque, et pecunia accepta, tum demum Rhodum proficiscerentur: *duorum simul regum nomine incitari Rhodios ad bellum Romanum posse. adjunctam civitatem, penes quam unam tum rei navalis gloria esset, nec terra nec mari spem relicturam Romanis.* Venientibus Illyriis Perseus, ab Enipeo amni ex castris cum omni equitatu profectus, ad Dium obcurrit. Ibi ea, quæ convenerunt[n] circumfuso agmine equitum facta; quos adesse fœderi sancitæ cum Gentio societatis volebat rex, aliquantum eam rem ratus animorum iis adjecturam. et obsides in conspectu omnium dati acceptique: et, Pellam ad thesauros regios missis, qui pecuniam acciperent, qui Rhodum irent cum Illyriis legatis, Thessalonicæ conscendere jussi. Ibi Metrodorus erat, qui nuper ab Rhodo venerat: auctoribusque Dinone et Polyarato, principibus civitatis ejus, adfirmabat, Rhodios paratos ad bellum esse. [27] is princeps junctæ cum Illyriis legationis datus est.

U. C. 584. A. C. 168.

Legati Persei et Gentii ad Rhodios.

XXIV. Eodem tempore ad Eumenem et ad Antiochum communia mandata, quæ subjicere conditio rerum poterat. *Natura inimica inter se esse liberam civitatem et regem. Singulos populum Romanum adgredi, et, quod indignius sit, regum viribus reges obpugnare. Attalo adjutore, patrem suum obpressum. Eumene adjuvante, et quadam ex parte etiam Philippo patre suo, Antiochum obpugnatum. in se nunc et Eumenem et Prusiam armatos esse. Si Macedoniæ regnum sublatum foret, proximam Asiam esse; quam jam ex parte, sub specie liberandarum civitatium, suam fecerint: deinde Syriam. Jam Prusiam Eumeni honore præferri, jam Antiochum victorem* [28] *præmio belli ab Ægypto arceri.* [29] *Hæc cogitantem providere* jubebat, *ut aut ad pacem secum faciendam compelleret Romanos, aut perseverantes in bello injusto communes duceret omnium regum hostes.* Ad Antiochum aperta mandata erant, ad Eumenem per speciem captivorum redimendorum missus legatus erat: verum occultiora quædam agebantur, quæ in præsentia invisum quidem et suspectum Romanis Eumenem falsis gravioribus**. Proditor

Perseus Eumenem et Antiochum sollicitat.

[n] *convenerant* Gron. Crev.

accedit similibus mutationibus, quas in quibusdam aliis locis tentavimus, puta l. XXVII. c. 2. ubi vid. not. 6. quæ et alia similia indicat exempla.

27 *Is princeps . . . legationis datus*] Mallemus *legationi*.

28 *Præmio belli ab Ægypto arceri*] Tolle cum Gronovio præpositionem: *præmio belli*, id est, *Ægypto*.

29 *Hæc cogitantem*] Sive Eumenem, sive Antiochum. Etenim ubi supra dicuntur *communia mandata*, intelligi debent eadem, sed seorsum ad Eumenem, seorsum ad Antiochum, mandata.

U.C. 584. A. C. 168.

enim ac prope hostis habitus, dum inter se duo reges c tantes fraude et avaritia certant. Cydas erat Creten ex intimis Eumenis: hic prius ad Amphipolim cum C maro quodam populari suo, militante apud Persea, i postea ad Demetriadem, semel cum Menecrate quod iterum [30] cum Antimacho, regiis ducibus, sub ipsis mo bus urbis conlocutus fuerat. Eropon° quoque, qui t missus est, duabus ad eumdem Eumenem jam ante lega nibus functus erat. Quæ conloquia occulta et legatic [31] infames quidem erant: sed, quid actum esset, qui inter reges convenisset, ignorabatur. Res autem ita se habuit.

Quid actum fuerit inter Persea et Eumenem.

XXV. Eumenes neque favit victoriæ Persei, [32] ne bello eum invadere animo habuit: [33] non tam quia pate inter eos inimicitiæ erant, quam ipsorum odiis inter accensæ. Non ea regum æmulatio, ut æquo animo Pe tantas adipisci opes, tantamque gloriam, quanta Rom victis eum manebat, Eumenes visurus fuerit. Cernebat Persea, jam inde ab initio belli, omni modo spem pacis t tasse, et in dies magis, quo propior admoveretur terror, hil neque agere aliud, neque cogitare. Romanos quoq quia traheretur diutius spe ipsorum bellum, et ipsos du et senatum, non abhorrere a finiendo tam incommodo difficili bello. Hac utriusque partis voluntate explor quod fieri etiam sua sponte tædio validioris, metu infirm ris credebat posse, in eo suam operam venditare concilia gratia magis cupiit. Nam, modo ne juvaret bello Roma terra marique, modo pacis patrandæ cum Romanis paci batur mercedem: [34] ne bello interesset, mille et quinge

° *Cryphon* Crev. p *se* Ead. q *quingena* Gron.

30 *Cum Antimacho*] Olim *Antiocho*. Emendavit Gronovius ex c. 13. supra. Idem infra legi jussit *Cryphon* ex Polyb. Legat. 85. Vulgo *Eropon*.

31 * *Infames . . . . erant*] Infamiæ Eumeni apud Romanos erant; suspectum proditionis Eumenem faciebant.

32 *Neque bello eum invadere animo habuit*] Sigonius reposuerat *in animo*. Sed nihil est præpositione opus, ut observat Gronovius. Sic Auctor de Bello Hisp. in litteris Pompeii: *cohortes animo habeo ad vos mittere*. Vid. et not. 81. ad XXXI. 18.

33 * *Non tam quia*] Hic aliquid impediti est et obscuri. Ea fuisse videtur mens Livii ut diceret, Eumenem magis æmulatione quam odio inimicitiarum eo adductum esse, ut minime faveret victoriæ Persei. In hanc sententiam sic formare Livianæ orationis contextum possumus: *non tam quia pat inter eos inimicitiæ erant, et ip odiis inter se accensæ*, quam quod *ea regum æmulatio, ut . . .*

34 *Ne bello interesset, mille et genta talenta. In utroque*] Hic quid deesse ipsa res clamat. Qui ciderit, discimus ex Appiano in cerptis de Bello Macedonico. Sic habet Græcus scriptor. Τάλαντα (Εὐμένης) τῆς μὲν διαλύσεως, χίλι πενταπόσια, τῆς δὲ ἡσυχίας χίλια. sensum procul dubio expressera vius: verba sic formamus. *Ne interesset, mille; ut pacem conci mille et quingenta talenta. Mill lenta* sunt marcæ argenti no 93750. *Mille et quingenta*, n 140625. In iis quoque quæ sequu lege: *In utrumque*. Hæc omni bentur Gronovio.

talenta. in utroque non fidem modo se, sed obsides quoque, dare paratum esse, ostendebat. Perseus ad rem inchoandam promtissimus erat, cogente metu, et de obsidibus accipiendis sine dilatione agebat, conveneratque, ut accepti Cretam mitterentur. Ubi ad pecuniæ mentionem ventum erat, ibi hæsitabat: [35] et utique alteram in tanti nominis regibus turpem ac sordidam, et danti, et magis accipienti, mercedem esse. Malebat in spem Romanæ pacis non recusare inpensam, sed eam pecuniam perfecta re daturum; interea Samothracæ in templo depositurum. Ea insula quum ipsius ditionis esset, videre Eumenes nihil interesse, [36] an Pellæ pecunia esset: id agere, ut partem aliquam præsentem ferret. Ita, nequidquam inter se captati, nihil præter infamiam movere. U. C. 584. A. C. 168.

XXVI. Nec hæc tantum Perseo per avaritiam est dimissa res, [37] quum pecuniam tutam et pacem habere per Eumenem, quæ vel parte regni redimenda esset, ac receptus protrahere inimicum mercede onustum, et hostes merito ei Romanos posset facere: sed etiam [38] Gentii regis parata societas, et tum Gallorum, effusorum per Illyricum, [39] ingens agmen[q] oblatum avaritia dimissum est. Veniebant decem millia equitum, par numerus [40] peditum, et ipsorum jungentium cursum equis, et in vicem prolapsorum equitum vacuos capientium ad pugnam equos. Hi pacti erant, eques [41] denos præsentes aureos, pedes quinos, mille dux eorum. Venientibus his Perseus ab Enipeo ex castris profectus obviam

Persei avaritia.

Gallorum auxilia recusat.

q *agmen* uncinis includit Crev.

35 *Et utique alteram*] Et ex duabus illis rebus, unius quidem certe, nempe ne bello interesset Eumenes, mercedem turpem ac sordidam esse.

36 *An Pellæ*] Nonne melius videatur? *ibi an Pellæ*.

37 *Quum pecuniam tutam*] Emendat Gronovius: *quum pecunia tantula aut pacem habere per Eumenem, quæ vel parte regni redimenda esset, aut deceptus protrahere inimicum . . . posset. Protrahere* intellige *indicare*. Sic infra, l. XLV. c. 5. *Suberat et ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris protraheret.*

38 *Gentii regis parata societas*] Hic intelligendum est ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *avaritia dimissa est*. Rursus c. seq. Perseus dicitur Gentium regem sibi alienavisse. Quod quidem non caret difficultate. Bellavit enim, et quidem magno suo malo, Gentius adversus Romanos. Sed nimirum bellum illud gessit, non in gratiam Persei, non tanquam Persei socius atque amicus, sed quia aliter facere non potuit, postquam legatos Romanorum in vincula conjecerat.

39 *Ingens agmen oblatum*] Vox *agmen* inserta est, postulante sensu.

40 *Peditum . . . jungentium cursum equis*] Cæsar l. I. de Bello Gallico rem fusius explicat. De Germanis loquitur: *Equitum millia erant sex: totidem numero pedites velocissimi et fortissimi, quos ex omni copia singuli singulos suæ salutis causa delegerant. Cum his in prœliis versantur: ad hos se equites recipiunt: hi, si quid erat durius, concurrebant; si qui, graviore vulnere accepto, equo deciderant, circumsistebant. Si quo erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut jubis equorum sublevati cursum adæquarent.*

41 *Denos . . . aureos*] Binas uncias nostrates cum dimidia. *Quinos*. Singulas uncias cum quarta unciæ parte. *Mille*. Marcas nostrates 31. uncias 2.

U. C. 584. A. C. 168. cum dimidia copiarum parte denunciare per vicos urbesque, quæ viæ propinquæ sunt, cœpit, ut commeatui expedirent, frumenti, vini, pecorum ut copia esset. ipse equos, phalerasque, et sagula, donum principibus ferre, et parum auri, quod inter paucos divideret, multitudinem credens trahi spe posse. Ad [42] Almanam urbem pervenit, et in ripa fluminis Axii posuit castra. circa [43] Desudabam in Mædica exercitus Gallorum consederat, mercedem pactam opperiens. Eo mittit Antigonum, ex purpuratis unum, qui juberet, multitudinem Gallorum ad Bylazora (Pæoniæ is locus est) castra movere, principes ad se venire frequentes. [44] septuaginta quinque millia ab Axio flumine et castris regis aberant. Hæc mandata ad eos quum pertulisset Antigonus, adjecissetque, per viam quanta omnium præparata cura regis copia multitudini foret, quibusque muneribus principes advenientes, vestis, argenti, equorumque excepturus rex esset, de his quidem se coram cognituros respondent. illud, quod præsens pepigissent, interrogant, [45] ecquid aurum, quod in singulos pedites equitesque dividendum esset, secum adduxisset? Quum ad id nihil responderetur, Clondicus regulus eorum, *Abi, renuncia ergo*, inquit, *regi*, [46] *nisi aurum obsidesque accepissent, nusquam inde Gallos longius vestigium moturos*. Hæc relata regi quum essent, advocato consilio, quum, quid omnes suasuri essent, adpareret, ipse, pecuniæ, quam regni, melior custos, institit de perfidia et feritate Gallorum disserere. *Multorum jam ante cladibus expertum, periculosum esse, tantam multitudinem in Macedoniam accipere, ne graviores eos socios habeant, quam hostes Romanos. Quinque millia equitum sat esse, quibus et uti ad bellum possent, et quorum multitudinem ipsi non timeant.*

XXVII. [47] Adparebat in omnibus, mercedem multitudinis timere, nec quidquam aliud: sed, quum suadere consulenti nemo auderet, remittitur Antigonus, qui nunciaret,

42 *Almanam*] Jubet legi Turnebus *Albanam*, et intelligi eam urbem quæ a Ptolemæo vocatur *Albanopolis* in finibus Macedoniæ. Ortelius non probat hanc Turnebi conjecturam, rescribitque *Almonem*, oppidum Thessaliæ Plinio memoratum l. IV. c. 8. Utrique huic emendationi parum videtur convenire cum locorum situ et Axio flumine.

43 *Desudabam*] Hoc nomen non immerito suspectum est Jac. Gronovio, qui mutat illud in *Æsimam*; quæ urbs etsi Edonis vulgo attribuitur, nihil tamen vetat eam aliquando habitam fuisse finium Mædicæ, quæ Edonis vicina est.

44 *Septuaginta quinque millia*] Lucas nostrates 25.

45 *Ecquid aurum . . . . adduxisset*] Magis placeret, quod Gronovius subjicit: *advexisset*.

46 *Nisi aurum . . accepissent*] Lege cum eodem Gronovio *acceperint*.

47 *Apparebat in omnibus*] Dele sine ulla dubitatione præpositionem. Apparebat omnibus iis qui in consilio erant, simulatum esse illum timorem; quem jactitabat Perseus: nec quidquam aliud eum a multitudine timere, quam magnitudinem pecuniæ quæ in ejus multitudinis stipendium erogandam esset.

quinque millium equitum opera tantum uti regem: contemnere multitudinem aliam. Quod ubi audivere barbari, U. C. 584. A. C. 168. ceterorum quidem fremitus fuit, indignantium se frustra excitos sedibus suis: Clondicus rursus interrogat, ecquid ipsis quinque millibus, quod convenisset, numeraret? Quum adversus id quoque misceri ambages cerneret, inviolato fallaci nuncio, (quod vix speraverat ipse posse contingere) retro ad Istrum, perpopulati Thraciam, qua vicina erat viæ, redierunt. Quæ manus, quieto sedente rege ad Enipeum, adversus Romanos [48] Perrhæbiæ saltum in Thessaliam traducta, non agros tantum nudare populando potuit, ne quos inde Romani commeatus exspectarent, sed ipsas exscindere urbes, tenente ad Enipeum Perseo Romanos, ne urbibus sociis opitulari possent. Ipsis quoque Romanis de se cogitandum fuisset: quando neque manere, amissa Thessalia, unde exercitus alebatur, potuissent, neque progredi, quum ex adverso castra Macedonum ***. qui ea pependerant spe, haud mediocriter debilitavit. Eadem avaritia Gentium regem sibi alienavit. nam, quum [49] trecenta talenta Pellæ missis a Gentio numerasset, signare eos pecuniam passus[r]. Inde decem talenta [50] ad Pantauchum missa, eaque præsentia dari regi jussit: reliquam pecuniam, signatam Illyriorum signo, portantibus suis præcipit, parvis itineribus veherent. dein, quum ad finem Macedoniæ ventum esset, subsisterent ibi, ac nuncios ab se opperirentur. Gentius, exigua parte pecuniæ accepta, quum assidue[s] Pantaucho ad lacessendos hostili facto Romanos stimularetur, M. Perpernam et L. Petillium legatos, qui tum forte ad eum venerant, in custodiam conjecit. Hoc audito, Perseus, contraxisse eum necessitates ratus ad bellum utique cum Romanis, ad revocandum, [51] qui pecuniam portabat, misit: velut nihil aliud agens, quam ut, quanta maxima posset, præda ex victo Romanis reservaretur. Et ab Eumene Eropon, ignotis, quæ occulte acta erant, redit. De captivis actum esse et ipsi evulgaverant, et Eumenes consulem, vitandæ[t] suspicionis caussa, certiorem fecit.

Gentium in fraudem inpellit.

XXVIII. Perseus, post reditum ab Eumene Eropontis

Classis Persei.

[r] add. *est* Gron. [s] ins. *a* Gron. Crev. [t] *evitandæ* Gron.

48 *Perrhæbiæ saltum . . . traducta*] Gruterus legendum existimat *per Perrhæbiæ*. Sed nihil mutandum. Sic dixit Livius *traducta Perrhæbiæ saltum*, ut l. XXI. c. 23. *Iberum copias trajecit*. Regitur nempe nomen a præpositione quæ verbo adjuncta est.

49 *Trecenta talenta*] Marcas argenti nostrates 28125. *Decem*. Marcas 937. uncias 4.

50 *Ad Pantauchum missa*] Lege cum Gronovio, *misit*. In iis quæ præcedunt, vulgati nunc habent *passus est*, sed invitis veteribus editionibus, quæ habent tantummodo *passus*, teste eodem Gronovio.

51 *Qui pecuniam portabat*] Corrigunt Dujatius et Jac. Gronovius *portabant*, propterea quod præcedit *portantibus suis*. Sed hic potest intelligi dux eorum qui pecuniam portabant.

U. C. 584. A. C. 168. spe dejectus, Antenorem et Callippum præfectos classis cum quadraginta lembis (adjectæ ad hunc numerum quinqu pristes erant) Tenedum mittit; [52]ut inde sparsæ per Cy cladas insulas naves, Macedoniam cum frumento petentes tutarentur. Cassandreæ deductæ naves in portus primum qui sub Atho monte sunt, inde Tenedum placido mari quum trajecissent, stantes in portu Rhodias apertas naves Euda mumque præfectum earum, [53]inviolatas, atque etiam be nigne adpellatos dimiserunt. Cognito deinde, [54]in later altero quinquaginta onerarias suarum, stantibus in osti portus Eumenis rostratis, quibus Damius præerat, inclusa esse; [55]circumvecti[t] propere, ac submotis terrore hostium navibus, onerarias, datis, qui prosequerentur, decem lembis in Macedoniam mittunt: ita ut [56]in tutum prosecuti redirent Tenedum. Nono post die ad classem, jam ad Sigeum stantem, redierunt. Inde Subota (insula est interjecta Elææ[u] et Atho) trajiciunt. Forte postero die, quam Subota classis tenuit, quinque et triginta naves, quas hippagogos vocant, ab Elæa profectæ cum equitibus Gallis equisque, Phanas promontorium Chiorum petebant, unde transmittere in Macedoniam possent. Attalo ab Eumene mittebantur. Has naves per altum ferri quum ex specula signum datum Antenori esset, profectus a Subotis, inter Erythrarum promontorium Chiumque, qua artissimum fretum est, iis obcurrit. Nihil minus credere præfecti Eumenis, quam Macedonum classem in illo vagari mari: nunc Romanos esse, nunc Attalum, aut remissos aliquos ab Attalo ex castris Romanis Pergamum petere. Sed quum jam adpropinquantium forma lemborum haud dubia esset, et concitatio remorum, directæque in se proræ, [57]hostes adpropinquare aperuissent; tunc injecta trepidatio est, quum resistendi spes nulla esset, inhabilique navium genere, et Gallis vix quietem ferentibus in mari. Pars eorum, qui propiores [58]continenti litori erant, in Erythræam[x] enarunt: pars, velis datis, ad Chium naves ejecere, relictisque equis, effusa fuga

[t] *circumvectis* Crev. [u] *Eleæ* Gron. [x] *Erythream* Gron. Crev.

52 *Ut inde sparsæ*] Videtur melius futurum *sparsi*, ut referatur ad præfectos classemque potius quam ad pristes.

53 *Inviolatas, atque etiam benigne appellatos*] Lege *inviolatos*, nempe Eudamum ceterosque Rhodios qui erant in navibus.

54 *In latere altero*] Insulæ Tenedi.

55 *Circumvectis*] Aliæ editiones habent *circumvectus*, aliæ *circumvectos*. Sed cuivis patet legendum esse: *circumvecti* præfecti classis Macedonicæ, *ac summotis terrore* ipso, quem advenientes injecerunt, *hostium navibus*.

56 *In tutum*] Olim *totum*. Emendavit Sigonius.

57 *Hostes appropinquare aperuissent*] Conjectura Turnebi. Prius legebatur *apparuisset*. Quod si quis retinere velit, legat *et concitatione remorum, directisque in se proris hostes appropinquare apparuisset*.

58 *Continenti litori*] Sic Horatius: *Parum locuples continente ripa*.

urbem petebant. Sed, propius urbem lembi accessuque commodiore quum exposuissent armatos, partim in via fugientes Gallos adepti Macedones ceciderunt, partim ante portam exclusos. clauserant enim Chii portam, ignari, qui fugerent, aut sequerentur. Octingenti ferme Gallorum occisi, ducenti vivi capti: equi, pars in mari, fractis navibus, absumti; partim [59] nervos subciderunt in litore Macedones. viginti eximiæ equos formæ cum captivis eosdem decem lembos, quos ante miserat, Antenor devehere Thessalonicam jussit, et primo quoque tempore ad classem reverti: Phanis se eos exspectaturum. Triduum ferme classis ad urbem stetit. Phanas inde progressi sunt, et, spe celerius reversis decem lembis, evecti Ægeo mari Delum trajecerunt. U. C. 584. A. C. 168.

XXIX. Dum hæc geruntur, legati Romani, C. Popillius, et [x] C. Decimius, et C. Hostilius, a Chalcide profecti, tribus quinqueremibus Delum quum venissent, lembos ibi Macedonum quadraginta, et quinque regis Eumenis quinqueremes invenerunt. Sanctitas templi insulæque inviolatos præstabat omnes. Itaque permixti Romanique et Macedones et Eumenis navales socii in templo, inducias religione loci præbente, versabantur. Antenor, Persei præfectus, quum aliquas [60] alto præferri onerarias naves ex speculis significatum foret, parte lemborum ipse insequens, parte per Cycladas disposita, præterquam si quæ Macedoniam peterent, omnes aut subprimebat, aut spoliabat naves. [61] quibus poterat, Popillius aut Eumenis naves subcurrebat: [62] sed vecti nocte binis aut ternis plerumque lembis Macedones fallebant. Per id fere tempus legati Macedones Illyrique simul Rhodum venerunt, quibus auctoritatem addidit non lemborum modo adventus, passim per Cycladas atque Ægæum vagantium mare, sed etiam conjunctio ipsa regum Persei Gentiique, et fama cum magno numero peditum equitumque venientium Gallorum. Et jam quum accessissent animi Dinoni ac Polyarato, qui Persei partium erant, non benigne modo responsum regibus est, sed palam pronunciatum, *bello finem se auctoritate sua inpositurus esse. itaque ipsi quoque reges æquos adhiberent animos ad pacem accipiendam.* Legati Rom. in insula Delo.

XXX. [63] Jam veris principium erat, novique duces in

[x] *et* del. Crev.

59 *Nervos succiderunt*] Intelligimus nervos poplitum, ut supra jam exposuimus l. XXXVII. c. 42.

60 *Alto præferri*] Prætervehi. Sic l. XXVIII. c. 30. *Unius prælata impetu lateris alterius remos detersit.*

61 *Quibus poterat, Popillius, aut Eumenis naves, succurrebat*] Lege cum Gronovio *poterant* et *succurrebant.*

62 *Sed vecti nocte*] Sed Macedones nocte paucis lembis *vecti*, sive fortasse *evecti*, fallebant Popillium et Eumenis naves, sicque nullo obstante onerarias hostiles impugnabant.

63 *Jam veris principium erat*] Ini-

U. C. 564. A. C. 168. provinciam venerant; consul Æmilius in Macedoniam, C tavius Oreum ad classem, Anicius in Illyricum, cui bell dum adversus Gentium. Patre Pleurato rege Illyriorum matre Eurydica genitus fratres duos, Platorem utroque rente, Caravantium matre eadem natum, habuit. H propter ignobilitatem paternam minus suspecto, Plator occidit et duos amicos ejus, Ettritum et Epicadum, inpig viros, quo tutius regnaret. Fama fuit, Honuni Darda rum principis filiam Etutam pacto fratri eum invidi tamquam his nuptiis adjungenti sibi Dardanorum gent et similius id vero fecit ducta ea virgo, Platore interfe Graves deinde, demto fratris metu, popularibus esse cœp et violentiam insitam ingenio intemperantia vini accen bat. Ceterum, sicut ante dictum est, ad Romanum inci tus bellum, Lissum omnes copias contraxit. quindecim n lia armatorum fuerunt. Inde, fratre in [64] Caviorum g tem, vi aut terrore subigendam, cum mille peditibus quinquaginta equitibus misso, ipse ad Bassaniam urb quinque millia ab Lisso ducit. Socii erant Romanor itaque per missos nuncios prius tentati, obsidionem p quam dedere sese, maluerunt. Caravantium in Ca [65] Durnium oppidum advenientem benigne accepit: Ca vantis altera urbs exclusit. et, quum agros eorum eff vastaret, aliquot palati milites agrestium concursu interf sunt. Jam et Ap. Claudius, adsumtis ad eum exercit quem habebat, [66] Bullinorum, et Apolloniatium, et Dy chinorum auxiliis, profectus ex hibernis, [67] circa Genus

Gentii genus et facta.

tio mensis Aprilis profectus erat Æmilius: supra c. 22. Quomodo igitur veris principio in provinciam venit? inquit Gronovius. Veris enim initium sumebant veteres a die 7. vel 8. vel 9. Februarii. Nimirum hic annus et præcedentes aliquot valde luxati fuerant a Romanis pontificibus, ut constat ex solis defectu, de quo mentio fit infra c. 37. Ille enim refertur a Livio in a. d. III. Nonas Septembres, quum revera contigerit die 21. Junii anni Juliani, ut asserit peritissimus Astronomus Ismael Bullialdus in epistola ad Gronovium ipsum, quæ ad calcem tertii tomi Liviani in editione Gronoviana habetur. Itaque quum numerabant hoc anno Romani initium mensis Aprilis, mensem Januarium numerare debuissent. Dodwellus, Dissert. X. de Cyclis Rom. Sect. 12. non tantum fuisse errorem existimat, eumque diem quem hoc anno Romani primum Aprilis numerabant, fuisse revera 21. Februarii Juliani. Itaque c. 37. hujus libri mendum in Livii contextum irrepsisse putat, et pro *Nonas* *bres* legendum esse *Nonas* Ut ut sit, intelligitur quomodo us Kalendis Aprilibus profectus pio tamen veris in provinciam Ex Bullialdi sententia, ipso vere, ut tum numerabant, in ciam venerit; ex Dodwelli, cundi mensis verni.

64 *Caviorum*] Hoc nome tum esse censet Turnebus, a bet *Cerauniorum*, vel *Caulico* non ideo fortasse mendum noscendum est, si quid oc ignoretur.

65 *Durnium*] Hoc qu incognitum est Geograph perlevi mutatione legit *E* lemæo et Plinio ducibu *Burni* et *Burnistarum* po tionem faciunt.

66 *Bulinorum*] Sic C gonius pro *Bullianorum*.

67 *Circa Genusum* l. III. de Bello Civili V. v. 462. *Genusum* vo

amnem castra habebat; audito fœdere inter Persea et Gentium, et legatorum violatorum injuria accensus, bellum haud dubie adversus eum gesturus. Anicius prætor, eo tempore Apolloniæ auditis, quæ in Illyrico gererentur, præmissisque ad Appium literis, ut se ad Genusuum opperiretur, triduo et ipse in castra venit: et [68] ad ea, quæ habebat, auxilia adsumtis[x] Parthinorum juventutis duobus millibus peditum et equitibus ducentis, (peditibus Epicadus, equitibus Algalsus[y] præerat) parabat ducere in Illyricum, maxime ut Bassanitas solveret obsidione. tenuit inpetum ejus fama lemborum vastantium maritimam oram. Octoginta erant lembi, auctore Pantaucho missi a Gentio ad Dyrrachinorum et Apolloniatium agros populandos. Tum classis ad

U. C. 584. A. C. 168. Anicii Pr. res gestæ.

* * *

to eo, tradiderunt se.

XXXI. Deinceps et urbes regionis ejus idem faciebant, adjuvante inclinationem animorum clementia in omnes et justitia prætoris Romani. Ad Scodram inde ventum est, id quod belli caput fuerat; non eo solum, quod Gentius eam sibi ceperat velut regni totius arcem, sed etiam quod Labeatium gentis munitissima longe est et difficilis aditu. Duo cingunt eam flumina, Clausala latere urbis, quod in orientem patet, præfluens, Barbana ab regione occidentis, ex Labeatide palude oriens. hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi flumini; quod, ortum [69] ex monte Scodro, multis et aliis auctum aquis, mari Hadriatico infertur. Mons Scodrus, longe altissimus regionis ejus, ab oriente Dardaniam subjectam habet, a meridie Macedoniam, ab occasu Illyricum. Quamquam munitum situ naturali oppidum erat, gensque id tota Illyriorum et rex ipse tuebatur, tamen prætor Romanus, quia prima successerant prospere, fortunam totius rei principia secuturam esse ratus, et repentinum valiturum terrorem, instructo exercitu ad mœnia succedit. Quod si clausis portis muros portarumque turres, dispositis armatis, defendissent, vano cum incepto mœnibus pepulissent Romanos. nunc, porta egressi, prœlium loco æquo majore animo commiserunt, quam sustinuerunt. Pulsi enim et fuga conglobati, quum ducenti amplius in ipsis faucibus portæ cecidissent, tantum intulerunt terrorem, ut oratores extemplo ad prætorem mitteret Gentius Teuticum

[x] *adsumtis* uncinis includit Crev. [y] *Agalsus* Gron. Crev.

68 *Ad ea quæ habebat auxilia assumptis Parthinorum juventutis*] Vox *assumptis* adjecta est a Sigonio. Gronovius potius existimat legendum: *ad ea quæ habebat auxilia, Parthinorum junctis duobus millibus peditum.*

69 *Ex monte Scodro*] Hic mons supra l. XLIII. c. 20. *Scordus* vocatur.

U. C. 564. A. C. 168.

et Bellum, principes gentis, per quos inducias peteret, deliberare de statu rerum suarum posset. Triduo in l dato, quum castra Romana quingentos ferme passus urbe abessent, navem conscendit, et flumine Barbana na gat in lacum Labeatum, velut secretum locum petens consultandum; sed, ut adparuit, falsa spe excitus, Carav tium fratrem, [70] multis millibus armatorum actis [71] ex regione, in quam missus erat, adventare. qui postqu evanuit rumor, tertio post die navem eamdem secundo ar Scodram demisit: præmissisque nunciis, ut sibi adpella prætoris potestas fieret, copia facta, in castra venit. principium orationis ab accusatione stultitiæ orsus si postremo ad preces lacrimasque effusus, genibus præto accidens, in potestatem sese dedit. Primo, bonum anim habere jussus, ad cœnam etiam invitatus, in urbem ad si rediit, et cum prætore eo die honorifice est epulatus: inde in custodiam C. Cassio tribuno militum traditus, [72] gladiatorio accepto decem talentis ab rege rex, ut in e fortunam recideret.

Gentius se dedit.

XXXII. Anicius, Scodra recepta, nihil prius, qu requisitos Petillium Perpernamque legatos ad se duci, jus quibus splendore suo restituto, Perpernam extemplo mi ad comprehendendos amicos cognatosque regis; qui, M deonem, Labeatium gentis urbem, profectus, [73] Etlev uxorem cum filiis duobus, [74] Scerdilædo[z] Pleuratoque, Caravantium fratrem Scodram in castra adduxit. Anici bello Illyrio [75] intra triginta dies perfecto, nuncium victo Perpernam Romam misit: et post dies paucos Genti regem ipsum cum parente, conjuge, ac[a] liberis, ac frat aliisque principibus Illyriorum. Hoc unum bellum pr perpetratum, quam cœptum, Romæ auditum est. Quil diebus hæc agebantur, Perseus quoque in magno terr

Capiuntur cognati regis.

Perseus in magno terrore est.

[z] *Scerdileto* Gron. Crev. [a] *ac* del. Eæd.

70 *Multis millibus armatorum actis*] Magis placeret cum Gronovio legere *coactis*.

71 *Ex ea regione in quam missus erat*] Hæc non videntur intelligenda esse de expeditione Caravantii in Cavios, de qua c. præc. egit Livius. Designatur potius amica aliqua Gentii regio, in quam Caravantius, a Caviis vel reversus, vel revocatus, missus esset a fratre ut copias contraheret. Id fortasse clarius memoraverat Livius in iis quæ interciderunt.

72 *Vix gladiatorio accepto*] Acceptis decem talentis, quæ pecuniæ summa vix tanta est, quanta dari solet iis qui operam suam arenæ locant. Decem talenta sunt marcæ argenti trates 937. unciæ 4.

73 *Etlevam uxorem*] Supra c. dicitur Gentius uxorem duxisse tam Honuni Dardanorum prin filiam. Sed fortasse idem est no *Etuta* et *Etleva*: fortasse alterutr loco vitium est. Nihil quoque v credere Etutam aut mortuam, aut pudiatam fuisse.

74 *Scerdileto*] Liber habuit *Sce lio*. Sigonius mutavit, quia *Scer tus* nomen est Illyriis regulis famili ut apparet ex superioribus libris.

75 *Intra triginta dies*] Appian Illyricis habet solummodo *viginti*.

erat, propter adventum simul Æmilii novi consulis, quem cum ingentibus minis adventare audiebat, simul Octavii prætoris. [76]Nec minus terroris a classe Romana et periculo maritimæ oræ habebat. Thessalonicæ Eumenes et Athenagoras præerant cum parvo præsidio duorum millium cætratorum. Eo et Androclem præfectum mittit, jussum sub ipsis navalibus castra habere. Æniam mille equites cum Antigono misit ad tutandam maritimam oram: ut, quocumque litore adplicuisse naves hostium audissent, extemplo ferrent agrestibus opem. quinque millia Macedonum missa ad præsidium [77]Pythii et Petræ, quibus præpositi erant Histiæus, et Theogenes, et Milo. His profectis, ripam munire Enipei fluminis adgressus est, quia sicco alveo transiri poterat. [78]Huic ut omnis multitudo vacaret, feminæ, ex propinquis urbibus coactæ, cibaria in castra adferebant: miles jussus ex propinquis silvis

U. C. 564. A. C. 168.

Ripam Enipei munit.

* * * *

XXXIII. *** postremo sequi se [79]utrarios ad mare, quod minus trecentos passus aberat, jussit, et in litore alios alibi modicis intervallis fodere. montes ingentis altitudinis spem faciebant, eo magis quia nullos apertos evergerent rivos, occultos continere latices, quorum venæ in mare permanantes [80]undæ miscerentur. Vix deducta summa arena erat, quum scaturigines turbidæ primo et tenues emicare, dein liquidam multamque fundere aquam, velut Deûm dono, cœperunt. Aliquantum ea quoque res duci famæ et auctoritatis apud milites adjecit. Jussis deinde militibus expedire arma, ipse cum tribunis [81]primisque ordinibus vadit ad contemplandos transitus; qua descensus facilis armatis, qua in ulteriorem ripam minime iniquus adscensus esset. His satis exploratis, illa quoque primum, ut ordine ac sine tumultu omnia in agmine ad nutum imperiumque ducis fierent, providit. Ubi omnibus simul pronunciaretur, [82]quod fieret, neque omnes exaudirent; incerto imperio accepto, alios, [83]ab se adjicientes, plus eo, quod imperatum sit, alios

Inventa aqua.

76 *Nec minus terroris*] Non hæc ita accipienda sunt, quasi tertius quidam terror, præter Æmilii Octaviique adventum, Perseum sollicitare diceretur. Comparat Livius maritimum terrestremque terrores inter se.

77 *Pythii*] Olim *Pythoi*. Correxit Sigonius, ut supra l. XLII. c. 53.

78 *Huic ut omnis multitudo*] Manifestum est aliquid deesse. Lege cum Mureto: *huic operi ut omnis multitudo.*

79 *Utrarios*] Vox rarissima. Intelligendi procul dubio sunt ii qui utribus aquam in castra deferre solebant.

80 * *Undæ miscerentur*] Si sana hæc sunt, vox *undæ*, sic nude posita, accipienda est pro *undis marinis*.

81 *Primis . . . . ordinibus*] Primorum ordinum centurionibus. Vid. supra l. XXX. c. 4.

82 * *Quod fieret*] Sensus videtur exigere, *quid fieri deberet*.

83 * *Ab se adjicientes*] Adjicientes aliquid ex suo ad ea quæ audierunt.

U. C. 584. A. C. 168. minus facere. clamores deinde dissonos oriri omnibus et prius hostes, quam ipsos, quid paretur, scire. Pl igitur, tribunum militum [84] primo pilo legionis [85] secr edere imperium: illum, et dein singulos, proximo cuiq ordine centurioni dicere, quid opus facto sit; sive a p signis ad novissimum agmen, sive ab extremis ad p

Vigiliæ. perferendum imperium sit. Vigiles etiam novo more sc in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilen ut armis utatur, sed ad vigilandum, ut, quum senserit l um adventum, recipiat se, excitetque ad arma alios. [86] præ se erecto stare galeatos: deinde[b] ubi fessi sint, ir pilo, capite super marginem scuti posito, sopitos star fulgentibus armis procul [87] conspici ab hoste possint, ipsi

Stationes. provideant. Stationum quoque morem mutavit. a omnes, et frenatis equis equites, diem totum perstaba quum æstivis diebus, urente assiduo sole, fieret, tot rum æstu et languore ipsos equosque fessos integri adorti hostes, vel pauci plures vexabant. itaque ex mat statione ad meridiem decedi, et in postmeridianam succ alios jussit: ita numquam fatigatos recens hostis ad poterat.

XXXIV. Hæc quum ita fieri placere, concione adv pronunciasset, adjecit urbanæ concioni convenientem

Oratio Æmilii ad milites. tionem. *Unum imperatorem in exercitu providere et cons quid agendum sit, debere, nunc per se, nunc cum iis, advocaverit in consilium. qui non sint advocati, eos nec p nec secreto jactare consilia sua. Militem hæc tria debere, corpus ut quam validissimum et pernicissimum h arma apta,* [88] *cibum paratum ad subita imperia: cetera de se Diis inmortalibus et imperatori suo curæ esse. i exercitu* [89] *milites, consul, et imperator rumoribus vulgi ci agatur, ibi nihil salutare esse. Se quod sit officium im toris, provisurum, ut bene gerendæ rei occasionem eis pr illos nihil, quod futurum sit, quærere: ubi datum signu tum militarem operam navare.* Ab his præceptis conc

[b] *dein* Gron. Crev.

84 *Primopilo*] Vid. not. 45. ad l. II. c. 27.

85 * *Secretum*] Soli primopilo, seorsum a ceteris.

86 *Scuto præ se erecto*] Hæc sunt incommoda quæ sequuntur ex illo more quem hactenus tenuerant, ut scutum et cetera arma in vigiliam ferrent.

87 *Conspici . . . . possint, ipsi nihil provideant*] Secuti sumus emendationem Gronovii, quum prius legeretur *possit* et *provident*.

88 *Cibum paratum*] Nihil h tandum est. Observari potuit perioribus libris aliquoties n Romanis imperatum, ut cibari in certum dierum numerum ha ut l. III. c. 27. et alibi sæpius.

89 *Milites consul et imperator* locum egregie emendat doc idem et ingeniosissimus Per *In quo exercitu milites consul miles consulat, imperator r vulgi circumagatur, ibi nihil esse.*

dimisit; vulgo etiam veteranis fatentibus, se illo primum die, tamquam tirones, quid agendum esset in re militari, didicisse. Non sermonibus tantum his, cum quanto adsensu audissent verba consulis, ostenderunt; sed rerum præsens effectus erat. Neminem totis mox castris quietum videres: acuere alii gladios: alii galeas [90]bucculasque, scuta alii loricasque tergere: alii aptare corpori arma, experirique sub his membrorum agilitatem: quatere alii pila, alii micare gladiis, [91]mucronemque intueri: ut facile quis cerneret, ubi primum conserendi manum cum hoste data occasio esset, aut victoria egregia, aut morte memorabili [92]inituros bellum. Perseus quoque quum, adventu consulis simul et veris principio, strepere omnia moverique apud hostes, velut novo bello, cerneret, mota a Phila castra in adversa ripa posita, nunc ad contemplanda opera sua circumire ducem, haud dubie transitus speculantem,

U. C. 584. A. C. 168.

Fervet in castris opus.

* * *

norum esse.

XXXV. Quæ res Romanis auxit animos, Macedonibus regique eorum haud mediocrem adtulit terrorem. Et primo subprimere in occulto famam ejus rei est conatus, missis, qui Pantauchum inde venientem adpropinquare castris vetarent. [93]sed jam et pueri quidam visi ab suis erant inter obsides Illyrios ducti: et, [94]quo quæque adcuratius curantur, eo facilius loquacitate regiorum ministrorum emanant. Sub idem tempus Rhodii legati in castra venerunt cum iisdem de pace mandatis, quæ Romæ ingentem iram Patrum excitavere. Multo iniquioribus animis a castrensi consilio auditi sunt. Itaque quum alii [95]præcipites sine responso agendos castris, pronunciavit, post diem quintumdecimum se responsum daturum. Interim, ut adpareret, quantum pacificantium Rhodiorum auctoritas valuisset, consultare

90 *Bucculas*] Laminas flexiles, quæ pendentes e casside, buccas tegebant. Neque enim, ut observat Lips: l. III. de Milit. Rom. Dial. 5. clausæ erant, et vultui appressæ antiquorum galeæ. His tantum bucculis genæ tegebantur.

91 *Mucronemque intueri*] Videtur aliquod latere vitium in verbo *intueri*.

92 *Inituros bellum*] Muretus legendum existimat *finituros*. Neutrum verbum hic satis congruit.

93 *Sed jam et pueri quidam*] Nihil intricatum est in verbis: sed res ipsa parum clara. Si *obsides Illyrios* intelligas obsides a Perseo regi Gentio datos, et a Pantaucho subductos ne in Romanorum manus inciderent, poteris sic exponere: Pueri quidam Macedones traditi inter ceteros obsides Gentio, et reducti in Macedoniam a Pantaucho, visi a suis erant, eosque edocuerant, quid in Illyrico gestum esset.

94 *Quo quæque accuratius curantur*] Admodum probabilis est Gronovii conjectura, *celantur*.

95 *Præcipites sine responso censerent agendos castris*] Vox *censerent* adjecta est a Gronovio, qui nihil præterea aliud excidisse putat. Dubitamus tamen, an hoc modo locus persanatus sit. Non immerito videtur Sigonius suspicari deesse membrum orationis, quod respondeat τῷ *alii*.

U. C. 584. A. C. 168. Consilia de bello.

de ratione belli gerendi cœpit. Placebat quibusdan maxime majoribus natu, per Enipei ripam munition vim facere, *confertis et vim facientibus resistere Mac non posse: ex tot castellis aliquanto altioribus ac munitic quæ validis præsidiis insedissent, priore anno dejectos* placebat, Octavium cum classe Thessalonicam pete populatione maritimæ oræ distringere copias regias altero ab tergo se ostendente bello, circumactus ad ir rem partem regni tuendam, nudare aliqua parte tra Enipei cogeretur. [97]Ipsi natura et operibus inexsup lis ripa videbatur: et, præterquam quod tormenta u disposita essent, missilibus etiam melius et certiore hostes uti audierat. Alio spectabat mens tota ducis missoque consilio Perrhæbos mercatores, Schœnum e nophilum, notæ et fidei jam sibi et prudentiæ homin cessitos secreto percunctatur, quales ad Perrhæbiam t tus sint. Quum loca non iniqua esse dicerent, [98]pra autem regis obsideri, spem cepit, si nocte inproviso manu adgressus necopinantes esset, dejici præsidia *Jacula enim et sagittas et cetera missilia in tenebris, ubi petatur, procul*[c] *provideri nequeat, inutilia esse. gladio nus geri rem in permixta turba, quo miles Romanus* His ducibus usurus, prætorem Octavium arcessitum, sito, quid pararet, Heracleum cum classe petere jub mille hominibus decem dierum cocta cibaria habere.

Nasica cum 5000. militibus mittitur ad Pythium.

P. Scipionem Nasicam, [99]Q. Fabium Maximum suum cum quinque delectis millibus Heracleum mittit, classem conscensuros ad maritimam oram interioris doniæ, quod in consilio agitatum erat, vastandam. S indicatum, cibaria his præparata ad classem esse, ne eos moraretur. Inde jussi duces itineris ita dividere ut quarta vigilia tertio die [1]Pythium adoriri possent. postero die, ut distineret regem ab circumspectu rerun rum, prima luce medio in alveo cum stationibus ho

Prœlia in alveo Enipei.

prœlium commisit. pugnatumque utrimque est levi tura: nec gravioribus armis in tam inæquali alveo pu poterat. Descensus ripæ utriusque in alveum trecen ferme passuum erat: medium spatium torrentis, alibi

[c] *procul* del. Crev.

96 *Et maxime majoribus natu*] Existimamus Livium potius scripsisse *minoribus natu*. Fervidum enim illud consilium faciendæ sibi viæ per ripam Enipei munitionesque magis sapit juvenilem ardorem, quam senilem prudentiam.

97 *Ipsi*] Æmilio.

98 *Præsidiis autem regis*] Mallemus *regiis*: ut jam alibi annota

99 *Q. Fabium Maximum filiu* Nempe is adoptatus fuerat a Maximo, atque adeo nomina p adoptivi gerebat.

1 *Pythium*] Templum Pythii, et castellum in summo jugo positum. Vid. Plut. in Æ

cavati, paullo plus quam mille passus patebat. Ibi in medio, spectantibus utrimque ex vallo castrorum hinc rege, hinc consule cum suis legionibus, pugnatum est. Missilibus procul regia auxilia melius pugnabant; cominus stabilior et tutior, [2]aut parma, aut scuto Ligustino, Romanus erat. Meridie fere receptui cani suis consul jussit. ita eo die diremtum prœlium est, haud paucis utrimque interfectis. Sole orto postero die, irritatis certamine animis, etiam acrius concursum est: sed Romani, non ab his tantum, cum quibus contractum certamen erat, sed multo magis ab ea multitudine, quæ disposita in turribus stabat, omni genere missilium telorum ac saxis maxime vulnerabantur. Ubi propius ripam hostium subissent, tormentis missa etiam ad ultimos perveniebant. Multo pluribus eo die amissis, consul paullo serius recepit suos. Tertio die prœlio abstinuit, degressus ad imam partem castrorum, veluti [3]per devexum in mare brachium transitum tentaturus. Perseus, quod in oculis erat, U. C. 584. A. C. 168.

* * *

XXXVI. * * * anni post circumactum solstitium erat: hora diei jam ad meridiem vergebat: iter multo pulvere et incalescente sole factum erat. lassitudo et sitis jam sentiebatur, et, meridie instante, magis [4]accessurum utrumque adparebat. Statuit sic adfectos recenti atque integro hosti non objicere. Sed tantus ardor in animis ad dimicandum utrimque erat, ut consuli non minore arte ad suos eludendos, quam ad hostes, opus esset. Nondum omnibus instructis, instabat tribunis militum, ut maturarent instruere: circumibat ipse ordines, animos militum hortando in pugnam accendebat. Ibi primo alacres signum poscebant. deinde, quantum incresceret æstus, et vultus minus vigentes et voces segniores erant, et quidam incumbentes scutis, nisique pilis stabant. Tum jam aperte [5]primis ordinibus imperat, metarentur frontem castrorum, et inpedimenta constitue- Æmilii cunctatio.

2 *Aut parma aut scuto Ligustino*] Hic nempe pugnabant velites Romani, qui parmam habebant; et Ligures, qui scutum, sed leve et ex more suæ gentis. Testis est Plutarchus in exercitu Æmilii fuisse aliquem numerum Ligurum.

3 *Per devexum in mare brachium*] An fossam vallumque a Perseo ducta versus mare, ac proinde a ceteris munimentis longius remota? an brachium fluminis Enipei in mare devexo alveo fluens? Si hoc posteriore sensu capias, indicaverit Livius hic scindere se flumen, atque adeo, ut fere fit, minus altum et transitu facilius esse.

4 *Accessurum utrumque*] Lassitudinem et sitim. Hic generis mutatio offendit Gronovium. Sed eodem plane modo noster supra l. XXX. c. 30. *Tuam et adolescentiam, et perpetuam felicitatem, ferociora utraque, quam quietis opus est consiliis, metuo.*

5 * *Primis ordinibus*] Primorum ordinum centurionibus. Testatur Polybius l. VI. lectos centuriones cum tribuno militum castrorum metationis apud Romanos curam habuisse.

U.C. 584. A.C. 168. rent. Quod ubi fieri milites sensere, alii gaudere palam, quod fessos viæ labore flagrantissimo æstu non coëgisset pugnare. legati circa imperatorem ducesque externi erant, inter quos et Attalus, [6]omnes adprobantes, quum pugnaturum consulem credebant: [7]neque enim ne his cunctationem aperuerat sum. tunc mutatione consilii subita quum alii silerent, Nasica unus ex omnibus ausus est monere consulem,

Nasicæ conloquium cum Paullo.

[8] *Ne hostem quidem ludificatos priores imperatores, fugiendo certamen, manibus emittere. Vereri, ne nocte abeat, sequendus maximo labore ac periculo in intima Macedoniæ; exercitusque, sicut prioribus ducibus, per calles saltusque Macedonicorum montium vagando circumagatur. Se magnopere suadere, dum in campo patenti hostem habeat, adgrediatur, nec oblatam occasionem vincendi amittat.* Consul, nihil offensus libera admonitione tam clari adolescentis, *Et ego,* inquit, *animum istum habui, Nasica, quem tu nunc habes: et, quem ego nunc habeo, tu habebis. Multis belli casibus didici, quando pugnandum, quando abstinendum pugna sit.* [9] *Non operæ sit stanti nunc in acie docere, quibus de caussis hodie quiesse melius sit. rationes alias reposcito: nunc auctoritate veteris imperatoris contentus eris.* Conticuit adolescens; haud dubie videre aliqua inpedimenta pugnæ consulem, quæ sibi non adparerent.

XXXVII. Paullus, postquam metata castra inpedimentaque conlocata animadvertit, ex postrema acie triarios primos subducit: deinde principes, stantibus in prima acie hastatis, si quid hostis moveret: postremo hastatos, ab dextro primum cornu singulorum paullatim signorum milites subtrahens. Ita pedites, equitibus cum levi armatura ante aciem hosti obpositis, sine tumultu abducti: nec ante, quam prima frons valli ac fossa perducta est, ex statione equites revocati sunt. Rex quoque, quum sine detrectatione paratus pugnare eo die fuisset, contentus, quod per hostem moram fuisse pugnæ scirent, et ipse in castra copias reduxit. Castris permunitis, C. Sulpicius Gallus tribunus militum secundæ legionis, qui prætor superiore anno fuerat, consulis permissu ad concionem militibus vocatis pronunciavit, *nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda*

Eclipsis Lunæ prædicto a Sulpicio.

6 *Omnes approbantes*] Omnes pugnare cupientes, ac proinde, quum pugnaturum consulem credebant, approbantes hoc ejus consilium.

7 *Neque enim ne his*] Videtur revocanda huc particula *quidem*, quæ infra alieno loco habetur, *ne hostem quidem.* Legimus ergo: *neque enim ne his quidem cunctationem aperuerat suam.* Duplicata hoc loco negatio nihil molestum habet, si struas hoc modo: *neque enim cunctationem aperuerat suam* ulli, *ne his quidem.*

8 *Ne hostem quidem*] Particulam *quidem* rejicimus in superiora, ut in præcedente nota diximus. Cetera Gronovio auctore sic refingimus: *Ne hostem ludificatum priores imperatores fugiendo certamen, manibus emitteret.*

9 *Non operæ sit*] Vid. not. 70. ad l. I. c. 24.

usque ad quartam horam noctis lunam defecturam esse. Id, quia naturali ordine statis temporibus fiat, et sciri ante et prædici posse. Itaque quemadmodum, [10] *quia certi solis lunæque et ortus et occasus sint, nunc pleno orbe,* [11] *nunc senescente exiguo cornu fulgere lunam non mirarentur; ita ne obscurari quidem, quum condatur umbra terræ, trahere in prodigium debere.* [12] Nocte, quam pridie Nonas Septembres insecuta est dies, edita hora luna quum defecisset, Romanis militibus Galli sapientia prope divina videri: Macedonas, ut triste prodigium, occasum regni perniciemque gentis portendens, movit: nec aliter vates. clamor ululatusque in castris Macedonum fuit, donec luna in suam lucem emersit. [13] Postero die tantus utrique ardor exercitui ad concurrendum fuerat, ut et[d] regem et consulem suorum quidam, quod sine prœlio discessum esset, accusarent. Regi promta defensio erat, non eo solum, quod hostis prior, aperte pugnam detrectans, in castra copias reduxisset; sed etiam, quod eo loco signa constituisset, quo phalanx, quam inutilem vel mediocris iniquitas loci efficeret, promoveri non posset. Consul [14] ad id, quod pridie prætermisisse pugnandi occasionem videbatur, et locum dedisse hosti, si nocte abire vellet, tunc quoque per speciem inmolandi terere videbatur tempus, quum luce prima signum propositum pugnæ ad exeundum in aciem fuisset. Tertia demum hora, sacrificio rite perpetrato, ad consilium vocavit; atque ibi, quod rei gerendæ tempus esset, loquendo et intempestive consultando videbatur quibusdam extrahere. post sermones tamen consul orationem habuit. U. C. 584. A. C. 168.

XXXVIII. *P. Nasica, egregius adolescens, ex omnibus unus, quibus hesterno die pugnari placuit, denudavit mihi suum consilium: idem postea, ita ut transisse in sententiam meam videri posset, tacuit. Quibusdam aliis absentem carpere imperatorem, quam præsentem monere, melius visum est. Et* Æmilii oratio de pugna dilata.

[d] *et* del. Gron.

10* *Quia certi Solis Lunæque et ortus et occasus sint*] Hæc nobis male cohærere videntur cum iis quæ sequuntur. Non enim ideo variant Lunæ phases, quia ejus et Solis certi sunt ortus et occasus. Melius hæc rejicerentur in anteriora, ut sic procederet Galli argumentatio. Quemadmodum Lunæ Solisque ortus et occasus, quia sunt certi, et sciri ante et prædici possunt, ita et defectus Lunæ, qui itidem naturali ordine statis temporibus fiunt. Si conjectura nostra bona est, totus locus sic formari poterit: *Id quia naturali ordine statis temporibus fiat, ut certi Solis Lunæque et ortus et occasus sunt, et sciri ante et prædici posse. Itaque quemadmodum nunc pleno orbe . . .*

11 *Nunc senescente*] Lege cum Florebello et Gronovio *senescentem.*

12* *Nocte quam pridie Nonas Septembres*] Hic Lunæ defectus, ex Astronomorum rationibus, indicit in diem 21. Junii Juliani. Atque id perbene congruit cum Solstitiali tempore, testato supra a Livio. † Vid. not. 63. ad c. 30. supra.

13* *Postero die*] Refer hæc verba ad verbum *accusarent.*

14 *Ad id quod*] Præterquam quod. Sic locutus est Livius et l. III. c. 62.

U. C. 584. A. C. 168. *tibi, P. Nasica, et quicumque idem, quod tu, occultius senserunt, non gravabor reddere dilatæ pugnæ rationem. Nam tantum abest, ut me hesternæ quietis pœniteat, ut servatum a me exercitum eo consilio credam. in qua me opinione esse ne quis sine caussa vestrûm credat, recognoscat, agedum, mecum si videtur, quam multa pro hoste et adversus nos fuerint. Jam omnium primum,* [15] *quantum numero nos præstent, neminem vestrûm nec ante ignorasse, et hesterno die* [16] *implicatam intuentes aciem animadvertisse, certum habeo. Ex hac nostra paucitate quarta pars militum præsidio inpedimentis relicta erat: nec ignavissimum quemque relinqui ad custodiam sarcinarum scitis. Sed fuerimus omnes. parvum hoc tandem esse credimus, quod ex his castris, in quibus hac nocte mansimus, exituri in aciem hodierno aut summum crastino die, si ita videbitur, Diis bene juvantibus, sumus? Nihilne interest, utrum militem, quem neque viæ labor hodie, neque operis fatigaverit, requietum, integrum in tentorio suo arma capere jubeas, atque* [17] *in aciem plenum virium, vigentem et corpore et animo educas? an longo itinere fatigatum, et onere fessum, madentem sudore,* [18] *ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis pulvere,* [19] *torrentem meridiano sole, hosti objicias recenti,* [20] *quieto, qui nulla re ante consumtas vires ad prœlium adferat? Quis, pro Deûm fidem! ita comparatus, vel iners atque inbellis, fortissimum virum non vicerit? Quid? quod hostes per summum otium instruxerant aciem, reparaverant animos, stabant compositi suis quisque ordinibus? nobis tunc repente trepidandum in acie instruenda erat, ei incompositis concurrendum?*

XXXIX. [21] *At, Hercule, aciem quidem inconditam inordinatamque habuissemus: castra munita, provisam aquationem, tutum ad eam iter præsidiis inpositis, explorata circa omnia, an nihil nostri habentes præter nudum campum, in quo pugnaremus? Majores vestri castra munita portum ad omnes casus*

15 *Quantum numero nos præstent*] Perseus supra l. XLII. c. 51. dicitur habuisse undequadraginta peditum millia, quatuor equitum. Consuli ex legionibus Romanis et exercitu sociali erant duodetriginta millia peditum, equitum duo, ut colligitur ex c. 31. l. XLII. et c. 21. hujus libri. Huc adde non magna sane Attali et Misagenis auxilia.

16 *Implicatam intuentes aciem*] Recte emendat Gronovius *explicatam*.

17 *In aciem . . . educas*] Correctio Sigonii. Antea *in acie*.

18 *Ardentibus siti faucibus*] Vide an malis *arentibus*.

19 *Torrentem meridiano sole*] Legi jubet Perizonius *torrente*. Potest tamen defendi vulgata lectio Virgiliano hoc versu, *Per pice torrentes atraque voragine ripas*. Nam ibi Servius, Æn. l. IX. v. 105. *torrentes* interpretatur *ardentes*.

20 *Quieto*] Gronovius existimat hoc quoque scripsisse Livium *requieto*. Est enim, inquit, aliud *quietus*, aliud *requietus*. Ad illud sufficit præsens quies: hoc competit illis qui aliquamdiu quiete usi sunt.

21 *At hercule aciem*] Objicit sibi Æmilius: At hercule aciem quidem inordinatam atque incompositam habuissemus, sed cetera egregie parata, id est, castra munita, provisam aquationem . . . Tum respondet: itane parati concurrissemus, an potius nihil nostri habentes, præter nudum campum, in quo pugnaremus.

exercitus ducebant esse: unde ad pugnam exirent, quo jactati tempestate pugnæ receptum haberent. ideo, quum munimentis ea [22] *sepissent, præsidio quoque valido firmabant; quod, qui castris exutus erat, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo haberetur. castra sunt victori receptaculum, victo perfugium. Quam multi exercitus, quibus minus prospera pugnæ fortuna fuit, intra vallum compulsi, tempore suo, interdum momento post, eruptione facta, victorem hostem pepulerunt? patria altera est militaris hæc sedes, vallumque pro mœnibus, et tentorium suum cuique militi domus ac penates sunt. Sine ulla sede vagi dimicassemus,* [23] *ut quo victores nos reciperemus? His difficultatibus et inpedimentis pugnæ illud obponitur: Quid si hostis hac interposita nocte abisset, quantum rursus sequendo eo penitus in ultimam Macedoniam exhauriendum laboris erat? Ego autem, neque mansurum eum, neque in aciem copias educturum fuisse, certum habeo, si cedere hinc statuisset. quanto enim facilius abire fuit, quum procul abessemus, quam nunc, quum in cervicibus sumus? Nec falleret nos, nec interdiu nec nocte abeundo. Quid autem est nobis optatius, quam ut, quorum castra, prealta fluminis ripa tuta, vallo insuper septa ac crebris turribus, obpugnare adorti sumus, eos, relictis munimentis, agmine effuso abeuntes, in patentibus campis ab tergo adoriamur? Hæ dilatæ pugnæ ex hesterno die in hodiernum caussæ fuerunt. Pugnare enim et ipsi mihi placet; et ideo, quia per Enipeum amnem septa ad hostem via erat, alio saltu, dejectis hostium præsidiis, novum iter aperui; neque prius, quam debellavero, absistam.*

U. C. 584. A. C. 168.

XL. Post hanc orationem silentium fuit, partim traductis in sententiam ejus, partim verentibus nequidquam offendere in eo, quod, utcumque prætermissum, revocari non posset. [24] Ac ne illo ipso quidem die, aut consule, aut rege, (rege[a], quod nec fessos, ut pridie, ex via, neque trepidantes in acie instruenda et vixdum compositos adgressurus erat; consule, quod in novis castris non ligna, non pabulum convectum erat, ad quæ petenda ex propinquis agris magna pars militum e castris exierat) neutro imperatorum volente, Fortuna, quæ plus consiliis humanis pollet, contraxit certa-

Certamen casu contrahitur.

[a] unam vocem *rege* uncinis includit Crev.

22 *Sepissent*] Legit Gronovius *sepsissent*. Sed Grammatici a *sepio* deducunt *sepivi* et *sepsi*.

23 *Ut quo victores nos*] Sic supra l. XL. c. 13. *ut quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem?*

24 *Ac ne illo ipso quidem die aut consule, aut rege, (rege*] Posterius illud *rege* adjecit Gronovius. Sensus clarus est: *Ac ne illo ipso quidem die aut consule, aut rege . . . volente, Fortuna contraxit certamen.* Media parenthesis exponit, cur neuter imperatorum vellet pugnari. Tantum observabit lector, ob longiorem parenthesin, quæ dividebat nimium *rè consule aut rege* ab *volente*, coactum esse Livium inserere *neutro imperatorum*. Exempla similia habes l. V. c. 24. XXXVIII. 55. etc.

U. C. 584. A. C. 168. men. Flumen erat haud magnum propius hostium castris, ex quo et Macedones et Romani aquabantur, præsidiis ex utraque ripa positis, ut id facere tuto possent. Duæ cohortes a parte Romanorum erant, Marrucina et Peligna; duæ turmæ Samnitium equitum, quibus præerat M. Sergius Silus legatus: et aliud pro castris stativum erat præsidium sub C. Cluvio legato, tres cohortes, Firmana, Vestina, Cremonensis; duæ turmæ equitum, Placentina et Æsernina. Quum otium ad flumen esset, neutris lacessentibus, [25] hora circiter quarta jumentum, e manibus curantium elapsum, in ulteriorem ripam effugit. quod quum per aquam, ferme genu tenus altam, tres milites sequerentur, Thraces duo id jumentum ex medio alveo in suam ripam trahentes; altero eorum occiso, receptoque eo jumento, ad stationem suorum se recipiebant. Octingentorum Thracum præsidium in hostium ripa erat, ex his pauci primo, ægre passi popularem in suo conspectu cæsum, ad persequendos interfectores fluvium transgressi sunt: dein plures, postremo omnes, et cum præsidio,

* * *

prœlium ducit.

XLI. Movebat imperii majestas, gloria viri, ante omnia ætas, quod major sexaginta annis juvenum munia in parte præcipua laboris periculique capessebat. Intervallum, quod [26] inter cætratos et phalanges erat, inplevit legio, atque aciem hostium interrupit. A tergo cætratis erat, frontem adversus clipeatos habebat: aglaspides adpellabantur. Secundam legionem L. Albinus consularis ducere adversus leucaspidem phalangem jussus: ea media acies hostium fuit. [27] In dextrum cornu, unde circa fluvium commissum prœlium erat, elephantes inducti, [28] et ala sociorum: et hinc

25 *Hora circiter quarta*] Hunc locum sic et emendat, et explicat Gronovius: *Hora circiter nona jumentum e manibus curantium* hominum de parte Romana *elapsum in ulteriorem ripam effugit*, id est, fugere inceperat. *Quod quum per aquam ferme genu tenus altam tres milites* Romani *sequerentur, Thraces duo* Macedonicorum auxiliorum *ex medio alveo in suam ripam traherent; altero eorum*, id est, Thracum, *occiso, receptoque eo jumento, ad stationem suorum* tres illi Romani milites *se recipiebant*. Legendum putat *hora nona*, propterea quod supra dictum est diem extraxisse in consilio consulem, et Plutarchus diserte scribit pugnam cœptam esse ὥρας ἐνάτης. Confusas scilicet notas fuisse *IV.* et *IX.* Voces *id jumentum* ablegat, tanquam scholium inutile. Denique corrigit *traherent*, quia, si legatur *trahentes*, sua non potest orationi constare integritas.

26 *Inter cetratos et phalanges*] Hæc est primæ editionis et Sigonianarum lectio: proba illa quidem, quum duæ * erant, ut supra memoravimus, in exercitu Persei phalanges; quæ et mox a Livio appellantur, Aglaspides nimirum et Leucaspides. † Gronovii edidere *phalangem*.

27 *In dextrum cornu . . . elephantes inducti*] Elephantes inducti in eam partem qua dextrum erat cornu Romanorum.

28 *Et ala sociorum*] Utra? Duæ enim fuere, ut jam aliquoties monuimus, dextra et sinistra. Alterutra videtur hic excidisse.

primum fuga Macedonum est orta. [29] Nam sicut pleraque U. C. 584.
nova commenta mortalium in verbis vim habent, [30] exper- A. C. 168.
riendo, quum agi, non, quemadmodum agantur, edisseri, oportet, sine ullo effectu evanescunt; ita tum elephanti in acie [31] nomen tantum sine usu fuerunt. Elephantorum impetum subsecuti sunt socii nominis Latini, pepuleruntque lævum cornu. In medio secunda legio inmissa dissipavit Fugantur
phalangem. neque ulla evidentior caussa victoriæ fuit, Macedones.
quam quod multa passim prœlia erant, quæ fluctuantem turbarunt primo, deinde disjecerunt phalangem: cujus confertæ et intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt. Si carptim adgrediendo circumagere [32] inmobilem longitudine et gravitate hastam cogas, confusa strue inplicantur: si vero aut[f] ab latere, aut ab tergo aliquid tumultus increpuit, ruinæ modo turbantur. sicut tum adversus catervatim incurrentes Romanos, et interrupta multifariam acie, obviam ire cogebantur: et Romani, quacumque data intervalla essent, insinuabant ordines suos. Qui, si universa acie in frontem adversus instructam phalangem concurrissent, quod Pelignis, principio pugnæ incaute congressis adversus cætratos, evenit, induissent se hastis, nec confertam aciem sustinuissent.

XLII. Ceterum sicut peditum passim cædes fiebant, nisi
qui abjectis armis fugerunt; sic equitatus prope integer Equitatus
pugna excessit. Princeps fugæ rex ipse erat. jam a integer fu-
Pydna [33] cum sacris alis equitum Pellam petebat: [34] con- git.
festim Costocus sequebatur Odrysarumque equitatus. ceteræ quoque Macedonum alæ integris abibant ordinibus; quia interjecta peditum acies, cujus cædes victores tenebant[g],

[f] *aut* del. Gron. Crev. [g] *tenebat* Crev.

29 *Nam sicut pleraque*] Ut pleraque nova inventa mortalium vim habere videntur, quamdiu verbis tantummodo jactantur; sed ubi ad rem ventum, quum oportet agi, non edisseri solum quomodo iis inventis utamur, sine ullo effectu evanescunt .... Ceterum tota hæc periodus quid sibi velit hoc loco, parum videmus. Nam neque elephantorum usus in prœliis novum tunc commentum mortalium haberi poterat: nec videntur nomen sine usu fuisse in hac pugna. Imo contrarium satis indicatur proxime sequentibus verbis: *Elephantorum impetum subsecuti sunt socii nominis Latini.* Non ægre nobis persuaderi pateremur illam periodum ex alio aliquo loco huc temere immigrasse. Certe si eam tollas, nihil desiderabis.

30 *Experiendo*] Unicus codex habuit *explendo.* Emendavit Turnebus.

31 *Nomen tantum sine usu fuerunt*] Legebatur in exemplari *fuerant.* Mutavit Sigonius: utrum recte, an perperam, non decernimus, quum totus hic locus, ut diximus in not. 29. nobis videatur alienus ab ea in quam insertus est narratione.

32 *Immobilem .... hastam*] Hastam, quæ ob longitudinem et gravitatem facile moveri nequit. Hoc ideo notamus, quia Gronovius legendum esse censet *hastas,* ut τὸ *immobilem* referatur ad phalangem. Nos nihil mutamus.

33 *Cum Sacris alis*] Vid. not. 28. ad l. XLII. c. 66. supra.

34 *Confestim Costocus sequebatur*] Emendat Jac. Gronovius, *confestim eos Cotys sequebatur.* Firmant hanc conjecturam quæ sequuntur, *Odrysarumque equitatus.* Nam Cotys rex Odrysarum fuit, ut constat ex c. 51. l. XLII. supra.

U. C. 584. A. C. 168.

inmemores fecerat sequendi equites. Diu phalanx a fronte, a lateribus, ab tergo cæsa est: postremo, qui ex hostium manibus elapsi erant, inermes ad mare fugientes, quidam aquam etiam ingressi, manus ad eos, qui in classe erant, tendentes, suppliciter vitam orabant: et quum scaphas concurrere undique ab navibus cernerent, ad excipiendos sese venire rati, ut caperent potius, quam occiderent, longius in aquam, quidam etiam natantes, progressi sunt. Sed quum hostiliter e scaphis cæderentur, retro, qui poterant, nando repetentes terram, in aliam fœdiorem pestem incidebant. elephanti enim, ab rectoribus ad litus acti, exeuntes obterebant elidebantque. Facile conveniebat, Romanis numquam una acie tantum Macedonum interfectum. Cæsa enim ad viginti millia hominum sunt: ad sex millia, qui Pydnam ex acie perfugerant, vivi in potestatem pervenerunt: et vagi e fuga quinque millia hominum capta. Ex victoribus cecidérunt non plus centum, et eorum multo major pars Peligni. vulnerati aliquanto plures sunt. Quod si maturius pugnari cœptum esset, ut satis diei victoribus ad persequendum superesset, deletæ omnes copiæ forent: nunc imminens nox et fugientes texit, et Romanis pigritiem ad sequendum locis ignotis fecit.

20000. cæsi: 11000. capti.

Regis fuga.

XLIII. Perseus ad Piëriam silvam via militari, frequenti agmine equitum et regio comitatu, fugit. Simul in silvam ventum est, ubi plures diversæ semitæ erant, et nox adpropinquabat: cum perpaucis maxime fidis via divertit[g]. Equites, sine duce relicti, alii alia in civitates suas dilapsi sunt: perpauci inde Pellam celerius, quam ipse Perseus, quia [35] recta expedita via ierant, pervenerunt. Rex ad mediam ferme noctem terrore et variis difficultatibus viæ vexatus est. In regia Perseo, qui Pellæ præerat, Euctus regiique pueri præsto erant. contra ea amicorum, qui, alii alio casu servati, ex prœlio Pellam venerant, quum sæpe arcessiti essent, nemo ad eum venit. tres erant tantum cum eo fugæ comites, Evander Cretensis, [36] Neo[h] Bœotius, et Archidamus Ætolus, cum iis, jam metuens, ne, qui venire ad se abnuerent, majus aliquid mox auderent, quarta vigilia profugit. Secuti eum sunt admodum quingenti Cretenses: petebat Amphipolim: sed nocte a Pella exierat, properans ante lucem Axium amnem trajicere, eum finem sequendi propter difficultatem transitus, fore ratus Romanis.

XLIV. Consulem, quum se in castra victor recepisset, ne sincero gaudio frueretur, cura de minore filio stimulabat

g *devertit* Gron. Crev. h *Neon* Crev.

35 *Recta expedita via*] Lege potius cum Gronovio, *recta et expedita via*: et *expeditam viam* intellige non arboribus et fruticetis impeditam.

36 *Neon Bœotius*] Sic edidit Sigonius ex Plutarcho, pro *Boëtius*.

P. Scipio is erat, Africanus et ipse postea, deleta Kartha- U. C. 584.
gine, adpellatus, naturalis consulis Paulli, adoptione Afri- A. C. 168.
cani nepos. Is, septimumdecimum tunc annum agens, quod Anxietas Cos. de filio suo Scipione.
ipsum curam augebat, dum effuse sequitur hostes, in par-
tem aliam turba ablatus erat: et, serius quum redisset, tunc
demum, recepto sospite filio, victoriæ tantæ gaudium con-
sul sensit. Amphipolim quum jam fama pugnæ pervenis-
set, concursusque matronarum in templum [37] Dianæ, quam
Tauropolon vocant, ad opem exposcendam fieret; Diodo-
rus, qui præerat urbi, metuens, ne Thraces, quorum duo
millia in præsidio erant, urbem in tumultu diriperent, ab
subornato ab se per fallaciam in tabellarii speciem literas in
foro medio accepit. Scriptum in iis erat, *ad Emathiam clas-
sem Romanam adpulsam esse, agrosque circa vexari. orare
præfectos Emathiæ, ut præsidium adversus populatores mittat.*
His lectis, hortatur Thracas, *ut ad tuendam Emathiæ oram
proficiscantur. magnam eos cædem prædamque, palatis passim
per agros Romanis, facturos. Simul elevat famam adversæ
pugnæ: quæ si vera foret, alium super alium recentes ex fuga
venturos fuisse.* Per hanc caussam Thracibus ablegatis, si-
mul transgressos eos Strymonem vidit, portas clausit.

XLV. Tertio die Perseus, quam pugnatum erat, Amphi- Perseus caduceatores mittit ad Cos.
polim venit. inde oratores cum caduceo ad Paullum misit.
Interim Hippias, et Milo, et Pantauchus, principes amico-
rum regis, Berœam, quo ex acie confugerant, ipsi ad consu-
lem profecti, Romanis dedunt: [38] hoc idem et aliæ deinceps
metu perculsæ parabant facere. Consul, nunciis victoriæ
Q. Fabio filio et L. Lentulo et Q. Metello cum literis Ro-
mam missis, spolia jacentis hostium exercitus peditibus
concessit; equitibus prædam circumjecti agri, dum ne am-
plius duabus noctibus a castris abessent. Ipse propius mare
ad Pydnam castra movit. Berœa primum, deinde Thessa-
lonica, et Pella, et deinceps omnis ferme Macedonia intra Tota Macedonia dedita.
biduum dedita. Pydnæi, qui proximi erant, nondum mi-
serant legatos: multitudo incondita plurium simul gentium,
turbaque, quæ ex acie fuga in unum compulsa erat, consi-
lium et consensum civitatis inpediebat: nec clausæ modo
portæ, sed etiam inædificatæ erant. Missi Milo et Pan-
tauchus sub muros ad conloquium Solonis, [39] qui præsidio
erat: per eum emittitur militaris turba. oppidum deditum

37 *Dianæ quam Tauropolon vocant*] Dianæ hoc cognomen additum volunt, vel quod apud Tauros Scythiæ populum colatur, vel quod gregibus præsit, vel quod eadem sit cum luna, quam tauris vehi fingunt poëtæ.

38 *Hoc idem et aliæ deinceps metu perculsæ*] Vel intercidit vox *civitates;* vel legendum est *alii deinceps metu perculsi.* GRONOVIUS.

39 *Qui præsidio erat*] Magis placeret *præerat,* quod monet Gronovius.

U. C. 584. A. C. 168. Persei miseranda sors.

militibus datur diripiendum. Perseus, [40] una tantum spe Bisaltarum auxilii tentata[h], ad quos nequidquam miserat legatos, in concionem processit, Philippum secum filium habens: ut et ipsos Amphipolitanos, et equitum peditumque, qui aut semper secuti, aut fuga eodem delati erant, adhortando [41] animos confirmaret. Sed aliquoties dicere incipientem quum lacrimæ præpedissent; quia ipse dicere nequiit, Evandro Cretensi editis, quæ agi cum multitudine vellet, [42] de templo descendit. Multitudo, sicut ad conspectum regis fletumque tam miserabilem et ipsa ingemuerat lacrimaveratque, ita Evandri orationem adspernabatur: et quidam ausi sunt media ex concione subclamare, *Abite hinc, ne, qui pauci supersumus, propter vos pereamus.* Horum ferocia vocem Evandri clausit. [43] Rex in domum se recepit, pecuniaque et auro argentoque in lembos, qui in Strymone stabant, delatis, et ipse ad flumen descendit. Thraces, navibus se committere non ausi, domos dilapsi, et aliæ militaris generis turbæ: Cretenses spem pecuniæ secuti. et, quoniam in dividendo plus obfensionum, quam gratiæ, erat, [44] quinquaginta talenta iis posita sunt in ripa diripienda. Ab hac direptione quum per tumultum naves conscenderent, lembum unum in ostio amnis multitudine gravatum merserunt. Galepsum eo die, postero Samothracam, quam petebant, perveniunt: ad [45] duo millia talentûm pervecta eo dicuntur.

Amphipoli abit.

Samothracam pervenit.

XLVI. Paullus, per omnes deditas civitates dimissis qui præessent, ne qua injuria in nova pace victis fieret, retentisque apud se caduceatoribus regis, P. Nasicam, ignarus fugæ regis, Amphipolim misit cum modica peditum equitumque manu: simul ut Sinticen evastaret, et [46] ad omnes conatus regis[i] inpedimento esset. Inter hæc Melibœa a Cn. Octavio capitur diripiturque: ad Æginium, ad quod obpugnandum Cn. Anicius legatus missus erat, ducenti, eruptione ex oppido facta, amissi sunt, ignaris Æginiensibus debellatum esse. Consul, a Pydna profectus, cum

Consul Pellam venit.

h *tentati* Crev. i *regi* Gron. Crev.

40 *Una tantum spe Bisaltarum auxilii tentati*] Lege cum eodem Gronovio *tentata.*

41 *Animos confirmaret*] Gronovianæ editiones, *confirmarent.* Correximus ex vetustioribus.

42 *De templo descendit*] De loco unde populum alloqui mos erat. Loquitur more Romano Livius. Notum est Rostra *templum* fuisse, id est, locum auguriis consecratum. Vid. supra l. VIII. c. 14.

43 *Rex in domum*] Gaudet Livius præfigere præpositiones iis nominibus quæ ex vulgatiore usu eas repudiant. Exempla passim occurrunt.

44 *Quinquaginta talenta*] Marcæ argenti nostrates 4687. unciæ 4.

45 *Duo millia talentûm*] Marcæ sunt argenti 187500.

46 *Ad omnes conatus regi impedimento esset*] In vetustioribus quibusdam editionibus legitur *regis.* Sed ea lectio quam Gronovianæ expressere, nobis elegantior videtur.

toto exercitu die altero Pellam pervenit: et, quum castra mille passus inde posuisset, per aliquot dies ibi stativa habuit, situm urbis undique adspiciens; quam non sine caussa delectam esse regiam advertit. Sita est in tumulo, vergente in occidentem hibernum. cingunt paludes inexsuperabilis altitudinis æstate et hieme, quas restagnantes faciunt lacus. In ipsa palude, qua proxima urbi est, [47]velut insula eminet, aggeri operis ingentis inposita: [48]qui et murum sustineat, et humore circumfusæ paludis nihil lædatur. Muro urbis conjuncta procul videtur. divisa est [49]intermurali amni, et eadem ponte juncta: ut nec, obpugnante externo, [50]aditum ab ulla parte habeat; nec, si quem ibi rex includat, ullum nisi per facillimæ custodiæ pontem effugium. Et gaza regia in eo loco erat: sed tum nihil præter [51]trecenta talenta, quæ missa Gentio regi, deinde retenta fuerant, inventum est. Per quos dies ad Pellam stativa fuerunt, legationes frequentes, quæ ad gratulandum convenerant, maxime ex Thessalia, auditæ sunt. Nuncio deinde accepto, Persea Samothracam trajecisse, profectus a Pella consul quartis castris Amphipolim pervenit. Effusa omnis obvia[k] turba cuivis indicio erat, [52]non bono ac justo rege orba[l]

U.C. 584. A.C. 168.

Deinde Amphipolim.

* * *

[k] *obviam* Crev. [l] *ob ra* Gron.

47 *Velut insula eminet*] Inserit Gronovius vocem *arx* hoc modo: *velut insula eminet* (*arx*) *aggeri operis ingentis imposita*. Atque hoc quidem clarius est. dubitamus tamen, an ita dederit Livius. *Insula* intelligitur interdum corpus quoddam ædificiorum inter se cohærentium, a reliquis ædificiis divisum per vicos quibus undique cingitur. Quidni igitur hoc fere sensu noster hic *insulam* sumpserit, quum præsertim doceat se de ædificio loqui, non de nudo solo, dum adjicit insulam aggeri impositam esset? Judicet lector.

48 *Qui et murum sustineat*] *Qui* agger *et murum* arcis, sive insulæ eo modo sumptæ quo exposuimus, *sustineat, et humore circumfusæ paludis nihil lædatur*. Ceterum non facile intelligimus, qui minus agger læderetur ab aqua, quam saxea murorum moles. Videretur potius dicendum aggere illo et sustineri murum, et defendi ne humore circumfusæ paludis lædatur. Ad eum sensum optaremus ut facile refingi possent Livii verba.

49 *Intermurali*] Vox rarissima: cujus sensus esse videtur, inter duplicem murum fluente, murum urbis et murum arcis.

50 * *Aditum . . . habeat*] Ullum habeat locum per quem adiri possit.

51 *Trecenta talenta*] Marcas argenti 28125.

52 *Non bono ac justo rege orbatos*] Laceræ hujus loci reliquiæ offerunt *ob ra*. Inde per trajectionem duarum litterarum effecimus *orba-tos*.

EPITOME LIBRI XLV.

RSEUS ab Æmilio Paullo in Samothrace captus est. ı Antiochus, Syriæ rex, Ptolemæum et Cleopatram, pti reges, obsideret, et missis ad eum a senatu legatis, qui ınt, ab obsidione socii regis absisteret, editisque mandatis leraturum se ille, quid faciendum esset, respondisset; unus gatis Popillius virga regem circumscripsit: [1]jussitque, uam circulo excederet, responsum daret. qua asperitate , ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium orum ac regum in senatum admissæ. Rhodiorum, quia eo contra populum Romanum faverant, exclusa. postero die, de eo quæreretur, ut iis bellum indiceretur, caussam in ı patriæ suæ legati egerunt. nec tamquam hostes, nec ıam socii dimissi. [2]Macedonia in provinciæ formam la est. Æmilius Paullus, repugnantibus militibus ejus r minorem prædam, et contradicente Ser. Sulpicio Galba, havit: et Persen cum tribus filiis ante currum duxit. triumphi lætitia ne solida ei contingeret, duorum filiorum bus insignita est: quorum alterius mors patris triumpræcessit, alterius secuta est. Lustrum conditum est a ibus. Censa sunt civium capita trecenta duodecim milctingenta quinque. Prusias, Bithyniæ rex, Romam, ut ı gratularetur ob victoriam ex Macedonia partam, venit; comedem filium senatui commendavit. Rex, plenus aduis, libertum se populi Romani dicebat.

ıssitque . . . . responsum daret] ıus cum Gronovio *dare*.

Macedonia in provinciæ formam ı] Non tunc, sed post devictum ophilippum. GRONOVIUS. Quæ vinciæ formam redactæ erant re-, in eas magistratus Romanus quotannis cum imperio mittebatur, qui eas regeret. At nihil tale a Paulo de Macedonia decretum est. Infra c. 29. liberi jubentur esse Macedones, utentes legibus suis, creantes annuos magistratus.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XLV.

U. C. 584. A. C. 168. Fama de victoria Macedonica.

VICTORIÆ nuncii, Q. Fabius et L. Lentulus et Q. Metellus, quanta potuit adhiberi festinatio, celeriter Romam quum venissent, præcerptam tamen ejus rei lætitiam invenerunt. Quarto post die, quam cum rege est pugnatum, quum in circo ludi fierent, murmur repente populi tota spectacula pervasit; *pugnatum in Macedonia, et devictum regem esse.* Dein fremitus increbruit: postremo clamor plaususque, velut certo nuncio victoriæ adlato, est exortus. Mirari magistratus, et quærere auctorem repentinæ lætitiæ: qui postquam nullus erat, [1] evanuit quidem tamquam incertæ rei gaudium; omen tamen lætum insidebat animis. Quod postquam veris nunciis Fabii Lentulique et Metelli adventu firmatum est, quum victoria ipsa, tum augurio animorum suorum, lætabantur. Et aliter traditur circensis turbæ non minus similis veri lætitia. [2] Ante diem decimum Kalendas Octobres, ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio consuli, ad quadrigas mittendas [3] escendenti, tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, * laureatas literas dicitur: quadrigis missis, consul currum conscendit: et, quum per circum reveheretur [4] ad foros publicos, laureatas tabellas populo ostendit. Quibus conspectis, repente inmemor spectaculi populus in medium decurrit. eo senatum consul vocavit, recitatisque tabellis, ex auctoritate Patrum pro foris publicis denunciavit populo: *L. Æmilium collegam signis conlatis cum rege Perseo pugnasse. Macedonum exercitum cæsum fusumque. Regem cum paucis fugisse. civitates omnes Macedoniæ in ditionem populi Romani venisse.* His auditis, clamor cum ingenti plausu ortus:

1 *Evanuit . . tanquam incertæ rei gaudium*] Sic recte Sigonius. Vetus codex habuit *tanquam certæ.*

2 *Ante diem decimum Kal. Octobres*] Imo *decimum quintum.* Is enim tertius decimus dies erat ab eo quo in Macedonia pugnatum est, ut infra observatur. At pridie Nonas Septembres pugnatum fuerat: (supra, l. XLIV. c. 37.) Tertius decimus autem dies a pridie Nonas Septembres erat tunc a. d. XV. Kal. Octobres. Mensis enim September viginti et novem dierum erat ex ordinatione Numæ, quam tunc sequebantur Romani.

3 *Escendenti*] In currum, ut nempe e foris publicis, ubi sedebat, ad carceres iret, atque inde signum quadrigis daret. Ceterum unicum exemplar præferebat *exscendenti,* unde pronum est efficere *escendenti,* quod placuit Turnebo et Gronovio.

4 *Ad foros publicos*] Vid. not. 91. ad l. XXIX. c. 37.

ludis relictis, domus[a] magna pars hominum ad conjuges U. C. 584.
liberosque lætum nuncium portabant. Tertius decimus dies A. C. 168.
erat, ab eo, quo in Macedonia pugnatum est.

II. Postero die senatus in curia habitus, supplicationesque decretæ, et senatusconsultum factum est, ut consul, [5]quos, præter milites sociosque navales, conjuratos haberet, dimitteret. de militibus sociisque navalibus dimittendis referretur, quum legati ab L. Æmilio consule, a quibus præmissus tabellarius esset, *. Ante diem sextum Kalendas Octobres, hora fere secunda, legati [6]urbem ingressi sunt, ingentem secum obcurrentium, quacumque ibant, prosequentiumque trahentes turbam, in forum ad tribunal perrexerunt. Senatus forte in curia erat: eo legatos consul introduxit. Ibi tantum temporis [7]retenti, dum exponerent, *quantæ regiæ copiæ peditum equitumque fuissent, quot millia ex his cæsa, quot capta forent; quam paucorum militum jactura tanta hostium strages facta; quam cum paucis rex fugisset: existimari Samothraciam petiturum, paratam classem ad persequendum esse: neque terra, neque mari elabi posse:* eadem hæc paullo post in concionem traducti exposuerunt: renovataque lætitia, quum consul edixisset, *ut omnes ædes sacræ aperirentur*, pro se quisque ex concione ad gratias agendas ire Diis; ingentique turba, non virorum modo, sed etiam feminarum, [8]conferta tota urbe Deorum inmortalium templa. Senatus, revocatus in curiam, supplicationes, ob rem egregie gestam ab L. Æmilio consule, in quinque dies circa omnia pulvinaria decrevit, hostiisque majoribus sacrificari jussit. Naves, quæ in Tiberi paratæ instructæque stabant, ut, si rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, et in navalibus conlocari: socios navales, dato annuo stipendio, dimitti, et cum his omnes, qui in

Legati Æmilii.

Supplicationes.

[a] *domos* Crev.

5 *Quos, præter milites . . conjuratos haberet*] *Conjuratos* videmur intelligere debere eos qui illud tantum jusjurandum dederant, de quo Livius mentionem fecit l. XXII. c. 38. his verbis: *ipsi inter se equites . . . pedites conjurabant sese fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros*, etc. Illi, quum hic distinguantur a militibus, existimandi sunt nondum adacti fuisse solenni illo militiæ sacramento, *jussu consulum conventuros, neque injussu abituros:* quo qui obligati erant, ii demum justi milites censebantur. Itaque infra hoc ipso capite dimissi dicuntur post adventum legatorum, quotquot in consulis verba juraverant, id est, ii a quibus solenne sacramentum militiæ exactum fuerat, sive milites. Apparet quidem ex memorato supra Livii loco milites, quum illud alterum jusjurandum sua voluntate jurarent, id tantum fecisse postquam essent in decurias aut centurias distributi, ac proinde post solenne sacramentum, ut colligi potest ex Polybii libro VI. Sed suspicari possumus, imo debemus ex hoc loco, ordinem mutatum esse postquam illo jurejurando a tribunis adigi cœpti sunt, et eos qui lecti a tribunis in legionem erant, statim illud jusjurandum dedisse, unde dicerentur *conjurati*.

6 *Urbem ingressi sunt . . ad tribunal perrexerunt*] Dele verbum *sunt*.

7 *Retenti . . . exposuerunt*] In hoc demum verbo, post interposita legatorum dicta in senatu, quiescit oratio.

8 *Conferta . . deorum immortalium templa*] Supple *erant*.

U. C. 584. A. C. 168.

consulis verba juraverant: et quod militum Corcyræ, Brundisii, ad mare superum, aut in agro Larinati esset, (omnibus his locis dispositus exercitus fuerat, cum quo, si res posceret, C. Licinius collegæ ferret opem) hos omnes milites dimitti placuit. [9] Supplicatio pro concione populi indicta est, [10] ex ante diem quintum Idus Octobres cum eo die in quinque dies.

III. Ex Illyrico duo legati, C. Licinius Nerva et P. Decius, nunciarunt, *exercitum Illyriorum cæsum: Gentium regem captum, in ditione populi Romani et Illyricum esse.* Ob eas res, gestas ductu auspicioque L. Anicii prætoris, senatus in triduum supplicationes decrevit, [11] ut Latinæ edictæ a consule sunt in ante quartum et tertium et pridie Idus Novembres. [12] Tradidere quidam, legatos Rhodios, [13] nondum missos, post victoriam nunciatam, velut ad ludibrium stolidæ superbiæ, in senatum vocatos esse. Ibi Agesipolis principem eorum ita locutum: *Missos esse legatos ab Rhodiis ad pacem inter Romanos et Persea faciendam; quod id bellum grave atque incommodum Græciæ omni, sumtuosum et damnosum ipsis Romanis esset. Fortunam perbene fecisse, quando, finito aliter bello, gratulandi sibi de victoria egregia Romanis opportunitatem dedisset.* Hæc ab Rhodio dicta. Responsum ab senatu esse, [14] *Rhodios nec utilitatium Græciæ, neque cura inpensarum populi Romani, sed pro Perseo legationem eam misisse. Nam, si ea fuisset cura, quæ simularetur, tum mittendos legatos fuisse, quum Perseus,* [15] *in Thessaliam*[a] *exercitu inducto, per biennium Græcas urbes, alias obsideret, alias denunciatione armorum terreret. Tum nullam pacis ab Rhodiis mentionem factam.* [16] *Postquam superatos saltus transgressosque in Macedoniam Romanos audirent, et inclusum teneri Persea, tunc Rhodios legationem misisse, non ad ullam aliam rem, quam ad Persea ex inminenti periculo eripiendum.* cum hoc responso legatos dimissos.

Legati Rhodii ludibrio habiti.

IV. Per eosdem dies et M. Marcellus, ex provincia His-

[a] *Thessalia* Gron.

9 *Supplicatio pro concione populi*] Scribe *populo:* ut is casus regatur a verbo *indicta est,* non a nomine *concio.* Ita enim dicebant simpliciter *pro concione.* Sic l. VII. c. 10. *Dictator . . . miris pro concione eam pugnam laudibus tulit.*

10 *Ex ante diem quintum*] Vetus lectio fuit *ex ante ad quintum.* Correxit Sigonius.

11 *Ut Latinæ edictæ . . sunt*] Vel dele duas priores voces, vel earum loco lege cum Jac. Gronovio *et statim.*

12 *Tradidere quidam*] Polybium intelligit: quem vid. legat. 88.

13 *Nondum missos*] Lege cum Gronovio *nondum admissos.*

14 *Rhodios nec utilitatum Græciæ, neque cura impensarum*] Præpostera collocatio verborum. Magis placuit *nec utilitatum Græciæ, neque impensarum populi Romani cura.*

15 *In Thessaliam*] In Gronovianis editionibus mendose legitur *in Themilia.*

16 *Postquam . . audirent*] Recte monet Gronovius legendum *audierint.*

pania decedens, Marcolica nobili urbe capta, [17] decem pondo auri, et argenti [18] ad summam sestertii decies in ærarium retulit. Paullus Æmilius consul, quum castra, ut supra dictum est, ad Siras terræ Odomanticæ haberet, [19] quum literas ab rege Perseo per ignobiles tres legatos cerneret, et ipse inlacrimasse dicitur sorti humanæ: quod, qui paullo ante, non contentus regno Macedoniæ, Dardanos Illyriosque obpugnasset, [20] Bastarnarum excivisset auxilia, is tum, amisso exercitu, extorris regno, in parvam insulam compulsus, supplex, fani religione, non viribus suis, tutus esset. Sed postquam, [21] *Regem Persea consuli Paullo salutem*, legit; miserationem omnem stultitia ignorantis fortunam suam exemit. Itaque quamquam in reliqua parte literarum minime regiæ preces erant, tamen sine responso ac sine literis ea legatio dimissa est. Sensit Perseus, cujus nominis obliviscendum victo esset: itaque alteræ literæ cum privati nominis titulo missæ, et petiere, et impetravere, ut aliqui ad eum mitterentur, cum quibus loqui de statu et conditione suæ fortunæ posset. Missi sunt tres legati, P. Lentulus, A. Postumius Albinus, A. Antonius. Nihil ea legatione perfectum est, Perseo regium nomen omni vi amplectente, Paullo, ut se suaque omnia in fidem et clementiam populi Romani permitteret, contendente.

U. C. 584. A. C. 168.

Persei literæ ad Æmilium.

V. Dum hæc aguntur, classis Cn. Octavii Samothracam est adpulsa. Is quoque, præsenti admoto terrore, modo minis, modo spe perlicere, ut se traderet, quum conaretur; adjuvit in hoc eum res, seu casu contracta, seu consilio. L. Atilius inlustris adolescens, quum in concione esse populum Samothracum animum advertisset, a magistratibus petiit, ut sibi paucis adloquendi populi potestatem facerent. Permisso, *Utrum nos, hospites Samothraces, vere accepimus, an falso,* [22] *sacram hanc insulam, et augusti totam atque inviolati soli esse?* Quum creditæ sanctitati adsentirentur omnes, *Cur igitur*, inquit, [23] *pollutam homicida sanguine regis Eumenis*

Classis Romana ad Samothracen adpulsa.

17 *Decem pondo auri*] Marcas nostrates 16. uncias 5.

18 *Ad summam sestertii decies*] Ad mille sestertia, seu, quod idem est, sestertios decies centies millenos: id est, marcas nostrates argenti 3906. uncias 2. Ceterum hic prima editio habet sestertium. Mutavit Gronovius.

19 *Quum litteras ab rege Perseo*] Subjicit Muretus *missas*: quæ vox necessaria videtur, vel *allatas*.

20 *Bastarnarum excivisset auxilia*] Prima editio *civisset*: vulgatæ *scripsisset*. Gronovius edidit *excivisset*: quod perplacet.

21 *Regem Persea consuli Paullo salutem*] Supple *dicere*. Ceterum melius videretur ipsa salutatoria epistolæ verba referri: *Rex Perseus consuli Paullo salutem*.

22 *Sacram hanc insulam*] De diis Samothracum et eorum religionibus egerunt multi, sed vix quidquam clari aut certi attulerunt. * Hoc constat, illas religiones pro sanctissimus toto Orbe habitas esse. † Vid. Diodor. l. V. Strab. l. X. Dion. Halic. l. I.

23 *Pollutam homicida sanguine regis Eumenis violavit*] Lege cum Gronovio sine ulla cunctatione *pollutus*.

U. C. 584. A. C. 168.

violavit? et, [24] *quum omnis præfatio sacrorum eos, quibus non sint puræ manus, sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis corpore sinetis?* Nobilis fama erat, apud omnes Græciæ civitates, Eumenis regis per Evandrum Delphis prope perpetrata cædes. Itaque, præterquam quod in potestate Romanorum sese insulamque totam et templum cernebant esse, ne inmerito quidem ea sibi exprobrari rati, Theondam, qui summus magistratus apud eos erat, (regem ipsi adpellant) ad Persea mittunt, qui nunciaret, *Argui cædis Evandrum Cretensem. esse autem judicia apud sese more majorum comparata de iis, qui incestas manus intulisse intra terminos sacratos templi dicantur. Si confideret Evander, innoxium se rei capitalis argui, veniret ad caussam dicendam: si committere se judicio non auderet, liberaret religione templum, ac sibimet ipse consuleret.* Perseus, evocato Evandro, *judicium subeundi nullo pacto auctor esse: nec caussa, nec gratia parem fore.* Suberat et ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris [25] protraheret. [26] *reliqui quid esset, nisi ut fortiter moriatur?* Nihil palam abnuere Evander: sed quum, veneno se malle mori, quam ferro, dixisset; occulte fugam parabat. quod quum renunciatum regi esset, metuens, ne, tamquam a se subtracto pœnæ reo, iram Samothracum in se converteret, interfici Evandrum jussit. Qui perpetrata temere cæde, subiit extemplo animum, in se nimirum receptam labem, quæ Evandri fuisset: ab illo Delphis vulneratum Eumenem, ab se Samothracæ Evandrum occisum. ita duo sanctissima in terris templa, se uno auctore, sanguine humano violata. Hujus rei crimen, corrupto, pecunia Theonda, avertitur, ut renunciaret populo, Evandrum sibi ipsum mortem conscisse[b].

Evander Cretensis evocatur ad caussam dicendam a Samothracibus.

Occiditur a Perseo.

VI. Ceterum tanto facinore in unicum relictum amicum, ab ipso per tot casus expertum, proditumque, quia non prodiderat, omnium ab se abalienavit animos. Pro se quisque transire ad Romanos: fugæque consilium capere solum prope relictum coëgerunt: Oroandemque Cretensem, cui nota Thraciæ ora erat, quia mercaturas in ea regione fecerat, adpellat, ut se sublatum in lembum ad Cotym deveheret. Demetrium est portus in promontorio quodam Samo-

Persei amici transfugiunt.

Rex fugam molitur.

[b] *conscivisse* Gron. Crev.

Dure enim admodum diceretur homicida violare ejus quem interfecit sanguine, locum in quem confugit.

24 *Quum omnis præfatio sacrorum*] Quum verba solennia quibus utuntur sacerdotes antequam sacra peragantur, arceant sacris eos quibus puræ non sunt manus. Intelligit illud solenne carmen, et notum omnibus, quo sacris arcebantur non ii tantum qui aliquo scelere manus polluissent, sed profani omnes, id est, ii qui sacris initiati non erant.

25 *Protraheret*] Indicaret. Vid. supra l. XLIV. c. 26.

26 *Reliqui quid esset*] Imo *esse*, ut monet Gronovius.

thracæ: ibi lembus stabat. Sub occasum solis deferuntur, U. C. 584.
quæ ad usum necessaria erant: defertur et pecunia, quanta A. C. 168.
clam deferri poterat. Rex ipse nocte media, cum tribus consciis fugæ, per posticum ædium in propinquum cubiculo hortum, atque inde, maceriam ægre transgressus, ad mare pervenit. Oroandes jam tum, [27]dum pecunia deferretur, primis tenebris solverat navem, ac per altum Cretam petebat. Postquam in portu navis non inventa est, vagatus Perseus aliquamdiu in litore, postremo timens lucem jam adpropinquantem, in hospitium redire non ausus, in latere templi prope angulum obscurum delituit. Pueri regii apud Macedonas vocabantur principum liberi, ad ministerium electi regis: ea cohors, persecuta[c] regem fugientem, ne tum quidem abscedebat, donec jussu Cn. Octavii pronunciatum est per præconem, *Regios pueros Macedonasque alios, qui Samothracæ essent, si transirent ad Romanos, incolumitatem, libertatemque et sua omnia servaturos, quæ aut secum haberent, aut in Macedonia reliquissent.* Ad hanc vocem transitio omnium facta est, nominaque dabant ad C. Postumium tribunum militum. Liberos quoque parvos regios Ion Thessalonicensis Octavio tradidit: nec quisquam, præter Philippum, maximum natu e filiis, cum rege relictus. Tum sese filiumque Octavio tradidit; fortunam Deosque, [28]quorum in templo erant, nulla ope supplicem juvantes, accusans. In prætoriam navem inponi jussus: eodem et pecunia, quæ superfuit, delata est: extemploque classis Amphipolim repetit. Inde Octavius regem in castra ad consulem misit, præmissis literis, ut in potestate eum esse et adduci sciret.

Regii pueri transeunt ad Romanos.

Tradit se rex.

Adducitur ad Æmilium.

VII. Secundam eam Paullus, sicut erat, victoriam ratus, victimas cecidit eo nuncio; et, consilio advocato, literas prætoris quum recitasset, Q. Ælium Tuberonem obviam regi misit: ceteros manere in prætorio frequentes jussit. Non alias ad ullum spectaculum tanta multitudo obcurrit. Patrum ætate Syphax rex captus in castra Romana adductus erat: præterquam quod nec sua, nec gentis fama comparandus, [29]tunc quoque accessio Punici belli fuerat, sicut Gentius Macedonici. Perseus caput belli erat: nec ipsius tantum, [30]patris avique, quos sanguine ac genere

[c] *prosecuta* Gron. Crev.

27 *Dum pecunia deferretur*] Imo, postquam pecunia delata est. Ipso temporis puncto, quo delatam ad se pecuniam acceperat.

28 *Quorum in templo erant*] Vetus codex caruit præpositione. Unde legendum putat Gronovius, *quorum templum erat.*

29 *Tunc quoque accessio Punici belli fuerat*] Recte delet Gronovius verbum *fuerat*, tanquam otiosum indocti interpretis additamentum.

30 *Patris avique, quos sanguine ac genere contingebat*] Mirum vero, si cognatione attingeret patrem et avum. Videtur aliquid intercidisse. Legi possit, *Patris avique, et ceterorum regum quos sanguine ac genere contingebat.*

U. C. 584. A. C. 168.

contingebat, fama conspectum eum efficiebat, sed effulgebant Philippus ac Magnus Alexander, qui summum imperium in orbe terrarum Macedonum fecerant. [31] Pullo amictus illo Perseus ingressus est castra, [32] nullo suorum alio comite, qui socius calamitatis miserabiliorem eum facere progredi præ turba obcurrentium ad spectaculum non poterat, [33] donec consul lictores misisset, qui submovendo iter ad prætorium facerent. Consurrexit consul, et, jussis sedere aliis, progressusque paullum, introëunti regi dextram porrexit. submittentemque se ad pedes sustulit: nec adtingere genua passus, introductum in tabernaculum adversus advocatos in consilium considere jussit.

Cos eum adloquitur.

VIII. Prima percontatio fuit, *qua subactus injuria contra populum Romanum bellum tam infesto animo suscepisset; qua se regnumque suum ad ultimum discrimen adduceret?* Quum responsum exspectantibus cunctis, terram intuens, diu tacitus fleret, rursum consul: *Si juvenis regnum accepisses, minus equidem mirarer, ignorasse te, quam gravis aut amicus aut inimicus esset populus Romanus. nunc vero, quum et bello patris tui, quod nobiscum gessit, interfuisses, et pacis post eu, quam cum summa fide adversus eum coluimus, meminisses, quod consilium, quorum et vim bello, et fidem in pace expertus esses, cum iis tibi bellum esse, quam pacem, malle.* Nec interrogatus, nec accusatus quum responderet; *Utcumque tamen hæc, sivi errore humano, seu casu, seu necessitate inciderunt, bonum animum habe: multorum regum, populorum casibus cognita populi Romani clementia non modo spem tibi, sed* [34] *prope certam fiduciam salutis, præbet.* Hæc Græco sermone Perseo: Latine deinde suis, *Exemplum insigne cernitis,* inquit, *mutationis rerum humanarum. Vobis hoc præcipue dico, juvenes. ideo in secundis rebus nihil inquemquam superbe ac violenter consulere decet, nec præsentia credere fortunæ; quum, quid vesper ferat, incertum sit.*

31 *Pullo amictus illo Perseus*] Depravatum hunc locum varii variis conjecturis tentarunt. Nihil probabilius, quam quod suggerit Gronovius, qui vocem *illo* corruptam esse putat ex *filio*, et præterea male trajectam fuisse in vetere exemplari. Legit ergo: *Pullo amictus Perseus ingressus est castra; filio, nullo suorum alio comite.*

32 *Nullo suorum alio comite, qui socius calamitatis*] Nimirum solus cum filio minorem misericordiam fletumque movebat videntibus, quam si grex circa eum plangeret amicorum, luctumque incenderet: quod ipsi contigit postea, quum in triumpho Æmilii duceretur. Hoc ideo notavimus, quia Dujatius hunc locum sanum non esse suspicatus est.

33 *Donec consul lictores misisset*] Gronovio magis placet *misit*.

34 *Prope certam fiduciam salutis*] Hæc jactat consul verba tenus, ne misero aliquid tamen vel vani solatii præbeat. Qualem enim salutem Romani præstiterunt Perseo? quo ultra eorum superbia et crudelitas excedere poterat, quam ut traducerent eum per civium ora, ac deinde in custodiam conjicerent? Si hanc Paulli oratione Livius finxit, sane desiderare videmur scriptoris judicium: si Paullus ve habuit, consulis fidem.

demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferet, nec adversa infringet. Consilio dimisso, tuendi cura regis Q. Ælio mandatur. Eo die et invitatus ad consulem Perseus, et alius omnis ei honos habitus est, qui haberi in tali fortuna poterat. U. C. 584. A. C. 168.

IX. Exercitus deinde in hiberna dimissus est. maximam partem copiarum Amphipolis, reliquas propinquæ urbes acceperunt. Hic finis belli, quum quadriennium continuum bellatum esset, inter Romanos ac Persea fuit: idemque finis incliti [35] per Europæ plerumque atque Asiam omnem regni. [36] Vicesimum ab Carano, qui primus regnavit, Persea numerabant. Perseus, Q. Fulvio, L. Manlio consulibus, regnum accepit: a senatu rex est adpellatus, M. Junio, A. Manlio consulibus: regnavit undecim annos. Macedonum obscura admodum fama usque ad Philippum Amyntæ filium fuit: inde ac per eum crescere quum cœpisset, Europæ se tamen finibus continuit, Græciam omnem et[d] partem Thraciæ atque Illyrici amplexa. Superfudit deinde se in Asiam: et tredecim annis, quibus Alexander regnavit, primum omnia, qua Persarum prope inmenso spatio imperium fuerat, suæ ditionis fecit. Arabas hinc Indiamque, [37] qua terrarum ultimus finis Rubrum mare amplectitur, peragravit. tum maximum in terris Macedonum regnum nomenque; inde morte Alexandri distractum in multa regna, dum ad se quisque opes rapiunt, [38] lacerantes viribus: a summo culmine fortunæ ad ultimum finem centum quinquaginta annos stetit. Regni Macedonici finis.

X. Victoriæ Romanæ fama quum pervasisset in Asiam, Antenor, qui cum classe lemborum ad Phanas stabat, Cassandriam inde trajecit. C. Popillius, qui ad Delum præsidio navibus Macedoniam petentibus erat, postquam debellatum in Macedonia, et statione submotos hostium lembos audivit, dimissis et ipse Atticis navibus, ad susceptam legationem peragendam navigare Ægyptum pergit: ut prius obcurrere Antiocho posset, quam ad Alexandreæ mœnia accederet. Quum prætererveherentur Asiam legati, et Lorymæ venissent, qui portus viginti paullo amplius millia ab Rhodo abest, ex adverso urbi ipsi positus; principes Rho- Rhodum invitantur legati Romanorum ad Antiochum.

[d] *et* l. *ac* Gron. Crev.

35 *Per Europæ plerumque*] Per majorem Europæ partem. *Plerumque* Europæ dixit Livius, ut Sallustius in Jugurtha *plerumque noctis.* SIGONIUS.

36 *Vicesimum ab Carano*] Numerus haud dubie mendosus. Justinus, l. XXXIII. c. 2. triginta Macedoniæ reges numerat: Eusebius in Chronico, novem et triginta.

37 *Qua terrarum ultimus finis*] Imo, ut recte vidit Gronovius, *qua terrarum ultimos fines Rubrum mare amplectitur.* Rubri maris nomine intelligi a Livio mare Indicum jam monuimus ad l. XLII. c. 52.

38 *Lacerantes viribus*] Lege cum Gronovio, *laceratis viribus.*

U. C. 584. A. C. 168. diorum obcurrunt (jam enim eo quoque victoriæ fama perlata erat) orantes, *ut Rhodum deveherentur. pertinere id ad famam salutemque civitatis, noscere ipsos omnia, quæ acta essent, agerenturque Rhodi, et comperta per se, non vulgata fama, Romam referre.* Diu negantes perpulerunt, ut moram navigationis brevem pro salute sociæ urbis paterentur. Postquam Rhodum ventum est, in concionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt. Adventus legatorum auxit potius timorem civitati, quam minuit: omnia enim Popillius, quæ singuli universique eo bello hostiliter dixerant, fecerantque, retulit. et, vir asper ingenio, augebat atrocitatem eorum, quæ dicerentur, vultu truci et accusatoria voce: ut, quum propriæ simultatis nulla caussa cum civitate esset, ex unius senatoris Romani acerbitate, qualis in se universi senatus animus esset, conjectarent. C. Decimii moderatior oratio fuit, qui, *in plerisque eorum, quæ commemorata a Popillio essent, culpam non penes populum, sed penes paucos concitores vulgi esse*, dixit. *eos, venalem linguam habentes, decreta plena regiæ adsentationis fecisse: et eas legationes misisse, quarum Rhodios semper non minus puderet, quam pœniteret. Quæ omnia,* [39] *si tamen populo foret, in capita noxiorum versura.* Cum magno adsensu auditus est, non magis eo, quod multitudinis noxam elevabat, quam quod culpam in auctores verterat. Itaque quum principes eorum Romanis responderent, nequaquam tamen tam grata oratio eorum fuit, qui, quæ Popillius objecerat, diluere utcumque conati sunt; quam eorum, qui Decimio in auctoribus ad piaculum noxæ objiciendis adsensi sunt. Decretum igitur extemplo, ut, qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid, aut fecisse, convincerentur, capitis condemnarentur. Excesserunt urbe [40] sub adventu Romanorum quidam, alii mortem sibi consciverunt. Legati, non ultra quam quinque dies Rhodi morati, Alexandream proficiscuntur. Nec eo segnius judicia ex decreto coram his facto Rhodi exercebantur: quam perseverantiam in exsequenda re Decimii lenitas*.

Popillii asperitas.

Decimii moderatio.

Damnati qui Perseo faverant.

XI. Quum hæc gererentur, Antiochus frustra tentatis mœnibus Alexandreæ abscesserat: ceteraque Ægypto potitus, relicto Memphi majore Ptolemæo, cui regnum quæri suis viribus simulabat, ut victorem mox adgrederetur, in Syriam exercitum abduxit. Nec hujus voluntatis ejus ignarus Ptolemæus, dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet, posse se recipi Alexandreæ, et sorore ad-

Res Ægypti.

39 *Si tamen populo foret*] Probabilis est conjectura Jac. Gronovii: *se ea mens populo* (Rhodio) *foret*. Qualem nempe descripserat Decimius, dum ipsos excusat.

40 *Sub adventu*] Sic et Florus, l. III. c. 6. *sub ipso hostis recessu.*

juvante, et non repugnantibus fratris amicis, ratus; primum ad sororem, deinde ad fratrem amicosque ejus, non prius destitit mittere, quam pacem cum iis confirmaret. Suspectum Antiochum effecerat, quod, cetera Ægypto sibi tradita, Pelusii validum [41] relictum erat præsidium. adparebat, claustra Ægypti teneri, [42] ut, quum vellet, rursus exercitum induceret: bello intestino cum fratre eum exitum fore, ut victor, fessus certamine, nequaquam par Antiocho futurus esset. Hæc, prudenter animadversa a majore, cum adsensu minor frater, quique cum eo erant, acceperunt: soror plurimum adjuvit, non consilio modo, sed etiam precibus. Itaque, consentientibus cunctis pace facta, Alexandream recipitur, ne multitudine quidem adversante: quæ in bello, non per obsidionem modo, sed etiam postquam a mœnibus abscessum est, quia nihil ex Ægypto subvehebatur, omnium rerum adtenuata inopia erat. His quum lætari Antiochum conveniens esset, si reducendi ejus caussa exercitum Ægyptum induxisset, quo specioso titulo ad omnes Asiæ et Græciæ civitates, legationibus recipiendis literisque dimittendis, usus erat, adeo est obfensus, ut multo acrius infestiusque adversus duos, quam ante adversus unum, pararet bellum. Cyprum extemplo classem misit: ipse, primo vere cum exercitu Ægyptum petens, in Cœlen Syriam processit. Circa Rhinocolura Ptolemæi legatis agentibus gratias, quod per eum regnum patrium recepisset, petentibusque, ut suum munus tueretur, et diceret potius, quid fieri vellet, quam, hostis ex socio factus, vi atque armis ageret, respondit; *Non aliter neque classem revocaturum, neque exercitum reducturum, nisi sibi et tota Cypro, et Pelusio, agroque, qui circa Pelusiacum ostium Nili esset, cederet:* diemque præstituit, intra quam [43] de conditionibus peractis responsum acciperet.

U. C. 584. A. C. 168.

XII. Postquam dies data induciis præteriit, * [44] navigantibus ostio Nili ad Pelusium[e], per deserta Arabiæ * ad Memphim incolebant, et ab ceteris Ægyptiis, partim voluntate, partim metu, ad Alexandream modicis itineribus descendit. [45] Ad Leusinem transgresso flumen, qui locus

[e] [*ipse*] *per* Crev.

41 *Relictum erat præsidium*] Commodius *reliquerat*. GRONOVIUS.

42 *Ut, quum velit, rursus exercitum induceret*] Legit Gronovius, *quum velit*.

43 *De conditionibus peractis*] Vox *peractis* videtur esse mendosa. Fortasse scripserat Livius *delatis*.

44 *Navigantibus ostio Nili*] Præter classem Syriacam, quæ Cyprum supra missa dicitur, et infra a legatis Romanis dimissa e Cypro memoratur, suspicamur Antiochum apud se retinuisse aliquas maritimas copias, ut simul terra, simul mari Ægyptum aggrederetur. Eæ hic navigasse intelligentur per ostium Nili ad Pelusium, dum ipse Antiochus terrestri exercitu per deserta Arabiæ Ægyptum petit.

45 *Ad Leusinem*] Emenda cum Turnebo et Valesio *ad Eleusinem*. Eleusis vicus fuit ad fossam Canopi-

U. C. 584. A. C. 168. Obcurrunt Antiocho legati Rom.

quatuor millia ab Alexandrea abest, legati Romani obcurrerunt. quos quum advenientes salutasset, dextramque Popillio porrigeret; tabellas ei Popillius scriptum habentes tradit, atque omnium primum id legere jubet: [46] quibus perlectis, quum se consideraturum, adhibitis amicis, quid faciendum sibi esset, dixisset; Popillius, pro cetera asperitate animi, virga, quam in manu gerebat, circumscripsit regem: ac, *Priusquam hoc circulo excedas*, inquit, *redde responsum, senatui quod referam.* Obstupefactus tam violento imperio parumper quum hæsitasset, *Faciam*, inquit, *quod censet senatus.* Tum demum Popillius dextram regi, tamquam socio atque amico, porrexit. Die deinde finita quum excessisset Ægypto Antiochus, legati, concordia etiam auctoritate sua inter fratres firmata, [47] inter quos vixdum convenerat, pars Cyprum navigant: et inde, quæ jam vicerat prœlio Ægyptias naves, classem Antiochi dimittunt. Clara ea per gentes legatio fuit, quod haud dubie ademta Antiocho Ægyptus habenti jam, redditumque patrium regnum stirpi Ptolemæi fuerat. Consulum ejus anni, sicut alterius clarus consulatus insigni victoria, ita alterius obscura fama, quia materiam res gerendi non habuit. Jam primum quum legionibus ad conveniendum diem dixit, non auspicato [48] templum intravit. vitio diem dictam esse augures, quum ad eos relatum est, decreverunt. Profectus in Galliam circa Macros campos ad montes Siciminam et Papinum stativa habuit: deinde circa eadem loca cum sociis nominis Latini hibernabat: legiones Romanæ, quod vitio dies exercitui ad conveniendum dicta erat, Romæ manserant. Et prætores, præter C. Papirium Carbonem, cui Sardinia evenerat, in provincias iere. eum jus dicere Romæ ([49] nam eam quoque sortem habebat) inter cives et peregrinos Patres censuerant.

Popillius virga circumscribit regem.

Licinii Cos. res gestæ.

XIII. [50] Et [f] Popillius et ea legatio, quæ missa ad Antio-

[f] *Et* l. *Ut* Gron.

eam, cujus mentionem faciunt Suidas in voce Καλλίμαχος, et Strabo, l. XVII. et Athenæus, l. XIII.

46 *Quibus perlectis*] Hoc debetur Sigonio. Antea *perfectis*.

47 *Inter quos vixdum convenerat, pars Cyprum navigant*] Feliciter corrigit hunc locum Perizonius in hunc modum: *inter quos vixdum convenerat pax, Cyprum navigant.* Hujus emendationis necessitas probatur tum ex eo quod non memoret Livius, quid effecerit pars altera legationis, quæ tamen universa trium hominum erat, tum ex eo quod Polybius, legat. 92. iisdem hominibus, nempe τοῖς περὶ Ποπίλλιον, adscribat ea omnia quæ sive in Ægypto, sive in Cypro gesta sunt. Jam vero ut ostendat quam facilis lapsus fuerit librariis, idem Perizonius observat sæpe in antiquis monumentis scriptum reperiri *pars*.

48 *Templum intravit*] Templum hic intelligimus locum auguriis consecratum, unde diem dici ad conveniendum exercitui mos esset, ut scilicet initia rei gerendæ sub deorum numine sumerentur.

49 *Nam eam quoque sortem habebat*] Nimirum intelligendum est, misso adversus Gentium Anicio, cujus ea sors fuerat, ad Carbonem sortem ejus translatam fuisse.

50 *Et Popillius, et ea legatio*] Legit Gronovius, *ut Popillius.* Nobis magis placeret delere in iis quæ se-

chum erat, Romam rediit; retulit, controversias inter reges sublatas esse, exercitumque ex Ægypto in Syriam reductum. Post ipsorum regum legati venerunt: Antiochi legati, referentes, *Omni victoria potiorem pacem regi, quæ senatui placuisset, visam: eumque haud secus, quam Deorum imperio, legatorum Romanorum* [51] *jussis* [g] *paruisse.* Gratulati deinde victoriam sunt, [52] *ad quam summa ope, si quid imperatum foret, adfuturum regem fuisse.* [53] Ptolemæi legati, communi nomine regis et Cleopatræ, gratiar egerunt, *Plus eos senatui populoque Romano, quam parentibus suis, plus, quam Diis inmortalibus, debere: per quos obsidione miserrima liberati essent, regnum patrium prope amissum recepissent.* Responsum ab senatu est: *Antiochum recte atque ordine fecisse, quod legatis paruisset, gratumque id esse senatui populoque Romano.* Regibus Ægypti Ptolemæo Cleopatræque: *si quid per se boni commodique evenisset, id magnopere senatum lætari: daturumque operam, ut regni sui maximum semper præsidium positum esse in fide populi Romani ducant.* Munera legatis ut ex instituto mittenda curaret, C. Papirio prætori mandatum. [54] Literæ deinde Macedonia adlatæ, quæ victoriæ lætitiam geminarent: *Persea regem in potestatem consulis venisse.* Dimissis legatis, disceptatum inter Pisanos Lunensesque legatos: Pisanis querentibus, agro se a colonis Romanis pelli; Lunensibus adfirmantibus, eum, de quo agatur, a triumviris agrum sibi adsignatum esse. Senatus, qui de finibus cognoscerent statuerentque, quinqueviros misit, Q. Fabium Buteonem, P. Cornelium Blasionem, T. [h] Sempronium Muscam, L. Nævium Balbum, C. Appuleium Saturninum. Et ab Eumene et ab Attalo et ab Athenæo fratribus, communis legatio de victoria gratulatum venit. Et Masgabæ, regis Masinissæ filio, Puteolis navem egresso,

U. C. 584. A. C. 168.

Legati Antiochi.

Ptolemæi.

Masgaba Masinissæ F.

[g] *jussu* Gron. [h] *Ti.* Crev.

quantur verbum *rediit*, quod plane superfluum est. Quid enim desideres in hac oratione? *Et Popillius, et ea legatio quæ missa ad Antiochum erat, Romam retulit, controversias inter reges sublatas esse.* Primum illud *Et* non respondet sequenti, sed connectit hanc periodum cum præcedente. *Popillius et ea legatio* sunt *οἱ περὶ Ποπίλλιον*, ipso annotante Gronovio: quemadmodum l. III. c. 25. *Virginius et tribuni*; et l. XXX. c. 12. *misso Syphace et captivis.*

51 *Jussis paruisse*] Sic prima editio et Sigonius. Gronovianæ editiones, *jussu*: mendose.

52 *Ad quam summa ope*] Bene adjecit Sigonius *summa.*

53 *Ptolemæi legati*] Ptolemæi minoris. Is enim solus auxilium imploraverat Romanorum, et propter eum missa legatio a Romanis fuerat. Vid. supra l. XLIV. c. 19. Ideo in iis quæ sequuntur scribit Livius *communi nomine regis et Cleopatræ*, non *regum*: et rursus infra, *Regibus Ægypti Ptolemæo Cleopatræque*, non *Ptolemæis.* Itaque nihil hic mutandum.

54 *Litteræ deinde Macedonia allatæ*] Videtur excidisse vocula *e*, ut scripserit Livius, *Litteræ deinde e Macedonia.* Gronovius firmare nititur vulgatam scripturam exemplo consimili e Justin. l. XII. c. 1. Sed in illo Justini loco variant et scripti et editi: nec ullum proinde ex eo argumentum peti potest.

U.C. 584. A.C. 168. præsto fuit, obviam missus cum pecunia, L. Manlius quæstor, qui Romam eum publico sumtu perduceret. Advenienti extemplo senatus datus est. Is adolescens ita locutus est, ut, quæ rebus grata erant, gratiora verbis faceret. Commemoravit, *quot pedites equitesque, quot elephantos, quantum frumenti eo quadriennio* [55] *pater suus in Macedoniam misisset*[h]. *Sed duas res ei rubori fuisse: unam, quod rogasset eum per legatos senatus, quæ ad bellum opus essent, et non imperasset: alteram, quod pecuniam ei pro frumento misisset. Masinissam meminisse, regnum a populo Romano partum auctumque et multiplicatum habere: usu regni contentum scire, dominium et jus eorum, qui dederint, esse. Sumere itaque eosdem, non se rogare, æquum esse,* [56] *neque emere ea, ex fructibus agri ab se dati quæ ibi proveniant. Id Masinissæ satis esse, et fore, quod populo Romano superesset. Cum iis mandatis a patre profectum postea consecutos equites, qui devictam Macedoniam nunciarent,* [57] *gratulatumque senatui juberent indicare, tantæ eam rem lætitiæ patri suo esse, ut Romam venire velit, Jovique optimo maximo in Capitolio sacrificare, et grates agere: id, nisi molestum sit, ut ei permittatur, ab senatu petere.*

XIV. Responsum regulo est: *Facere patrem ejus Masinissam, quod virum gratum bonumque facere deceat, ut pretium honoremque* [58] *debito beneficio addat. Et populum Romanum ab eo, bello Punico, forti fidelique opera adjutum; et illum, favente populo Romano, regnum adeptum;* [59] *æquitate*

h *misit* Crev.

55 *Pater suus . . . misit*] Lege cum Gronovio *misisset*.

56 *Neque emere ea ex fructibus agri ab se dati, quæ ibi proveniant*] Inficeta verbositas. *Ea quæ ibi proveniunt* nihil aliud sonant, quam *fructus agri*. Deleamus ergo illas voces, tanquam nugatorium interpretamentum ab oscitante librario temere additum. Fortasse dederat Livius: *nec quicquam emere ex fructibus agri ab se dati. Id Masinissæ satis esse et fore . . .*

57 *Gratulatumque senatui juberent indicare*] Et juberent se, postquam gratulatus esset senatui, indicare.

58 *Debito beneficio*] Beneficio in se Romanorum, quod ipsi debebatur ob constantem in rempublicam fidem. Elevat comiter suum beneficium senatus, fatendo debitum fuisse Masinissæ, quidquid illi præstitum a populo Romano fuerat. Gronovius suspectum habuit hunc locum, legique posse censuit, *ut pretium honoremque verborum beneficio addat*. Quæ conjectura primo blanditur. Sed tamen is dicitur honorem verborum beneficio addere, qui beneficio a se collato verba addit honorifica. At hic non agitur de beneficio Masinissæ in Romanos, sed Romanorum in Masinissam. Neque enim credimus fastum Romanæ magnitudinis sivisse eos agnoscere beneficium in se a rege quamvis potentissimo collatum: et præterea in iis quæ præcedunt dicitur Masinissa id *facere quod virum gratum deceat*. Viri autem grati est extollere beneficium acceptum, non a se datum.

59 *Æquitate sua*] Hæc nobis non sapiunt Livii manum. *Æquitati* non est hic locus. Inclinat animus, ut credamus scripsisse nostrum: *et illum favente populo Romano regnum adeptum, ac virtute sua. Postea trium regum bellis*, etc. Sic fere in oratione Rhodiorum infra c. 23. *Si quæ vestra nunc est fortuna deûm benignitate, ac virtute vestra*. Et sæpe alias. Præterea hæc nobis consentanea videntur reliquæ orationi, quæ tota in eo est, ut

sua postea trium regum bellis deinceps omnibus functum offi- U. C. 584.
ciis. Victoria vero populi Romani lætari eum regem mirum A. C. 168.
non esse, qui sortem omnem fortunæ regnique sui cum rebus[i] *Romanis inmiscuisset. Grates Diis pro populi Romani victoria apud suos penates ageret; Romæ filium pro eo acturum. Gratulatum quoque satis suo ac patris nomine esse. Ipsum relinquere regnum, et Africa excedere, præterquam quod illi inutile esset, non esse e republica populi Romani, senatum censere.* Petenti Masgabæ, ut [60]Hanno Hamilcaris filius obses[k] in locum *[l] exigeret. Munera ex senatusconsulto emere regulo quæstor jussus ex [61]centum pondo argenti, et prosequi eum Puteolos, omnemque sumtum, quoad in Italia esset, præbere, et duas naves conducere, quibus [62]ipse comitesque regis in Africam deveherentur: et comitibus omnibus, liberis servisque, vestimenta data. Haud ita multo post de altero Masinissæ filio Misagene literæ adlatæ sunt, *missum eum ab L. Paullo post devictum Persea in Africam cum equitibus suis; navigantem, dispersa classe in Hadriatico mari, Brundisium tribus navibus ægrum delatum.* Ad eum cum iisdem muneribus, quæ data Romæ fratri ejus erant, L. Stertinius quæstor Brundisium missus: jussusque curare, ut ædes hospi- Misagenes alter filius Masinissæ.

* * *

XV. *** in quatuor urbanas tribus descripti erant libertini, præter eos, [63]quibus filius quinquenni major ex senatusconsulto esset. Eos, ubi proximo lustro censi essent, [64]censeri jusserunt: et eos, qui prædium prædiave rustica

[i] *rebus* del. Gron. Crev. [k] *hospes* Crev. [l] signum lacunæ deest Ead.

cum Masinissæ gratulatione et modestia certet comitate et laudibus.

60 *Hanno Amilcaris filius hospes in locum exigeret*] Nemo non videt mutilum esse hunc locum. Sigonius pro *hospes* legit *obses*. Cetera hoc modo supplet: *Petenti Masgabæ, ut Hanno Amilcaris filius obses* [alterius cujusdam] *in locum* [Romanis a Pœnis mitteretur, respondit senatus haud æquum videri, ut obsides a Carthaginiensibus arbitrio Masinissæ] *exigeret*. Sed quum nihil omnino afferat Sigonius, quo hæc conjectura nitatur, nec ullo modo probabilius sit hæc voluisse Livium, quam quidlibet aliud, quod cuivis in mentem venire posset, religioni duximus incertum prorsus additamentum in contextum admittere: locumque mancum relinquere maluimus.

61 *Centum pondo argenti*] Marcis nostratibus 156. unciis 2.

62 *Ipse comitesque regis*] Lege cum Gronovio *comitesque ejus*. Etiamsi enim Masgaba, ut Masinissæ regis filius, rex et ipse dici potuisset, at vox *ipse* postulat *ejus*.

63 *Quibus filius quinquenni major ex S. C. esset*] Inepte hic inseruntur hæ voces *ex senatusconsulto*. Vel rejice eas in anteriora, *ex senatusconsulto descripti erant libertini*; vel iis quæ sequuntur adjunge, *censeri ex senatusconsulto jusserunt*.

64 *Censeri jusserunt*] Hæc et ea quæ sequuntur intelligimus de censoribus C. Flaminio, et L. Æmilio, non de censoribus, qui hoc anno in magistratu erant: duabus maxime adducti rationibus: una, quod omnes omnino libertini in tribum Esquilinam a Graccho conjecti videntur. Perpende verba Liviana, *in quam omnes qui servitutem servissent, conjicerent*: et rursus: *in ea Ti. Gracchus pronunciavit libertinos omnes censeri placere*. Deinde hæ locutiones *jus factum est*, et *hoc quum ita servatum esset*, non videntur accipi

U. C. 584. A. C. 168.

pluris [65] sestertiûm triginta millium haberent, [66] censendi jus factum est. Hoc quum ita servatum esset, negabat Claudius, *suffragii lationem injussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini universo, adimere posse. Neque enim, si tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quam mutare jubere tribum, ideo omnibus quinque et triginta tribubus emovere posse; id est, civitatem libertatemque eripere; non, ubi censeatur, finire, sed censu excludere.* Hæc inter ipsos disceptata: postremo eo descensum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent, conjicerent. Esquilinæ sors exiit: in ea Ti. Gracchus pronunciavit, libertinos omnes censeri placere. Magno ea res honori censoribus apud senatum fuit. gratiæ actæ et Sempronio, qui in bene cœpto perseverasset; et Claudio, qui non inpedisset. Plures, quam a superioribus, et [67] senatu emoti sunt, et equos vendere jussi. omnes iidem ab utroque et [68] tribu remoti, et ærarii facti: neque ullius, quem alter notaret, ab altero levata ignominia. Petentibus, ut ex instituto ad sarta tecta exigenda, et ad opera, quæ locassent, probanda, [69] anni et bimensis tempus prorogaretur, Cn. Tremellius tribunus, quia lectus non erat in senatum, intercessit. Eodem anno C. Cicereius ædem in

In Esquilinam tribum conjecti libertini.

Censura severe gesta.

posse de decreto quod modo latum esset, sed de more jam per aliquantum temporis servato.

65 *Sestertiûm triginta millium*] Marcarum argenti nostratium 117. semunciarum 3.

66 *Censendi jus factum est*] Credimus hic aliquid excidisse, et sensum vix aliter constare posse, quam si legamus, *in tribubus rusticis censendi jus factum est.* Nam L. Æmilio, C. Flaminio censoribus, non agebatur utrum censerentur libertini, sed ubi censerentur. Bene autem ii in tribus rusticas admittuntur, qui prædia rustica haberent. Potest venire in mentem, non contemnendas fuisse divitias illis temporibus sestertiûm triginta millia in prædiis rusticis, quum aliquot annis post Cn. Scipionis filiæ dos e publico constituta sit, teste Valer. Max. l. IV. c. 4. quadraginta millium æris gravis, id est, sedecim millium sestertiûm. Sed facile respondebimus hanc ipsam fuisse censorum mentem, ut in tribus rusticas non admitterentur, nisi ditissimi quique ex libertinis. Porro quidquid hic afferimus, id non pro certo affirmare in animo est, sed, in rebus perobscuris, tanquam non omnino improbabile lectori expendendum permittere.

67 *Senatu emoti sunt*] Magis placeret *senatu moti sunt.* Sic enim solet loqui Livius. Ceterum hæc jam memoraverat Livius, l. XLIII. capp. 15. et 16. Sed hic supplet ea quæ illic omiserat.

68 *Tribu remoti*] Solennis et propria locutio est, *tribu moti.*

69 *Anni et bimensis*] Hoc nobis valde suspectum est. Primo enim dubitamus an *bimensis* vox proba sit, cujus nullum aliud exemplum reperimus. Deinde illud spatium anni et duorum mensium nec cum legitimo censuræ spatio congruit, nec videmus ad quid referri possit. Credimus Livium dedisse *anni et VI. mensium:* quod quum hoc modo scriptum esset, primo littera *V* in *B* ob affinitatem soni mutata est: unde aliquis librarius quum reperiret *bimensium,* existimavit se facturum esse operæ pretium, si corrigeret *bimensis.* Igitur quum censores intra anni et sex mensium spatium, quo censura finiebatur, non potuissent et sarta tecta exigere, et opera quæ locassent probare, postulabant, ut exacto magistratu prorogaretur sibi tempus, non quo totam censuræ vim tenerent, sed cum potestate essent ad hæc quæ supererant perficienda.

monte Albano dedicavit quinquennio post, quam vovit. Flamen Martialis inauguratus est eo anno L. Postumius Albinus.

XVI. Q. Ælio, M. Junio consulibus de provinciis referentibus, censuere Patres, duas provincias Hispaniam rursus fieri, quæ una per bellum Macedonicum fuerat: et Macedoniam Illyricumque eosdem, L. Paullum et L. Anicium, obtinere, donec de sententia legatorum et res bello turbatas, [70] et statum alium ejus regni formando composuissent. Consulibus Pisæ et Gallia decretæ [71] cum binis legionibus peditum, et equitum quadringentenis. Prætorum sortes fuere, Q. Cassii urbana, M.[m] Juventii Thalnæ inter peregrinos, Ti. Claudii Neronis Sicilia, Cn. Fulvii Hispania citerior, C. Licinii Nervæ ulterior. A. Manlio Torquato Sardinia obvenerat. nequiit ire in provinciam, ad res capitales quærendas ex senatusconsulto retentus. De prodigiis deinde nunciatis senatus est consultus. Ædes Deorum Penatium in Velia de cœlo tacta erat: et in oppido Minervio duæ portæ et muri aliquantum. Anagniæ terra pluerat; et Lanuvii fax in cœlo visa erat; et [72] Calatiæ in publico agro M. Valerius civis Romanus nunciabat e foco suo sanguinem per triduum et duas noctes manasse. Ob id maxime decemviri libros adire jussi, supplicationem in diem unum populo edixerunt, et quinquaginta capris in foro sacrificaverunt. et aliorum prodigiorum caussa diem alterum supplicatio circa omnia pulvinaria fuit, et hostiis majoribus sacrificatum est, et [73] urbs lustrata. Inde, quod ad honorem Deûm inmortalium pertineret, decrevit senatus, *Ut, quoniam perduellès superati, Perseus et Gentius reges cum Macedonia atque Illyrico in potestate populi Romani essent, ut, quanta dona, Ap. Claudio, M. Sempronio consulibus, ob devictum An-*

U. C. 585. A. C. 167. Q. Ælio, M. Junio Coss. Provincias.

Prodigia.

[m] M. l. *Manii* Gron. Crev.

70 *Et statum alium ejus regni*] Lege cum Sigonio *utriusque regni*.

71 *Cum binis legionibus peditum, et equitum quadringentenis*] Hæc mutila esse cuivis attendenti patet. Desideratur enim numerus peditum. Præterea multo usitatius est dicere *quadringenos* quam *quadringentenos*. *Equitum quadringenis* quoque pro *equitibus quadringenis* non placet. Denique numerus ipse quadringenorum equitum in singulas legiones nimio major videtur, quum Macedonicæ legiones, quæ sena millia peditum habebant, trecenos tantummodo haberent equites, ut constat ex l. XLIV. c. 21. supra. Totus igitur hic locus sic fortasse emendandus est: *cum binis legionibus quina millia peditum et ducenos habentibus, equites trecenos*. Eodem plane modo, quo ibidem l. XLIV. c. 21. *Duas legiones . . . quina millia peditum et ducenos habentes, trecenos equites*. Idem numerus notatur tanquam vetere instituto assignatus legionibus, supra l. XLII. c. 31.

72 *Calatiæ in publico agro M. Valerius civis Romanus nunciabat e foco suo*] Calatia erat urbs Campaniæ, cujus ager, quemadmodum et Capuæ, publicus factus fuerat populi Romani. Is igitur ager fruendus locabatur colonis a censoribus. M. Valerius de quo hic agitur, unus videlicet erat ex iis qui aliquam partem hujus publici agri conduxerant.

73 *Urbs lustrata*] Amburbiali sacro, de quo supra l. XXI. c. 62. et l. XLII. c. 20. Vid. ibi nott.

U. C. 585. A. C. 167. *tiochum regem data ad omnia pulvinaria essent, tanta Q. Cassius et M'. Juventius prætores curarent danda.*

Legati in Macedoniam et Illyricum.

XVII. Legatos deinde, quorum de sententia imperatores L. Paullus, L. Anicius componerent res, decreverunt [74] decem in Macedoniam, quinque in Illyricum. In Macedoniam sunt hi nominati, A. Postumius Luscus, C. Claudius, ambo censorii, C. Licinius Crassus, collega in consulatu Paulli; tum prorogato imperio provinciam Galliam habebat. His consularibus addidere Cn. Domitium Ahenobarbum, Ser. Cornelium Sullam, L. Junium, C. Antistium Labeonem, T. Numisium Tarquiniensem, A. Terentium Varronem. In Illyricum autem hi nominati, P. Ælius Ligus consularis, C. Cicereius, et Cn. Bæbius Tamphilus, (hic priore anno, Cicereius multis ante annis prætor fuerat) P. Terentius Tusciveicanus, P. Manilius. Moniti deinde consules a Patribus, ut, quoniam alterum ex his succedere C. Licinio, qui legatus nominatus erat, in Galliam oporteret, primo quoque tempore provincias aut compararent inter se, aut sortirentur, sortiti sunt. M. Junio Pisæ obvenerunt, (quem prius, quam in provinciam iret, legationes, quæ undique Romam gratulatum convenerunt, introducere in senatum placuit) Q. Ælio Gallia. Ceterum quamquam tales viri mitterentur, quorum de consilio sperari posset, imperatores nihil indignum nec clementia nec gravitate populi Romani decreturos esse, tamen in senatu quoque agitata est summa consiliorum, ut inchoata omnia legati ab domo ferre ad imperatores possent.

S. C. de Macedonia.

XVIII. *Omnium primum liberos esse* placebat *Macedonas atque Illyrios, ut omnibus gentibus adpareret, arma populi Romani non liberis servitutem, sed contra servientibus libertatem adferre; ut et in libertate gentes quæ essent, tutam eam sibi perpetuamque* [75] *sub tutela populi Romani*[n] *esse, et, quæ sub regibus viverent, et in præsens tempus mitiores eos justioresque respectu populi Romani habere se, et, si quando bellum cum populo Romano regibus fuisset suis, exitum ejus victoriam Romanis, sibi libertatem adlaturum crederent.* [76] *Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque prædiorum rusticorum tolli* placebat. *nam neque sine publicano*

[n] [*populi Romani*] Crev.

74 *Decem in Macedoniam*] At novem tantum nominantur. Intercidit unum nomen, quod Jac. Gronovius suspicatur esse Q. Marcii Philippi.

75 *Sub tutela* (*populi Romani*) *esse*] Adjecit merito Sigonius has voces *populi Romani*.

76 *Metalli quoque Macedonici*] Dubium esse potest, utrum hæc verba referenda sint ad *vectigal*, an ad *locationes*. Posterius magis placet. Quid sint hoc loco *locationes prædiorum rusticorum*, haud facile definire possumus. Fortasse hoc intelligendum est de prædiis, quæ proprium essent regum Macedonicorum patrimonium, quod vocamus apud nos *le domaine*: quæ quum locarentur a regibus, a Romanis vel venduntur, vel donantur.

exerceri posse; et, ubi publicanus est, [77] *ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse. Ne ipsos quidem Macedonas* [78] *idem exercere posse. ubi in medio præda administrantibus esset, ibi numquam caussas seditionum et certaminis defore.* [79] *Commune concilium° gentis esset, ne inprobum vulgus a senatu aliquando libertatem salubri moderatione datam ad licentiam pestilentem traheret. In quatuor regiones describi Macedoniam, ut suum quæque concilium haberet,* placuit; *et* [80] *dimidium tributi, quam quod regibus ferre soliti erant, populo Romano pendere.* Similia his et in Illyricum mandata. cetera ipsis imperatoribus legatisque relicta, in quibus præsens tractatio rerum certiora subjectura erat consilia. U. C. 585. A. C. 167.

XIX. Inter multas regum gentiumque et populorum legationes Attalus, frater regis Eumenis, maxime convertit in se omnium oculos animosque. exceptus enim est ab his, qui simul eo bello militaverunt, haud paullo benignius, quam si ipse rex Eumenes venisset. Adduxerant eum duæ in speciem honestæ res: una, gratulatio, conveniens in ea victoria, quam ipse adjuvisset: altera, querimonia Gallici tumultus, [81] Advertæque gladiis regnum in dubium adductum esse. Suberat et secreta spes honorum præmiorumque ab senatu, quæ vix salva pietate [82] ejus contingere poterant. erant enim quidam Romanorum quoque non boni auctores, qui spe cupiditatem ejus elicerent: *Eam opinionem de Attalo et Eumene Romæ esse, tamquam de altero Romanis certo amico, altero nec Romanis, nec Persi fido socio. Itaque vix statui posse, utrum, quæ pro se, an, quæ contra fratrem petiturus esset, ab senatu magis impetrabilia forent: adeo universos omnia et huic tribuere,* [83] *et illi vero negare.* Eorum hominum (ut res docuit) Attalus erat, qui, quantum spes spopondisset, cuperent, ni unius amici prudens monitio velut frenos animo ejus, gestienti secundis rebus, inposuisset. Stratius cum eo fuit medicus, ad id ipsum a non securo Eumene Romam missus, speculator rerum, quæ a fratre agerentur, monitorque fidus, si decedi fide vidisset. Is, ad occupatas jam au- Attalus Romæ. Attali spes pravæ.

° *cmsilium* Crev.

77 *Ibi aut jus publicum vanum*] Ubi publicanus est, alterutrum accidere necesse est. Aut remissius agere publicani jubebuntur: tunc jus publicum vanum erit, id est, ex jure illo publico, vel metalli, vel portorii, nihil aut perpaululum pecuniæ recipietur. Aut publicanus rigide et districte aget: tunc libertas sociis nulla erit.

78 *Idem exercere*] Mallemus *id exercere.*

79 *Commune consilium gentis esset*] Imo, ut recte observat Sigonius, et res ipsa clamat, *commune consilium gentis nullum esse.*

80 *Dimidium tributi quam quod*] Ocius dele cum Gronovio τὸ *quam.* Exempla similia reperies infra capp. 26. et 29.

81 *Advertæque gladiis*] Hæc pro desperatis habemus.

82 *Ejus*] Magis placeret *ei contingere.*

83 *Et illi vero negare*] Emphasin agnoscimus in particula *vero.* Itaque nihil mutandum censemus.

U. C. 585. A. C. 167. res sollicitatumque jam animum quum venisset, adgressus [84] tempestivis temporibus rem prope prolapsam restituit, aliis alia regna crevisse rebus, dicendo: *regnum eorum novum, nullis vetustis fundatum opibus, fraterna stare concordia: quod unus nomen regium et præcipuum capitis insigne gerat, omnes fratres regnent. Attalum vero, quia ætate proximus, quis non pro rege habeat? neque eo solum, quia tantas præsentes ejus opes cernat, sed quod haud ambiguum prope diem regnaturum eum infirmitate ætateque Eumenis esset, nullam stirpem liberûm habentis:* (necdum enim agnoverat [85] eum, qui postea regnavit). [86] *Quid adtineret vim adferre rei, sua sponte mox ad eum adventuræ? Accessisse etiam novam tempestatem regno tumultus Gallici, cui vix consensu et concordia regum resisti queat. Si vero ad externum bellum domestica seditio adjiciatur, sisti non posse;* [87] *nec aliud eum, quam, ne frater in regno moriatur, sibi ipsi spem propinquam regni erepturum. Si utraque gloriosa res esset, et servasse fratri regnum, et eripuisse; servati tamen regni, quæ juncta pietati sit, potiorem laudem fuisse. Sed enimvero quum detestabilis altera res et proxima parricidio sit, quid ad deliberationem dubii superesse? Utrum enim partem regni petiturum esse, an totum erepturum? si partem; ambo infirmos, distractis viribus, et omnibus injuriis obnoxios fore: si totum; privatumne ergo majorem fratrem, an exsulem illa ætate, illa corporis infirmitate,* [88] *an ultimum mori jussurum? Egregium enim (ut fabulis traditus inpiorum fratrum eventus taceatur) Persei exitum videri, qui ex fraterna cæde raptum diadema in templo Samothracum, velut præsentibus Diis exigentibus pœnas, ad pedes victoris hostis prostratus posuerit. Eos ipsos, qui, non illi amici, sed Eumeni infesti, stimulent eum, pietatem constantiamque laudaturos, si fidem ad ultimum fratri præstitisset.*

Castigantur a Stratio.

Stratio obtemperat Attalus.

XX. Hæc plus valuere in Attali animo. Itaque introductus in senatum, gratulatus victoriam, et sua merita eo bello fratrisque, si qua erant, et Gallorum defectionem, quæ nuper ingenti motu facta erat, exposuit. Petiit, ut legatos

84 *Tempestivis temporibus*] Lege cum Gronovio, *tempestivis sermonibus.*

85 *Eum qui postea regnavit*] Attalum Philometora, qui regnavit post hunc Attalum patruum suum, et hærede populo Romano decessit.

86 *Quid attineret vim afferre*] Admittimus emendationem Gronovii: *quid attinere vim afferri.*

87 *Nec aliud eum quam*] Recte censet Dujatius hic nulla mutatione opus esse. Sufficit ex more Livii supplere *effecturum. Nec aliud eum* effecturum, *quam sibi ipsi spem propinquam regni erepturum, ne frater in regno moriatur*, id est, dum vetat ne frater in regno moriatur. Ne frater in regno moriatur, hoc assequetur ipse, ut sibi spem propinquam regni eripiat. Ceterum ingeniosa tamen est Gronovii emendatio: *Nec aliud eum fratri, quam ne in regno moriatur, sibi ipsi spem propinquam regni erepturum.*

88 *An ultimum*] *Ultimum* hic interpretamur *ad ultimum, denique.* Particulam *an*, quam mutat Gronovius in *ad*, retinendam esse existimamus, ut tertium hoc sit divisionis membrum.

mitteret ad eos, quorum auctoritate ab armis avocarentur. His pro regni utilitate editis mandatis, Ænum sibi et Maroneam petiit. Ita destituta eorum spe, qui, fratre accusato, partitionem regni petiturum crediderant, [89] curiam [p] excessit. [90] Ut raro alias quisquam, rex aut privatus, tanto favore tantoque omnium adsensu est auditus; omnibus honoribus muneribusque, et præsens est cultus, et proficiscentem prosecuti sunt. Inter multas Asiæ Græciæque legationes Rhodiorum maxime legati civitatem converterunt. nam quum primo in veste candida visi essent, quod gratulantes decebat, et, si sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum præbere speciem poterant; postquam consulti ab M. Junio consule Patres, stantibus in comitio legatis, an locum, lautia, senatumque darent, nullum hospitale jus in iis servandum censuerunt; egressus e curia consul, quum Rhodii, gratulatum se de victoria purgatumque civitatis crimina dicentes venisse, petissent, ut senatus sibi daretur, pronunciat: *Sociis et amicis et alia comiter atque hospitaliter præstare Romanos, et senatum dare consuesse: Rhodios non ita meritos eo bello, ut* [91] *amicorum sociorum numero habendi sint.* His auditis, prostraverunt se omnes humi, consulemque et cunctos, qui aderant, orantes, ne nova falsaque crimina plus obesse Rhodiis æquum censerent, quam antiqua merita, quorum ipsi testes essent. Extemplo, veste sordida sumta, domos principum cum precibus ac lacrimis circumibant, orantes, ut prius cognoscerent caussam, quam [92] condemnarentur.

U. C. 585. A. C. 167.

Rhodiorum legati.

Male excepti.

XXI. M'. Juventius Thalna prætor, cujus inter cives et peregrinos jurisdictio erat, populum adversus Rhodios incitabat: rogationemque promulgaverat, *Ut Rhodiis bellum indiceretur: et ex magistratibus ejus anni deligerent, qui ad id bellum cum classe mitteretur*, se eum sperans futurum esse.

Thalnæ rogatio contra Rhodios.

[p] *curia* Gron.

89 *Curiam excessit*] Vulgo *curia*. At prima editio habet quomodo edidimus, teste Gronovio. Et sic sæpe Livius.

90 *Ut raro alias*] Recte idem Gronovius delet voculam *ut*. Ceterum hic operæ pretium est supplere ea ex Polybio quæ Livius, quum cetera ex eo exscriberet, omisit, seu quia falsa putabat, seu quia Romanis parum decora, nimium indulgens cæco in patriam amori, noluit historiæ suæ inserere. Tradit ergo Polybius, legat. 93. Ænum et Maroneam primo concessas esse Attalo, et decretam legationem ad Gallos, et omnibus honoribus muneribusque eum magnifice cultum esse, quia sperabant Patres iterum illum aditurum ad eos, postulaturumque ut regnum Eumenis secum divideretur. Quæ ubi spes eos frustrata est, tum vero eos, quum etiamnum esset in Italia Attalus, liberas esse jussisse Ænum et Maroneam urbes, promissionis factæ Attalo oblitos. Præterea misisse quidem legationem ad Gallos. Sed quomodo de ea loquitur Græcus scriptor, quamvis rem clare non explicet, satis indicat ea mandata legatis data, ex quibus potius confirmarentur Gallorum animi ad bellum, quam Eumeni et Attalo conciliarentur. Idem suspicari possumus ex ipso Livio infra c. 34.

91 *Amicorum sociorum*] Lege cum Gronovio *sociorumve*.

92 *Condemnarentur*] Melius *condemnarent*.

U. C. 585. A. C. 167. Huic actioni M. Antonius et M. Pomponius tribuni plebis adversabantur. Sed et prætor novo maloque exemplo rem ingressus erat, quod, ante non consulto senatu, non consulibus certioribus factis, de sua unius sententia rogationem ferret, *Vellent, juberentne, Rhodiis bellum indici?* quum antea semper prius senatus de bello consultus esset, deinde ad populum latum; [93] et tribuni plebis, quum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi, quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset; eoque persæpe evenisset, ut, qui non professi essent se intercessuros, animadversis vitiis legis [94] ex ratione dissuadentium, intercederent; et, qui ad intercedendum venissent, desisterent, victi auctoritatibus suadentium legem. Tum inter prætorem tribunosque omnia intempestive agendi certamen erat. Tribuni festinationem prætoris ante tempus intercedendo,

* * *

in adventum im-[q]

* * *

Oratio Rhodiorum in senatu.

XXII. *** *peccaverimusne, adhuc dubium est: pœnas, ignominias omnes jam patimur. Antea, Karthaginiensibus victis, Philippo, Antiocho superatis, quum Romam venissemus, ex publico hospitio in curiam gratulatum vobis, Patres conscripti, ex curia in Capitolium ad Deos vestros* [95] *dona ferentes*[r]*; nunc ex sordido deversorio, vix mercede recepti, ac prope hostium more extra urbem manere jussi, in hoc squalore venimus in curiam Romanam Rhodii, quos provinciis nuper Lycia atque Caria, quos præmiis atque honoribus amplissimis donastis. Et Macedonas Illyriosque liberos esse (ut audimus) jubetis, quum servierint, antequam vobiscum bellarent: (nec cujusquam fortunæ invidemus, immo agnoscimus clementiam populi Romani) Rhodios, qui nihil aliud quam quieverunt hoc bello, hostes ex sociis facturi estis? Certe quidem vos estis Romani, qui ideo felicia bella vestra esse, quia justa sint, præ vobis fertis, nec tam exitu eorum,* [96] *quod vincatis, quam principiis, quod non sine caussa suscipiatis, gloriamini. Messana in Sicilia obpugnata Karthaginienses, Athenæ obpugnatæ et Græcia in servitutem petita, et adjutus Hannibal pecunia, auxiliis, Philippum hostem fecerunt. Antiochus*

[q] *intercedendo in adventum imperatoris* sine lacunæ significatione Gron. [r] add. *veniebamus* Gron. [*deducebamur*] Crev.

93 *Et tribuni plebis*] Supple, *novo maloque exemplo* adversabantur huic actioni.

94 *Ex ratione dissuadentium*] Gronovius emendat *ex oratione.*

95 *Dona ferentes deducebamur*] Ultima vox a nobis adjecta est. Sigonius voluerat *veniebamus*: minus aut proprie, aut eleganter.

96 *Quod vincatis*] Hoc debetur Gronovio. Antea *quod vindicatis.*

ipse, ultro ab Ætolis hostibus vestris arcessitus, ex Asia classe in Græciam trajecit; Demetriade, et Chalcide, et saltu Thermopylarum occupato, de possessione imperii vos dejicere conatus. Cum Perseo socii vestri obpugnati, alii interfecti reguli principesque gentium aut populorum, caussa belli vobis fuere. Quem tandem titulum nostra calamitas habitura est, si perituri sumus? Nondum segrego civitatis caussam a Polyarato et Dinone, civibus nostris, et iis, quos, ut traderemus vobis, adduximus. Si omnes Rhodii æque noxii essemus, quod nostrum in hoc bello crimen esset? Persei partibus favimus; et, quemadmodum Antiochi Philippique bello pro vobis adversus reges, sic nunc pro rege adversus vos stetimus. Quemadmodum soleamus socios juvare, et quam inpigre capessere bella, C. Livium, L. Æmilium Regillum interrogate, qui classibus vestris in Asia præfuerunt. Numquam vestræ naves pugnavere sine nobis. nostra classe pugnavimus semel ad Samum, iterum in Pamphylia adversus Hannibalem imperatorem. quæ victoria nobis eo gloriosior est, quod, quum ad Samum magnam partem navium adversa pugna et egregiam juventutem amisissemus, ne tanta quidem clade territi, iterum ausi sumus regiæ classi ex Syria venienti obviam ire. Hæc non gloriandi caussa retuli, (neque enim ea nunc nostra est fortuna) sed ut admonerem, quemadmodum adjuvare socios solerent Rhodii. U. C. 585. A. C. 167.

XXIII. *Præmia, Philippo et Antiocho devictis, amplissima accepimus a vobis. Si, quæ vestra nunc est fortuna Deûm benignitate et virtute vestra, ea Persei fuisset, et præmia petitum ad victorem regem venissemus in Macedoniam, quid tandem diceremus? Pecuniane a nobis adjutum, an frumento? auxiliis terrestribus, an navalibus? quod præsidium tenuisse nos? ubi pugnasse aut sub illius ducibus, aut per nos ipsos? Si quæreret, ubi miles noster, ubi navis intra præsidia sua fuisset; quid responderemus? Caussam fortasse diceremus apud victorem, quemadmodum apud vos dicimus. Hoc enim legatos utroque de pace mittendo consecuti sumus,* [97] *ut ne ab utraque parte gratiam iniremus; ab altera etiam crimen et periculum esset. Quamquam Perseus vere objiceret, id quod vos non potestis, Patres conscripti, nos principio belli misisse ad vos legatos, qui pollicerentur vobis, quæ ad bellum opus essent;* [98] *navalibus, armis, juventute nostra, sicut prioribus bellis, ad omnia paratos fore. Ne præstaremus, per vos stetit, qui de quacumque caussa tum adspernati nostra auxilia estis. Neque fecimus igitur quidquam tamquam hostes, neque bonorum sociorum defuimus officio; sed a vobis prohibiti præstare fuimus. Quid igitur? nihilne factum neque dictum est in civitate vestra, Rhodii, quod nolletis, quo merito offenderetur*

97 *Ut ne ab utraque parte*] Lege cum Gronovio *ut ab neutra parte.*

98 *Navalibus armis*] Hic rursus emendat Gronovius, *navibus, armis.*

U. C. 585. A. C. 167. *populus Romanus? Hinc jam non, quod factum est, defensurus sum, (non adeo insanio) sed publicam caussam a privatorum culpa segregaturus. Nulla enim est civitas, quæ non et inprobos cives aliquando, et inperitam multitudinem semper habeat. Etiam apud vos fuisse audivi, qui adsentando multitudini grassarentur: et secessisse aliquando a vobis plebem, nec in potestate vestra rempublicam fuisse. Si hoc in hac tam bene morata civitate accidere potuit, mirari quisquam potest, aliquos fuisse apud nos, qui, regis amicitiam petentes, plebem nostram consiliis depravarent? qui tamen nihil ultra valuerunt, quam ut in officio cessaremus. Non præteribo id, quod gravissimum est in hoc bello crimen civitatis nostræ. Legatos eodem tempore et ad vos, et ad Persea de pace misimus: quod infelix consilium furiosus (ut postea audivimus) orator stultissimum fecit: quem sic locutum constat, tamquam C. Popillius legatus Romanus, quem ad submovendos a bello Antiochum et Ptolemæum reges misistis, loqueretur. Sed tamen ea, sive superbia sive stultitia adpellanda est, eadem, quæ apud vos, et apud Persea fuit. Tam civitatium, quam singulorum hominum mores sunt: gentes quoque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in vinum, in Venerem proniores aliæ sunt. Atheniensium populum fama est celerem et supra vires audacem esse ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, et vix in ea, quibus fidit, ingredientem. Non negaverim, et totam Asiæ regionem inaniora parere ingenia, et nostrorum tumidiorem sermonem esse, quod excellere inter finitimas civitates videamur; et id ipsum non tam viribus nostris, quam vestris honoribus ac judiciis. Satis quidem et tunc in præsentia castigata illa legatio erat, cum tam tristi responso vestro dimissa. si tum parum ignominiæ pensum est, hæc certe tam miserabilis ac supplex legatio etiam insolentioris, quam illa fuit, legationis satis magnum piaculum esset. Superbiam, verborum præsertim, iracundi oderunt, prudentes inrident; utique si inferioris adversus superiorem est: capitali pœna nemo umquam dignam judicavit. Id enimvero periculum erat, ne Romanos Rhodii contemnerent. Etiam Deos aliqui verbis ferocioribus increpant, nec ob id quemquam fulmine ictum audimus.*

XXIV. *Quid igitur superat, quod purgemus, si nec factum hostile ullum nostrum est, et verba tumidiora legati obsensionem aurium, non perniciem civitatis, meruerunt?* [99] *Voluntatis nostræ tacitæ velut litem æstimari vestris inter vos sermonibus audio,*

99 *Voluntatis nostræ tacitæ*] Amplectimur sine ulla dubitatione emendationem Perizonii: *voluntatis nostræ tacitæ*. Rhodii modo probaverunt nullum suum factum hostile esse; dicta superba, sed contemnenda. Superest expendenda tacita voluntas. Nec causa erat, ut recte observat Perizonius, senatoribus Romanis, cur tacita continerent ea quæ de Rhodiis sentiebant. *Voluntatis æstimare litem* est expendere quam mulctam pœnamve voluntas mala mereatur.

Patres conscripti: favisse nos regi, et illum vincere maluisse; ideo bello persequendos esse credunt. Alii vestrûm, voluisse quidem nos hoc, non tamen ob id bello persequendos esse: neque moribus, neque legibus ullius civitatis ita comparatum esse, ut, si quis vellet inimicum perire, [1]si nihil fecerit, quo id fiat, capitis damnetur. His, qui nos pœna, non crimine, liberant, gratiam quidem habemus: ipsi nobis hanc dicimus legem; si omnes voluimus, quod arguimur, non distinguimus voluntatem a facto: omnes plectamur. Si alii principum nostrorum vobis, alii regi faverunt; non postulo, ut propter nos, qui partium vestrarum fuimus, regis fautores salvi sint: illud deprecor, ne nos propter illos pereamus. Non estis vos illis infestiores, quam civitas ipsa; [2]et hoc qui sciebant, plerique eorum aut profugerunt, aut mortem sibi consciverunt. alii, damnati a nobis, in potestate vestra erunt, Patres conscripti. Ceteri Rhodii, sicut gratiam nullam meriti hoc bello, ita ne pœnam quidem sumus. Priorum nostrorum benefactorum cumulus hoc, quod nunc cessatum in officio est, expleat. Cum tribus regibus gessistis bella per hos annos. ne plus obsit nobis, quod uno bello cessavimus, [3]quam quod duobus bellis pro vobis pugnavimus. Philippum, Antiochum, Persea, tamquam tres sententias, ponite. duæ nos absolvunt: [4]una dubia est, ut gravior sit. [5]Illi de nobis si judicarent, damnati essemus. vos judicate, Patres conscripti, sit Rhodus in terris, an funditus deleatur. Non enim de bello deliberatis, Patres conscripti, quod inferre potestis, gerere non potestis; quum nemo Rhodiorum arma adversus vos laturus sit. Si perseverabitis in ira, tempus a vobis petemus, quo hanc funestam legationem domum referamus: omnia libera capita, quidquid Rhodiorum virorum, feminarum est, cum omni pecunia nostra naves conscendemus; ac, relictis penatibus publicis privatisque, Romam veniemus: et, omni auro et argento, quidquid publici, quidquid privati est, in comitio, in vestibulo curiæ vestræ, cumulato, corpora nostra conjugumque ac liberorum vestræ potestati permittemus, hic passuri, quodcumque patiendum erit. procul ab oculis nostris urbs nostra diripiatur, incendatur.

U. C. 585.
A. C. 167.

1 *Si nihil fecerit*] Vetus exemplar habuit, teste Gronovio, *ut si nihil fecerit.* Deleverunt *si ut* editores, tanquam supervacuum. At Gronovius etiam scripsisse Livium credit, *ut is si nihil fecerit.* Vid. supra l. XXII. c. 11. et l. XXXVI. c. 3.

2 *Et hoc qui sciebant*] Legit Perizonius, *et hoc quia sciebant.*

3 *Quam quod*] Lege *quam prosit quod.*

4 *Una dubia est, ut gravior sit*] Hunc locum mendi arguit Gronovius: sed immerito. *Una* sententia, inquiunt Rhodii, *ut gravior sit*, id est, etiamsi severior, durior sit, *dubia est.* Si quis, inquiunt, benigne de nobis judicare vellet, etiam in bello adversus Persea nos aliqua in parte socialibus officiis non defuisse existimaret, quum nostram Romanis operam initio hujus belli polliciti fuerimus. Sed si severius ac gravius rem æstimare velit; nihil amplius facere poterit, quam ut de nostra erga Romanos fide dubitet. Dubia erit ejus sententia: non absolvet nos quidem, sed nec damnabit.

5 * *Illi*] Philippus, Antiochus, atque etiam Perseus.

585. *Hostes Rhodios esse, Romani judicare possunt: est tamen et*
567. *nostrum aliquod de nobis judicium,* [6] *quo numquam judicabimus nos vestros hostes: nec quidquam hostile, etiam si omnia patiemur, faciemus.*

XXV. [7] Secundum talem orationem universi rursus prociderunt, ramosque oleæ supplices jactantes, tandem excitati, curia excesserunt. Tunc sententiæ interrogari cœptæ. Infestissimi Rhodiis erant, qui consules prætoresve aut legati gesserant in Macedonia bellum. Plurimum caussam eorum adjuvit M. Porcius Cato; qui, asper ingenio, tum lenem mitemque senatorem egit. [8] Non inseram simulacrum viri copiosi, quæ dixerit, referendo: [9] ipsius oratio scripta exstat, Originum quinto libro inclusa. Rhodiis responsum ita redditum est, ut nec hostes fierent, nec socii permanerent. [10] Philocrates et Astymedes principes legationis erant. Partem cum Philocrate renunciare Rhodum legationem placuit, partem cum Astymede Romæ subsistere[a], [11] quæ agerentur, sciret, certioresque suos faceret. In præsentia deducere ante certam diem ex Lycia Cariaque [12] jusserunt præfectos. Hæc Rhodum nunciata, quæ per se tristia fuissent, quia majoris mali levatus erat timor, quum bellum timuissent, in gaudium renunciata verterunt. Itaque extemplo coronam [13] viginti millium aureorum decreverunt: [14] Theodotum, præfectum classis, in eam legationem miserunt. Societatem ab Romanis ita volebant peti, ut nullum de ea re scitum [15] populi fieret, aut literis mandaretur: [16] quod, nisi impetrarent, major repulsis ignominia esset.

[a] ins. [*ut*] Crev.

6 *Quo nunquam judicabimus*] Nesciimus unde invectum fuerit illud *quo*. Veteres editi habent *quod*, quomodo legit et ipse Gronovius, ut ex ejus nota apparet. Reponit ille *qui*: atque id melius videtur.

7 *Secundum talem orationem*] Longe diversam habuit orationem Astymedes, quam edidisse eum in vulgus tradit Polybius, legat. 93. qui et hoc gravissime reprehendit, quod Rhodius orator ita suos liberare culpa conaretur, ut Græcos ceteros accusaret.

8 * *Non inseram*] Non inseram hoc loco imaginem adumbratam eloquentiæ Catonis, scribendo orationem tanquam ab illo habitam.

9 *Ipsius oratio scripta exstat*] Ejus orationis multa capita refert, et defendit adversus Tironem A. Gellius l. VII. c. 3.

10 *Philocrates et Astymedes principes legationis*] Duplicem legationem a Rhodiis missam esse docet Polybius ibid. quarum alterius Philocrates, alterius Astymedes princeps erat.

11 *Ut quæ agerentur sciret*] Particulam *ut* addidit Clericus. Gronovius legit: *qui quæ agerentur scirent, certioresque suos facerent.* Elige utrum malis.

12 * *Jusserunt*] Patres Romani.

13 *Viginti millium aureorum*] Polybius habet tantummodo *decem*. Viginti millia aureorum æquiparantur pondere marcis nostratibus 625. Ejusdem pretii et ponderis coronam obtulisse legati Pamphylii memorantur, supra l. XLIV. c. 14.

14 *Theodotum*] Theætetum vocat Polybius.

15 *Populi*] Rhodii.

16 *Quod, nisi impetrarent*] Quia, si non impetrarent, postquam populus et universa civitas id postulandum decresset, major ignominia futura erat repulsis, quam si præfectus classis id quasi suo nomine petere videretur.

Præfecti classis id unius erat jus, ut agere de ea re sine rogatione ulla perlata posset. nam ita per tot annos in amicitia fuerant, ut sociali fœdere se cum Romanis non inligarent ob nullam aliam caussam, quam ne spem regibus abscinderent auxilii sui, si cui opus esset, neu sibi ipsis fructus ex benignitate et fortuna eorum percipiendi. Tunc utique petenda societas videbatur; non quæ tutiores eos ab aliis faceret, (nec enim timebant quemquam, præter Romanos) sed quæ ipsis Romanis minus suspectos. Sub idem fere tempus et Caunii descivere ab his, et Mylasenses Euromensium oppida occuparunt. Non ita fracti animi civitatis erant, ut non sentirent, si Lycia et Caria ademtæ ab Romanis forent, cetera aut se ipsa per defectionem liberarent, aut a finitimis occuparentur, includi se insulæ parvæ et sterilis agri litoribus, quæ nequaquam alere tantæ urbis populum posset. missa igitur juventute, propere et Caunios, quamquam Cibyratarum adsciverant auxilia, coëgerunt imperio parere; et Mylasenses Alabandenosque, qui, Euromensium provincia ademta, ad ipsos conjuncto exercitu venerunt, circa Orthosiam acie vicerunt. U. C. 585. A. C. 167.

XXVI. Dum hæc ibi, alia in Macedonia, alia Romæ geruntur; interim in Illyrico L. Anicius, rege Gentio, sicut ante dictum est, in potestatem redacto, Scodræ, quæ regia fuerat, præsidio inposito. Gabinium præfecit, Rhizoni et [17]Olcinio urbibus opportunis C. Licinium. Præpositis his Illyrico, cum reliquo exercitu in Epirum est profectus. ubi prima Phanota ei dedita, tota multitudine cum infulis obviam effusa. hic præsidio inposito, in Molossidem transgressus: cujus omnibus oppidis, præter Passaronem, et Tecmonem, et Phylacen, et Horreum, receptis, primum ad Passaronem ducit. Antinous et Theodotus principes ejus civitatis erant, insignes et favore Persei, et odio adversus Romanos: iidem universæ genti auctores desciscendi ab Romanis. Hi conscientia privatæ noxæ, quia ipsis nulla spes veniæ erat, ut communi ruina patriæ obprimerentur, clauserunt portas, multitudinem, ut mortem servituti præponerent, hortantes. Nemo adversus præpotentes viros hiscere audebat. Tandem Theodotus quidam, nobilis et ipse adolescens, quum major a Romanis metus timorem a principibus suis vicisset, *Quæ vos rabies*, inquit, *agitat, qui duorum hominum noxæ* [18]*ci-*

Anicii res gestæ in Epiro.

17 *Olcinio*] Hæc est vera hujus nominis scriptura, quam exhibet prima editio, et retinuit quoque Sigonius. Alii editi *Olzinio*. Sed bis infra incolæ ejus oppidi nominantur *Olciniatæ*: et eodem modo a Ptolemæo ipsam urbem nominari observat Cellarius, Ὀλκίνιον.

18 *Civitatis accessionem facitis*] Longe elegantius est, quod suggerit Gronovius, *civitatem*: nec dubitamus sic dedisse Livium. Sensus est: qui vultis civitatem sequi fortunam duorum noxiorum capitum.

U. C. 586. A. C. 167.

vitatis accessionem facitis? Equidem pro patria qui letum obpetissent, sæpe fando audivi: qui patriam pro se perire æquum censerent, hi primi inventi sunt. Quin aperimus portas, et imperium accipimus, quod orbis terrarum accepit? Hæc dicentem quum multitudo sequeretur, Antinous et Theodotus in primam stationem hostium inruperunt, atque ibi, obferentes se ipsi vulneribus, interfecti. urbs dedita est Romanis. Simili pertinacia [19] Cephali principis clausum Tecmonem, ipso interfecto, per deditionem recepit. Nec Philace, nec Horreum, obpugnationem tulerunt. Pacata Epiro, divisisque in hiberna copiis per opportunas urbes, regressus ipse in Illyricum, Scodræ, quo quinque legati ab Roma venerant, evocatis ex tota provincia principibus, conventum habuit. Ibi pro tribunali pronunciavit de sententia consilii: *Senatum populumque Romanum Illyrios esse liberos jubere. præsidia ex omnibus oppidis, arcibus, et castellis sese deducturum. Non solum liberos, sed etiam inmunes fore Issenses, et Taulantios, Dassaretiorum* [20] *Pirustas, Rhizonitas, Olciniatas, quod, incolumi Gentio, ad Romanos defecissent. Daorseis quoque inmunitatem dare; quod, relicto Caravantio, cum armis ad Romanos transissent. Scodrensibus, et Dassarensibus, et* [21] *Selepitanis, ceterisque Illyriis, vectigal dimidium ejus, quod regi* [22] *pendissent.* Inde in tres partes Illyricum divisit. [23] unam eam fecit, quæ supra dicta est; alteram Labeatas omnes; tertiam [24] Agravonitas, et Rhizonitas, et Olciniatas, adcolasque eorum. hac formula dicta in Illyrico, ipse in Epiri Passaronem in hiberna rediit.

Decretum de Illyriis.

Macedoniæ tres urbes direptæ a Rom.

XXVII. Dum hæc in Illyrico geruntur, Paullus ante adventum decem legatorum Q. Maximum filium, jam ab Roma regressum, ad Æginium et Agassas diripiendas mittit: Agassas, quod, quum Marcio consuli tradidissent urbem, petita ultro societate Romana, defecerant rursus ad Persea: Æginiensium novum crimen erat. famæ de victoria Romanorum fidem non habentes, in quosdam militum, urbem

19 *Cephali principis*] Sic nomen hujus insignis viri edunt et Polybius in Excerpt. de Virt. et Vit. l. XXVII. et ipse Livius supra l. XLIII. c. 18. Vulgati hic habent *Cephalonis*.

20 *Pirustas*] Sic lege jussit Sigonius ex Ptolemæo et Strabone. Antea *Tirustas*.

21 *Selepitanis*] Dujatius suspicatur hoc nomen corruptum esse ex *Separis, Epetitinis*, qui apud Plinium appellantur l. III. c. 22. Sed fortasse non est quod miremur ignotum nobis populi nomen occurrere: nec quidquid ignoramus, statim pro suspecto habendum est.

22 *Pendissent*] Usitatius foret *pependissent*. Vid. tamen de hoc verbo Nov. Method. Ling. Lat.

23 *Unam eam fecit, quæ supra dicta est*] Ubinam? Vel hic aliqua interciderunt, vel rem non parum sane fastidiosam indiligentius transcurrit Livius. Ut ut sit, certe haud facile definiri potest ex antecedentibus, quos populos habuerit prima hæc Illyrici pars.

24 *Agravonitas*] Fortasse *Ascrivionitas*. Ascrivium urbs est Dalmatiæ memorata Plinio et Ptolemæo. Dujatius. Sed ab *Ascrivio* urbe non bene formaretur nomen gentilitium *Ascrivionitæ*. Liceat aliqua ignorare.

ingressos, hostiliter sævierant. Ad Æniorum quoque hostiliter urbem diripiendam L. Postumium misit, quod pertinacius, quam finitimæ civitates, in armis fuerant. Autumni fere tempus erat; cujus temporis initio circumeundam Græciam, visendaque, [25]quæ nobilitata fama magis auribus accepta sunt, quam oculis noscuntur, ut statuit, præposito castris C. Sulpicio Gallo, profectus cum haud magno comitatu, tegentibus latera Scipione filio et Athenæo Eumenis regis fratre, per Thessaliam Delphos petit, inclitum oraculum: ubi, sacrificio Apollini facto, inchoatas in vestibulo columnas, quibus inpositurì statuas regis Persei fuerant, suis statuis victor destinavit. Lebadiæ quoque templum [26]Jovis Trophonii adiit. ibi quum vidisset os, specus, per quod oraculo utentes sciscitatum Deos descendunt, sacrificio Jovi Hercynnæque facto, quorum ibi templum est, Chalcidem ad spectaculum [27]Euripi *[t]ævoque ante insulæ, ponte continenti junctæ, descendit. A Chalcide Aulidem trajicit, trium millium spatio distantem, portum inclitum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis, Dianæque templum, ubi navibus cursum ad Trojam, filia victima aris admota, rex ille regum petiit. Inde Oropum Atticæ ventum est; [28]ubi pro Deo vates Amphilochus colitur, templumque vetustum est, fontibus rivisque circa amœnum. Athenas inde, [29]plenas quidem et ipsas vetustate famæ, multa tamen visenda habentes: arcem, [30]portus, muros Piræeum urbi jungentes, [31]navalia magnorum imperatorum, simulacra Deorum hominumque, omni genere et materiæ et artium insignia.

U. C. 585. A. C. 167.

Paullus Græciam peragrat.

XXVIII. Sacrificio Minervæ præsidi arcis in urbe facto

[t] abest nota lacunæ Crev.

25 *Quæ . . . magis auribus accepta sunt, quam oculis noscuntur*] Quæ vulgo plerique auribus accipere satis habent, nec curant etiam noscere oculis.

26 *Jovis Trophonii*] De Trophonii oraculo, et Hercynna, quæ infra nominatur, vid. Pausaniam in Bœoticis. Ibi fuse descriptum reperies et locum ipsum, et ritum consulendi oraculi. Ceterum male hic olim legebatur *Trophonis*. Correxit Sigonius.

27 *Euripi ævoque ante insulæ*] Lege *Euripi Eubœæque insulæ*: quod dudum monuerunt Sigonius et Gronovius.

28 *Ubi pro deo vates Amphilochus colitur*] Non sine causa existimat Dujatius Livium hoc loco *Amphilochum* dixisse pro *Amphiarao*. Vid. Pausaniam in Atticis.

29 *Plenas quidem et ipsas vetustate famæ, multa tamen*] Plenas quidem monumentis vetustatis, quæ nihil aliud insigne habeant, quam quod repræsentant heroicorum temporum memoriam; multa tamen habentes, quæ per se ipsa, et ob structuræ magnificentiam, aut excellentiam artificii, visenda sint.

30 *Portus*] In Piræeo solo tres erant portus. Præterea et duos alios ad Munychiam et ad Phalerum portus habebant Athenienses. Vid. Pausan. Att. initio.

31 *Navalia magnorum imperatorum*] Navalia non sunt imperatorum, sed populi. Videtur excidisse aliqua vox, puta *monumenta*, aut alia non absimilis sensus. Sic igitur legendum et distinguendum erit: *navalia, magnorum imperatorum monumenta, simulacra deorum hominumque.*

U. C. 585. A. C. 167.

profectus, Corinthum altero die pervenit. urbs erat tunc præclara [32]ante excidium. arx quoque et Isthmus præbuere spectaculum: [33]arx inter omnia in inmanem altitudinem edita, scatens fontibus: Isthmus duo maria, ab occasu et ortu solis finitima, artis faucibus dirimens. Sicyonem inde et Argos nobiles urbes adit: inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclitam Æsculapii nobili templo; quod, quinque millibus passuum ab urbe distans, nunc vestigiis revulsorum donorum, tum donis dives erat, quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacraverant Deo. Inde Lacedæmonem adit, non operum magnificentia, sed disciplina institutisque memorabilem: unde per Megalopolim Olympiam adscendit. Ubi et alia quidem spectanda visa, et, Jovem velut præsentem intuens, [34]motus animo est. Itaque, haud secus quam si in Capitolio inmolaturus esset, sacrificium amplius solito adparari jussit. Ita peragrata Græcia, ut nihil eorum, quæ quisque Persei bello [35]privatim aut publice sensisset, inquireret, ne cujus metu sollicitaret animos sociorum, [36]Demetriadem quum revertit, in itinere sordidata turba Ætolorum obcurrit; mirantique et percunctanti, quid esset, defertur, quingentos quinquaginta principes ab Lycisco et Tisippo, circumsesso senatu per milites Romanos, missos a Bæbio præside, interfectos; alios in exsilium actos esse: bonaque eorum, qui interfecti essent, et exsulum [37]possidere, qui arguebant. Jussis Amphipolim adesse, ipse, convento Cn. Octavio Demetriade, postquam fama accidit, trajecisse jam mare decem legatos, omnibus aliis omissis, [38]Apolloniam ad eos pergit. quo quum Perseus obviam Amphipoli nimis soluta custodia processisset, (id diei iter est) ipsum quidem benigne adlocutus est: ceterum, postquam in castra ad Amphipolim venit, graviter increpuisse traditur C. Sulpicium: primum, quod Persea tam procul a se vagari per provinciam [39]passus esset[u]: deinde, quod adeo indulsisset militibus, ut nudare tegulis muros urbis ad tegenda hibernacula sua pateretur. referrique tegulas et resarciri tecta, sicut fuerant, jussit. Et Persea quidem

Redit Paullus in Macedoniam.

[u] *est* Crev.

32 *Ante exscidium*] Corinthus excisa a Mummio est, altero et vicesimo post hunc anno.

33 *Arx inter omnia*] Felicissime Gronovius: *arx intra mœnia.* Docet enim Strabo l. VIII. p. 379. Acrocorinthum communi cum urbe muro cinctam fuisse.

34 *Motus animo est*] Plutarchus refert memorabile Æmilii dictum: Phidias solus, inquit, effinxisse videtur eum Jovem quem cecinit Homerus.

35 *Privatim ac publice*] Magis placeret *aut publice*, quomodo legitur in prima editione, teste Hearnio.

36 *Demetriadem quum revertit*] Malit Gronovius *revertisset.*

37 *Possidere, qui arguebant*] Eos qui arguebant, sive accusatores.

38 *Apolloniam*] Intellige Apolloniam Chalcidicam, sitam inter Chabrium et Strymona fluvios.

39 *Passus est*] Lege cum Gronovio *esset.*

cum majore filio Philippo, traditos A. Postumio, in custodiam misit: filiam cum minore filio, a Samothrace adcitos Amphipolim, omni liberali cultu habuit. U. C. [illegible] A. C. [illegible]

XXIX. Ipse, ubi dies venit, quo [40] adesse Amphipolidenos principes civitatium jusserat, literasque omnes, quæ ubique depositæ essent, et pecuniam regiam conferri, cum decem legatis, circumfusa omni multitudine Macedonum, in tribunali consedit. Adsuetis regio imperio tamen novum formam terribilem præbuit tribunal, [41] submotor aditus, præco, adscensus, insueta omnia oculis auribusque; [42] quæ vel socios, nedum hostes victos, terrere possent. Silentio per præconem facto, Paullus Latine, quæ senatui, quæ sibi ex consilii sententia visa essent, pronunciavit: ea Cn. Octavius prætor (nam et ipse aderat) interpretata sermone Græco referebat. *Omnium primum liberos esse jubere Macedonas, habentes urbes easdem agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus: tributum dimidium ejus, quod pependissent regibus, pendere populo Romano. Deinde in quatuor regiones dividi Macedoniam. unam fore et primam partem, quod agri inter Strymonem et Nessum amnem sit:* [43] *accessurum huic parti trans Nessum, ad orientem versum, qua Perseus tenuisset vicos, castella, oppida, præter Ænum, et Maroneam, et Abdera; trans Strymonem autem vergentia ad occasum, Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticen adpellant. Secundam fore regionem, quam ab ortu Strymo amplecteretur amnis, præter Sinticen Heracleam et Bisaltas: ab occasu qua Axius terminaret fluvius, additis* [44] *Pæonibus, qui prope Axium flumen ad regionem orientis colerent. Tertia pars facta, quam Axius ab oriente, Peneus amnis ab occasu, cingunt: ad septentrionem Bora mons objicitur. adjecta huic parti regio Pæoniæ, qua ab occasu præter Axium amnem porrigitur: Edessa quoque et Berœa eodem concesserunt. Quarta regio trans Boram montem, una parte confinis Illyrico, altera Epiro. Capita*

Amplores Macedonis conponit.

Decretum de Macedonibus.

40 *Adesse Amphipoli . . . . jusserat*] Imo *Amphipolim:* ut supra *jussis Amphipolim adesse.*

41 *Summotor aditus*] Lictor qui summoveret obvios, nec adire ad proconsulem sineret.

42 *Quæ vel socios, nedum hostes victos, terrere possent*] Si hæc sana sunt, habes exemplum particulæ *nedum* sumptæ pro *non solum:* quod vulgo negant rectum esse Grammatici. Sed et ipse Cicero eodem sensu illam usurpavit, l. X. ad Att. ep. 16. *Tu quoniam quartana cares, et nedum morbum removisti, sed etiam gravedinem.* Sic enim plurimos scriptos habere testantur omnes fere interpretes. Et rursus Balbus et Oppius in ep. ad Cic. lib. IX. ad Att. *Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate, a plerisque probari solent.* Itaque non plane fortasse assentiendum est hac in re communi Grammaticorum opinioni.

43 *Accessurum huic parti trans Nessum, ad Orientem versum*] Supple ex præcedentibus *agrum,* sive *quod agri sit.* Sed melius omnino legeretur *versus.*

44 *Pæonibus*] Hic mendum vulgatissimum insederat antiquum codicem. Legebatur nimirum *Pæonis.* Correxit Gronovius.

U. C. 585. A. C. 167. *regionum, ubi concilia fierent, primæ regionis Amphipolim, secundæ Thessalonicen, tertiæ Pellam, quartæ Pelagoniam fecit. Eo concilia* [45] *suæ cujusque regionis indici, pecuniam conferri, ibi magistratus creari jussit.* Pronunciavit deinde, [46] *neque connubium, neque commercium agrorum ædificiorumque inter se placere cuiquam extra fines regionis suæ esse. Metalla quoque auri atque argenti non exerceri: ferri et æris permitti.* vectigal exercentibus dimidium ejus impositum, quod pependissent regi. Et sale invecto uti vetuit. Dardanis repetentibus Pæoniam, quod et sua fuisset, et continens esset finibus suis, *omnibus dare libertatem* pronunciavit, *qui sub regno Persei fuissent.* Post non impetratam Pæoniam, [47] salis commercium dedit: tertiæ regioni imperavit, ut Stobos Pæoniæ deveherent, pretiumque statuit. Navalem materiam et ipsos cædere, et alios pati vetuit. Regionibus, quæ adfines barbaris essent, (excepta autem tertia, omnes erant) permisit, ut præsidia armata in finibus extremis haberent.

XXX. Hæc, pronunciata primo die conventus, varie adfecerunt animos. Libertas præter spem data adrexit, et[u] levatum annuum vectigal. Regionatim commerciis interruptis [48] ita videri lacerata, tamquam animalia in artus, alterum alterius indigentes, distracta: adeo, quanta Macedonia esset, quam [49] divisui facilis, [50] et a se ipsa quæque contemta pars esset, Macedones quoque ignorabant. Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros, ([51] trans Nessum amnem incolunt et circa Strymonem) et multas frugum proprietates, et metalla, et opportunitatem Amphipolis: quæ objecta claudit omnes ab oriente sole in Macedoniam aditus. Secunda pars celeberrimas urbes, Thessalonicen et Cassandriam, habet; ad hoc Pallenen, fertilem ac frugiferam terram: maritimas quoque opportunitates ei præbent

Partes Macedoniæ quatuor.

[u] *et* del. Gron.

45 *Suæ cujusque regionis*] Potius *sua*, inquit Gronovius. Vid. supra l. III. c. 22. et l. XXV. c. 17.

46 *Neque connubium, neque commercium*] Jam olim similis lex a Romanis dicta Latinis et Hernicis, VIII. 14. IX. 43.

47 *Salis commercium dedit*] Permisit Dardanis salem ex Macedonia mercari: quem ut facilius Dardani habere possent, imperavit tertiæ regioni, ubi nimirum maxima salis copia erat, ut Stobos deveherent, quod oppidum haud procul aberat a Dardanorum finibus.

48 *Ita videri lacerata*] Nihil est ad quod referri possit τὸ *lacerata*. Lege omnino *lacerati*, nempe ipsi Macedones.

49 *Divisui facilis*] Fortasse scripsit Livius *divisu*. Sed tamen tam videtur dici posse regio *divisui facilis*, quam *cibus facillimus ad concoquendum*, quomodo locutus est Cicero, l. II. de Fin. c. 20.

50 *Et a se ipsa quæque contempta pars*] Dubitari non potest, quin Livius scripserit, *et se ipsa quæque contenta pars esset*: id est, quam sibi ipsa quæque pars sufficeret.

51 *Trans Nessum amnem incolunt*] Imo *citra Nessum*, si reliquam Macedoniam respicias, et Romam quoque, ubi Livius scribebat.

portus ad Toronen ac montem Atho, ([52] Æneæ vocant hunc) U. C. 585.
alii ad insulam Eubœam, alii ad Hellespontum opportune A. C. 167.
versi. Tertia regio nobiles urbes, Edessam et Berœam et Pellam, habet, et Vettiorum bellicosam gentem: incolas quoque permultos Gallos et Illyrios, inpigros cultores. * Quartam regionem Eordæi et Lyncestæ et Pelagones incolunt: juncta his Atintania, et [53] Stymphalis, et Elimiotis. frigida hæc omnis, duraque cultu, et aspera plaga est: cultorum quoque ingenia terræ similia habet. ferociores eos et adcolæ barbari faciunt; nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos. Divisæ itaque Macedoniæ partium usibus separatis, [54] quanta universos teneat Macedonas, formula dicta, [55] quum leges quoque se daturum ostendisset.

XXXI. Ætoli deinde citati: in qua cognitione magis, utra pars Romanis, utra regi favisset, quæsitum est, quam utri fecissent injuriam, aut accepissent. Noxa liberati interfectores: exsilium pulsis æque ratum fuit, ac mors interfectis. A. Bæbius unus est damnatus, quod milites Romanos præbuisset ad ministerium cædis. Hic eventus Ætolorum caussæ in omnibus Græciæ gentibus populisque eorum, qui partis Romanorum fuerant, inflavit ad intolerabilem superbiam animos; et obnoxios pedibus eorum subjecit, quos aliqua parte suspicio favoris in regem contigerat. Tria genera principum in civitatibus erant: duo, quæ adulando aut Romanorum imperium, aut amicitiam regum, sibi privatim opes obpressis faciebant civitatibus: medium unum, utrique generi adversum, libertatem et leges tuebatur. His ut major apud suos caritas, ita minor apud externos gratia erat. Secundis rebus elati Romanorum partis ejus fautores, soli tum in magistratibus, soli in legationibus erant. Hi quum frequentes et ex Peloponneso, et ex Bœotia, et ex aliis Græciæ conciliis adessent, inplevere aures decem legatorum: *Non eos tantum, qui se propalam [56] per vanitatem jactassent, tamquam hospites et amicos Persei, sed multo plures alios ex occulto favisse. reliquos per speciem tuendæ libertatis in conciliis adversus Romanos omnia instruxisse. nec aliter eas mansuras in fide gentes, nisi, fractis animis par-*

Judicium de Ætolis.

Assentatorum Romanæ potentiæ superbia.

52 *Æneæ vocant hunc*] *Hunc*, id est, portum ad montem Atho, *vocant Æneæ* portum.

53 *Stymphalis*] Probat Cellar. Geograph. Ant. l. II. c. 13. legendum esse *Stymphæis*, vel *Stymphæa*; cujus incolæ *Stymphæi*, qui iidem a Strabone Στυμφαῖοι appellantur.

54 *Quanta universos teneat Macedonas*] Hoc corruptum est. Emendat Sigonius: *quæ universos teneret Macedonas formula dicta*: * id est, forma quædam regiminis præscripta fuit, quam non hæc aut illa pars Macedoniæ, sed universi Macedones sequi juberentur.

55 * *Quum leges quoque*] Atque etiam se leges iis daturum promisit Æmilius: quod et revera exsecutus esse memoratur, infra c. 32.

56 * *Per vanitatem*] Per inconsultam levitatem.

U. C. 585. A. C. 167. Inquisitiones in eos qui faverant Perseo.

tium, aleretur confirmareturque auctoritas eorum, [57] *qui nihil præter imperium Romanorum spectarent.* Ab his editis nominibus, evocati [58] literis imperatoris ex Ætolia, Acarnaniaque, et Epiro, et Bœotia, qui Romam ad caussam dicendam sequerentur: in Achaiam ex decem legatorum numero profecti duo, C. Claudius et Cn. Domitius, ut ipsi edicto evocarent. Id duabus de caussis factum: una, quod fiduciæ plus animorumque esse Achæis ad non parendum credebant, et forsitan etiam in periculo fore Callicratem et ceteros criminum auctores delatoresque: altera, cur præsentes evocarent, caussa erat, quod ex aliis gentibus principum literas deprehensas in commentariis regiis habebant: in Achæis cæcum erat crimen, nullis eorum literis inventis. Ætolis dimissis, Acarnanum citata gens: in his nihil novatum, nisi quod Leucas exemta est Acarnanum concilio. Quærendo deinde latius, qui publice aut privatim partium regis fuissent, in Asiam quoque cognitionem extendere: et ad Antissan in Lesbo insula diruendam, traducendos Methymnam Antissæos, Labeonem miserunt; quod Antenorem, regium præfectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum est vagatus, portu receptum commeatibus juvissent. Duo securi percussi viri insignes; Andronicus Andronici filius Ætolus, quod, patrem secutus, arma contra populum Romanum tulisset: et Neo Thebanus, [59] quo auctore societatem cum Perseo junxerant.

Principes Macedones in Italiam ablegati.

XXXII. His rerum externarum cognitionibus interpositis, Macedonum rursus advocatum concilium: pronunciatum, [60] *Quod ad statum Macedoniæ pertinebat, senatores, quos Synedros vocant, legendos esse, quorum consilio respublica administraretur.* Nomina deinde sunt recitata principum Macedonum, quos cum liberis, majoribus quam quindecim annos natis, præcedere in Italiam placeret. Id, prima specie sævum, mox adparuit multitudini Macedonum pro libertate sua esse factum. nominati sunt enim regis amici purpuratique, duces exercituum, præfecti navium aut præsidiorum; servire regi humiliter, aliis superbe imperare adsueti: prædivites alii, alii, quos fortuna non æquarent, his sumtibus pares: regius omnibus victus vestitusque: nulli civilis ani-

57 *Qui nihil præter imperium Romanorum exspectarent*] Lege cum Gronovio, *spectarent.*

58 *Litteris imperatoris*] Has litteras invitus dedit Æmilius, ut discimus ex Polybio, Legat. 94. qui testatur ei nullo modo placuisse calumnias illas assentatorum Romanæ potentiæ, idque eum rebus ipsis satis significasse affirmat. Vid. et nostrum supra c. 28.

59 *Quo auctore societatem cum Perseo junxerant*] Quinam? Excidit nomen, vel Thebanorum, vel Bœotorum. De Bœotis in universum ut accipiamus, magis inclinat animus, ob ea quæ habet Livius supra l. XLII. capp. 42. et 43. Adde et Polyb. Legat. 63.

60 *Quod ad statum Macedoniæ pertinebat*] Lege *pertineat:* siquidem hæc sunt verba legatorum Romanorum.

mus, neque legum neque libertatis æquæ patiens. Omnes igitur, qui in aliquibus ministeriis regiis, etiam qui in minimis legationibus fuerant, jussi Macedonia excedere, atque in Italiam ire: qui non paruisset imperio, mors denunciata. U. C. 585. A. C. 167.

Leges Macedoniæ dedit cum tanta cura, ut non hostibus victis, sed sociis bene meritis, dare videretur: et quas ne usus quidem longo tempore (qui unus est legum conrector) experiendo argueret. Ab seriis rebus ludicrum, quod ex multo ante præparato, et in Asiæ civitates, et ad reges missis, qui denunciarent, et quum circumiret ipse Græciæ civitates, indixerat principibus, magno adparatu Amphipoli fecit. Nam et [61] artificum omnis generis, qui ludicram artem faciebant, ex toto orbe terrarum multitudo, et athletarum, et nobilium equorum convenit: et legationes cum victimis, et quidquid aliud Deorum hominumque caussa fieri magnis ludis in Græcia solet. Ita factum est, ut non magnificentiam tantum, sed prudentiam in dandis spectaculis, ad quæ rudes tum Romani erant, admirarentur. Epulæ quoque legationibus paratæ et opulentia et cura eadem. Vulgo dictum ipsius ferebant, et convivium instruere, et ludos parare ejusdem esse, qui vincere bello sciret. Leges datæ.

XXXIII. Edito ludicro omnis generis, clipeisque æreis in naves inpositis, cetera omnis generis arma, cumulata in ingentem acervum, precatus Martem, Minervam, [62] Luamque matrem, et ceteros Deos, quibus spolia hostium dicare jus fasque est, ipse imperator, face subdita, succendit. deinde circumstantes tribuni militum pro se quisque ignes conjecerunt. Notata est in illo conventu Europæ Asiæque, undique partim ad gratulationem, partim ad spectaculum contracta multitudine, tantis navalibus terrestribusque exercitibus, ea copia rerum, [63] ea vilitas annonæ; ut et privatis, et civitatibus, et gentibus, dona data pleraque ejus generis sint ab imperatore, non in usum modo præsentem, sed etiam quod domos aveherent. Spectaculo fuit ei, quæ venerat, turbæ non scenicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curricula equorum, quam præda Macedonica omnis, ut viseretur, exposita statuarum, tabularumque, textilium, et vasorum ex auro et argento et ære et ebore [64] factorum ingenti cura in ea regia: ut non in præsentem modo speciem, qualibus referta regia Alexandriæ erat, sed in perpetuum usum fierent. Hæc, in classem in- Munificentia Paulli.

61 *Artificum*] Vid. not. 2. ad l. V. c. 1.

62 *Luamque matrem*] Sic recte Turnebus, quum prius legeretur *Lunam*. Vid. not. 2. ad l. VIII. c. 1.

63 *Ea vilitas annonæ*] Hoc debetur Sigonio. Prius *ea utilitas*.

64 *Factorum ingenti cura in ea regia*] Quæ vasa facta erant ingenti cura in regia Pellæ. * Huic opponitur mox, in iis quæ sequuntur, regia Alexandriæ.

U. C. 585. A. C. 167. posita, devehenda Romam Cn. Octavio data. Paullus, benigne legatis dimissis, transgressus Strymonem, mille passuum ab Amphipoli castra posuit: inde profectus, Pellam quinto die pervenit. Prætergressus urbem, ad Spelæum (quod vocant) biduum moratus, P. Nasicam, et Q. Maximum filium cum parte copiarum ad depopulandos Illyrios, qui Persea juverant bello, misit, jussos ad Oricum sibi obcurrere: ipse, Epirum petens, quintisdecimis castris Passaronem pervenit.

Epiri præda data exercitui.

XXXIV. Haud procul inde Anicii castra aberant. ad quem literis missis, ne quid ad ea, quæ fierent, moveretur; *senatum prædam Epiri civitatium, quæ ad Persea defecissent, exercitui dedisse*, submissis centurionibus in singulas urbes, qui se dicerent ad præsidia deducenda venisse, ut liberi Epirotæ, sicut Macedones, essent, denos principes ex singulis evocavit civitatibus: quibus, quum denunciasset, ut aurum atque argentum in publicum proferretur, per omnes civitates cohortes dimisit. ante in ulteriores, quam in propiores, profecti, ut uno die in omnes perveniretur. Edita tribunis centurionibusque erant, quæ agerentur: mane omne aurum argentumque conlatum: hora quarta signum ad diripiendas urbes datum est militibus: tantaque præda fuit, ut in equitem [65] quadringeni denarii, peditibus duceni dividerentur, centum quinquaginta millia capitum humanorum abducerentur. Muri deinde direptarum urbium diruti sunt: ea fuere oppida circa septuaginta. Vendita præda omnium, de ea summa militi numeratum est. Paullus ad mare Oricum descendit, nequaquam, ut ratus erat, expletis militum animis: qui, tamquam nullum in Macedonia gessissent bellum, expertes regiæ prædæ esse indignabantur. Orici quum missas cum Scipione Nasica Maximoque filio copias invenisset, exercitu in naves inposito, in Italiam trajecit. Et post paucos dies Anicius, conventu reliquorum Epirotarum Acarnanumque acto, jussisque in Italiam sequi principibus, quorum cognitionem caussæ reservarat, et ipse, navibus exspectatis, quibus usus Macedonicus exercitus erat, in Italiam trajecit. Quum hæc in Macedonia Epiroque gesta sunt, legati, qui cum Attalo ad finiendum bellum inter Gallos et regem Eumenem missi erant, in Asiam pervenerunt. Induciis per hiemem factis, et Galli domos [66] abierant [x], et rex in hiberna concesserat Pergamum, gravique morbo æger fuerat. [67] Ver primum ex domo excivit: jamque Synnada

Paullus in Italiam trajicit, ut et Anicius.

[x] *abierunt* Gron.

65 *Quadringeni denarii*] Marcæ argenti nostrates sex, unciæ 2. *Duceni*. Marcæ 3. uncia 1.

66 *Abierant*] Sic bene prima editio et Sigonius. In Gronovianis editionibus legitur *abierunt*.

67 *Ver primum ex domo excivit*] Satis intelligitur hæc dici de Gallis. Res tamen clarior esset, si eorum nomen diserte exprimeretur.

perveneranit, quum Eumenes ad Sardes undique exercitum contraxerat. Ibi et Romani Solovettium ducem Gallorum Synnadis adlocuti, et Attalus cum eis profectus; sed castra Gallorum intrare eum non placuit, ne animi ex disceptatione irritarentur. P. Licinius cum regulo Gallorum est locutus, [68] retulitque, ferociorem eum deprecando factum. ut mirum videri posset, inter tam [y] opulentos reges, Antiochum Ptolemæumque, tantum legatorum Romanorum verba valuisse, ut extemplo pacem facerent; apud Gallos nullius momenti fuisse. U. C. 585. A. C. 167.

XXXV. Romam primum reges captivi, Perseus et Gentius, in custodiam cum liberis abducti; dein turba alia captivorum: tum quibus Macedonum denunciatum erat, ut Romam venirent, principumque Græciæ. nam hi quoque non solum præsentes exciti erant, sed etiam, si qui apud reges esse dicebantur, literis arcessiti sunt. Paullus ipse post dies paucos regia nave ingentis magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis, non insignium tantum armorum, sed etiam regiorum textilium, adverso Tiberi ad urbem est subvectus, completis ripis obviam effusa multitudine. Paucos post dies Anicius et Octavius classe sua advecti. Tribus iis omnibus decretus est ab senatu triumphus: mandatumque Q. Cassio prætori, cum tribunis plebis ex auctoritate Patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, ut iis, quo die urbem triumphantes inveherentur, imperium esset. Intacta invidia media sunt: ad summa ferme tendit. nec de Anicii, nec de Octavii triumpho dubitatum est: Paullum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit. Antiqua disciplina milites habuerat; de præda parcius, quam speraverant ex tantis regiis opibus, dederat nihil relicturis [z], (si aviditati indulgeretur) quod in ærarium deferret. Totus Macedonicus exercitus imperatori erat neglegenter adfuturus comitiis ferendæ legis. Sed eos Ser. Sulpicius Galba, qui tribunus militum secundæ legionis in Macedonia fuerat, privatim imperatori inimicus, prensando ipse, et per suæ legionis milites sollicitando, stimulaverat, ut frequentes ad suffragium adessent: *Imperiosum ducem et* [69] *malignum antiquando rogationem, quæ de triumpho ejus ferretur, ulciscerentur. plebem urbanam secuturam esse militum judicia. Pecuniam illum dare non potuisse,* [70] *militem honorem dare posse? ne speraret ibi fructum gratiæ, ubi non meruisset.*

Paullus Romam appellit, dein Anicius, et Octavius.

Triumphus iis decretus a senatu.

Triumphum Paullo milites abrogare volunt.

y *tam* del. Gron. Crev. z *relicturus* Eæd.

68 *Retulitque ferociorem*] Vid. quæ annotavimus supra ad c. 20.

69 *Malignum*] Nimis parcum.

70 *Militem honorem dare posse*] De hoc loco variant admodum doctissimorum quoque interpretum sententiæ. Nobis nihil melius videtur, quam quod Sigonio placuit: *militem honore dare*

U. C. 585. A. C. 167.

Ser. Galba dissuadet legem de triumpho Paulli.

XXXVI. His incitatis, quum in Capitolio rogationem eam Ti. Sempronius tribunus plebis ferret, [71] et privatis lege dicendi locus esset, nec[a] ad suadendum, ut in re minime dubia, quisquam procederet; Ser. Galba repente processit, et a tribuno postulavit, *Ut, quoniam hora jam octava diei esset, nec satis temporis ad demonstrandum haberet, cur L. Æmilium non juberent triumphare, in posterum diem differrent, et mane eam rem agerent. Integro sibi die ad caussam eam orandam opus esse.* Quum tribunus dicere eo die, si quid vellet, juberet, in noctem rem dicendo extraxit, referendo admonendoque, *Exacta acerbe munia militiæ; plus laboris, plus periculi, quam desiderasset res, injunctum; contra in præmiis, in honoribus, omnia artata. militiamque, [72] si talibus succedat ducibus, horridiorem asperioremque bellantibus; eamdem victoribus inopem atque inhonoratam futuram. Macedonas in meliore fortuna, quam milites Romanos, esse. Si frequentes postero die ad legem antiquandam adessent, intellecturos potentes viros, non omnia in ducis, aliquid et in militum manu esse.* His vocibus incitati, postero die milites tanta frequentia Capitolium compleverunt, ut aditus nulli præterea ad suffragium ferendum esset. Intro vocatæ primæ tribus quum antiquarent, concursus in Capitolium principum civitatis factus est, *Indignum facinus esse*, clamitantium, *L. Paullum, tanti belli victorem dispoliari*[b] *triumpho. obnoxios imperatores tradi licentiæ atque avaritiæ militari: [73] in uno nimis se per ambitionem peccare. Quid, si domini milites imperatoribus inponantur?* In Galbam pro se quisque probra ingerere. Tandem, hoc tumultu sedato, M. Servilius, qui consul et magister equitum fuerat, ut de integro eam rem agerent, ab tribunis petere, dicendique sibi ad populum potestatem facerent. Tribuni, quum ad deliberandum secessissent, victi auctoritatibus principum, de integro agere cœperunt, revocaturosque se easdem tribus renunciarunt, si M. Servilius aliique privati, qui dicere vellent, dixissent.

[a] [*nec*] Crev. [b] *despoliari* Gron. Crev.

non posse. Intellige autem non posse militem, quia non vult; quemadmodum imperatorem arguit Galba jactasse non posse se pecuniam dare, quum revera nollet.

71 *Et privatis lege dicendi locus esset, nec ad suadendum*] Particula *nec* merito addita a Sigonio est. Recte quoque Gronovius monet legendum, *et privatis de lege dicendi locus esset*, id est, suadendi dissuadendive legem. Denique quum vetus exemplar habuerit, *ut in re minime dubia si quisquam*, idem Gronovius suspicatur, *ut in re minime dubiosa, quisquam:* et firmat conjecturam suam auctoritate Gellii, qui voce *dubiosus* usus est non semel. At nos illa auctoritas non frangit, nec facile ex sequiore ævo ductam vocem in Livium admittimus.

72 *Si talibus succedat ducibus*] Si hæc sana sunt, sensus erit: si talibus ducibus res prospere succedant, si tales duces honore et præmiis augeantur.

73 *In uno nimis se per ambitionem peccare*] Amplectimur emendationem Gronovii: *ultro nimis sæpe per ambitionem peccari. Ultro*, id est, etiam quum nihil cogat. *Ambitionem* intellige, ut sæpe alias, pravam et intempestivam gratiæ vulgi captationem.

XXXVII. Tum Servilius: *Quantus imperator L. Æmilius fuerit, Quirites, si ex alia re nulla æstimari possit, vel hoc satis erat, quod, quum tam seditiosos et leves milites, tam nobilem, tam temerarium, tam eloquentem ad instigandam multitudinem inimicum in castris haberet, nullam in exercitu seditionem habuit. Eadem severitas imperii, quam nunc oderunt, tunc eos continuit. Itaque, antiqua disciplina habiti,* [74] *neque fecerunt. Ser. quidem Galba, si in L. Paullo accusando tirocinium ponere, et documentum eloquentiæ dare voluit, non triumphum inpedire debuit, quem, si nihil aliud, senatus justum esse judicaverat: sed* [75] *postero die, quam triumphatum est, privatum eum*[c] *visurus esset, nomen deferret, et legibus interrogaret; aut serius paullo, quum primum magistratus ipse cepisset, diem diceret, inimicum ad populum accusaret. Ita et pretium recte facti triumphum haberet L. Paullus pro egregie bello gesto; et pœnam, si quid et vetere gloria sua et nova indignum fecisset. Sed videlicet,* [76] *cui crimen nullum, nullum*[d] *probrum dicere poterat, ejus obtrectare laudes voluit. Diem integrum hesterno die ad accusandum L. Paullum petiit: quatuor horas, quantum supererat diei, dicendo absumsit. Quis umquam tam nocens reus fuit, cujus vitia vitæ tot horis expromi non possent? Quid interim objecit, quod L. Paullus, si caussam dicat, negatum velit? Duas mihi aliquis conciones parumper faciat: unam militum Macedonicorum; puram alteram, integrioris judicii,* [77] *et a favore et odio, universo judicante populo Romano. Apud concionem togatam et urbanam prius* [78] *reus agatur. Quid apud Quirites Romanos, Ser. Galba, diceres?* [79] *illa enim tibi tota abscisa oratio esset: "in statione severius et intentius institisti; vigiliæ acerbius et "diligentius circumitæ sunt;* [80] *operis plus, quam antea, fecisti, "quum ipse imperator et exactor circumires; eodem die et iter*

U. C. 585. A. C. 167. Servilii oratio pro triumpho.

[c] *eum l. cum* Gron. Crev. [d] [*nullum*] Crev.

74 *Neque fecerunt*] Rescribit Alb. Rubenius, assentiente Gronovio, *tunc quieverunt*: quæ conjectura eo probabilior est, quod præcedit vox *habiti*, cujus duæ ultimæ litteræ potuerunt absorbere duas a quibus incipit *tunc*.

75 *Postero die quam triumphatum est, privatum quum visurus esset*] Reposuit Sigonius *cum* pro *eum*. Sed et muta cum Gronovio *est* in *et*: *postero die quam triumphatum, et privatum cum visurus esset*.

76 *Cui crimen nullum, nullum probrum dicere poterat*] *Nullum* semel tantum in vetusto codice erat. Geminavit Sigonius. Sed et mallemus *cujus nullum crimen*.

77 *Et a favore et odio*] Legimus *et a favore et ab odio*.

78 *Reus agatur*] Haud videmus, cur hoc displicuerit Mureto, qui dubitanter quidem, sed tamen subjicit: *res agatur*. Sic agit hoc loco Servilius, quasi Paullus a Galba accusaretur ad populum.

79 *Illa enim*] Pronomen *illa* intelligi debet de iis quæ sequuntur. Sensus est: jam nihil omnino diceres ex iis quæ mox memoraturus sum: frustra in eum hæc jaceres: *in statione severius et diligentius institit*, etc.

80 *Operis plus, quam antea, fecisti, quum ipse imperator . . . circumires*] Toto hoc in loco aliquid vitiatum est. Quæ enim in secunda persona dicuntur, alia ad imperatorem spectant, alia ad militem. Libentius mutaremus verba ad imperatorem pertinentia, legeremusque: *institit, circumiret, ductus es*.

U. C. 585. A. C. 167. "*fecisti, et in aciem ex itinere duxisti. Ne victorem quidem te* "*adquiescere passus est: statim ad persequendos hostes duxit.* "*Quum te præda partienda locupletem facere posset, pecuniam* "*regiam translaturus in triumpho est, et in ærarium laturus.*" *Hæc sicut ad militum animos stimulandos aliquem aculeum habent, qui parum licentiæ, parum avaritiæ suæ inservitum censent; ita apud populum Romanum nihil valuissent: qui, ut vetera atque audita a parentibus suis non repetat, quæ ambitione imperatorum clades acceptæ sint, quæ severitate imperii victoriæ partæ, proximo certe Punico bello, quid inter M. Minucium magistrum equitum et Q. Fabium Maximum dictatorem interfuerit, meminit.* [81] *Itaque accusatorem id scire potuisse, et supervacaneam defensionem Paulli fuisse. Transeatur ad alteram concionem: nec Quirites vos, sed milites videor adpellaturus, si nomen hoc saltem ruborem incutere, et verecundiam aliquam imperatoris violandi adferre possit.*

XXXVIII. *Equidem ipse aliter adfectus animo sum, qui apud exercitum mihi loqui videar, quam paullo ante eram, quum ad plebem urbanam spectabat oratio.* [82] *Quid etiam dicitis, milites? Aliquis est Romæ, præter Persea, qui triumphari de Macedonibus nolit? et eum non iisdem manibus discerpitis, quibus Macedonas vicistis? Vincere vos prohibuisset, si potuisset, qui triumphantes urbem inire prohibet. Erratis, milites, si triumphum imperatoris tantum, et non militum quoque et universi populi Romani, esse decus censetis.* [83] *Non unius hoc Paulli. Multi etiam, qui ab senatu non impetrarunt triumphum, in monte Albano triumpharunt. Nemo L. Paullo magis eripere decus perfecti belli Macedonici potest, quam C. Lutatio primi Punici belli, quam P. Cornelio secundi,* [84] *quam illis, qui post eos triumphaverunt*[e]. *Nec L. Paullum minorem aut majorem imperatorem triumphus faciet. militum magis in hoc universique populi Romani fama agitur. primum* [85] *ne invidiæ et ingrati animi adversus clarissimum quemque civem opinionem habeat, et imitari in hoc populum Atheniensem, lacerantem invidia principes suos, videatur. Satis peccatum in Camillo a majoribus vestris est, quem tamen ante receptam per eum a Gallis urbem viola-*

[e] *quam* [*decora cuique sua*] *illis qui* [*ante postve eos*] *triumphaverunt.* Crev.

81 *Itaque accusatorem*] Hic aliquid est quod offendat. Legit Gronovius: *itaque et accusator id scire potuisset, et supervacanea Paulli defensio fuisset.* Nos aliquid Livio dignius desideramus.

82 *Quid etiam dicitis*] Lege cum Mureto, *quid enim.*

83 *Non unius hoc Paulli. Multi etiam . . in monte Albano triumpharunt*] Hæc manca esse cuivis patet. Credimus aliqua excidisse, et asteriscum apponendum esse post nomen *Paulli.*

84 *Quam decora cuique sua illis qui ante postve eos triumphaverunt*] Hunc locum in vetere exemplari mutilum, utcunque expletum habes ex Gronovii fere sententia. Vetus scriptura nihil aliud habuit, nisi *quam illis qui triumphaverunt.*

85 *Ne invidiæ et ingrati animi*] Mallemus *invidi.*

runt: satis insuper a vobis in P. Africano. Literni domicilium U. C. 585.
et sedem fuisse domitoris Africæ! [86] *Literni sepulcrum ostendi!* A. C. 167.
Erubescamus, gloria si par illis viris L. Paullus, injuria vestra exæquetur. Hæc igitur primum infamia deleatur, fœda apud alias gentes, damnosa apud nostros. Quis enim aut Africani, aut Paulli, similis esse in ingrata et inimica bonis civitate velit? Si infamia nulla esset, et de gloria tantum ageretur, qui tandem triumphus non communem nominis Romani gloriam habet? Tot de Gallis triumphi, tot de Hispanis, tot de Pœnis, ipsorum tantum imperatorum, an populi Romani, dicuntur? Quemadmodum non de Pyrrho modo, nec de Hannibale, sed de Epirotis Karthaginiensibusque triumphi acti sunt; sic non M'. Curius tantum, nec P. Cornelius, sed Romani triumpharunt. Militum quidem propria est caussa; qui et ipsi laureati, et quisque donis, quibus donati sunt, insignes, [87] *triumphum nomine cient, suasque et imperatoris laudes canentes per urbem incedunt. Si quando non deportati ex provincia milites ad triumphum sint, fremunt: et tamen tum quoque se absentes, quod suis manibus parta victoria sit, triumphare credunt. Si quis vos interroget, milites, ad quam rem in Italiam deportati, et non statim, confecta provincia, dimissi sitis? quid Romam frequentes sub signis veneritis, quid moremini hic, et non diversi domos quisque abeatis vestras? quid aliud respondeatis, quam vos triumphantes videri velle?* [88] *Vos certe victores conspici velle debebatis.*

XXXIX. *Triumphatum nuper de Philippo, patre hujus, et de Antiocho est. ambo regnabant, quum de his triumphatum est. De Perseo capto, in urbem cum liberis abducto, non triumphabitur? Quod si in curru scandentes Capitolium, auratos purpuratosque, ex inferiore loco L. Paullus in turba togatorum unus privatus interroget: L. Anici, Cn. Octavi, utrum vos digniores triumpho esse, an me, censetis? currum ei cessuri, et præ pudore videntur insignia ipsi sua tradituri. Et vos Gentium, quam Per-*

86 *Literni sepulcrum ostendi! Erubescamus, gloria si par*] Hæc parum sana esset monet Gronovius, et in emendando multum audet. Sic enim hæc omnia refingit: *satis insuper nos in P. Africano, Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africæ, Literni sepulcrum ostendi, erubescimus. Gloriane par illis viris L. Paulus, injuria etiam vestra exæquabitur?* Nobis hæc emendatio minime blanditur. Malumus locum intactum relinquere. Tantummodo notam admirationis addidimus, ut hic esse sensus intelligatur: Quam pudendum nobis est, *Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africæ! Literni sepulcrum ostendi!* Non raro per vehementem affectum supprimitur integrum orationis membrum. Virgil. Æn. l. I. *Mene Iliacis occumbere campis Non potuisse!*

87 *Triumphum nomine cient*] Inclamantes sæpius, *Io triumphe.* Horatius, Od. 2, l. IV. *io triumphe, Non semel decimus, io triumphe, Civitas omnis.*

88 *Vos certe victores conspici velle debebatis*] Insulsa et ingrata repetitio. Non possumus credere hæc sic a Livio, sine ulla necessitate, sine ullo lepore, inculcata esse. Vel totum hoc deleri oportet, vel alio rejici. Sed quonam apte transferri possit, non satis certo reperimus.

U. C. 585. A. C. 167. *sea, duci in triumphum mavultis, Quirites, et de accessione potius belli, quam de bello, triumphari? Et legiones ex Illyrico laureatæ urbem inibunt, et navales socii? Macedonicæ legiones, suo abrogato, triumphos alienos spectabunt?* [89] *Quid deinde tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ spoliis fiet? Quonam abdentur illa tot millia armorum, detracta corporibus hostium? an in Macedoniam remittentur? Quo signa aurea, marmorea, eburnea, tabulæ pictæ, textilia, tantum argenti cælati, tantum auri, tanta pecunia regia? An noctu, tamquam furtiva, in ærarium deportabuntur? Quid illud spectaculum maximum, nobilissimus opulentissimusque rex captus, ubi victori populo ostendetur? Quos Syphax rex captus, accessio Punici belli, concursus fecerit, plerique meminimus. Perseus rex captus, Philippus et Alexander filii regis, tanta nomina, subtrahentur civitatis oculis? Ipsum L. Paullum, bis consulem, domitorem Græciæ, omnium oculi conspicere urbem curru ingredientem avent. Ad hoc fecimus consulem, ut bellum,* [90] *per quadriennium ingenti etiam pudore nostro tractum, perficeret. cui sortito provinciam, cui proficiscenti præsagientibus animis victoriam triumphumque destinavimus, ei victori triumphum negaturi? et quidem non homines tantum, sed Deos etiam suo honore fraudaturi? Diis quoque enim, non solum* [91] *hominibus, debetur. Utrum majores vestri omnium magnarum rerum et principia exorsi ab Diis sunt,* [92] *et finem eum statuerunt? Consul, proficiscens, prætorve,* [93] *paludatis lictoribus, in provinciam et ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: victor, perpetrato eodem, in Capitolio triumphans ad eosdem Deos, quibus vota nuncupavit, merita dona populi Romani traducit. pars non minima triumphi est victimæ præcedentes; ut adpareat, Diis grates agentem imperatorem ob rempublicam bene gestam redire. Omnes illas victimas,* [94] *quas traducendas in triumpho vindicavit, alias alio cædente, mactate. illas quidem epulas senatus, quæ nec privato loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur,* [95] *utrum hominum voluptatis caussa, an Deorum hominumque, auctore Ser. Galba, turbaturi estis? L. Paulli triumpho portæ claudentur? Rex Macedonum Perseus cum liberis et turba alia captivorum,*

89 *Quid deinde tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ spoliis fiet?*] Merito rescribit Gronovius *tam opima præda:* quomodo et dedit Sigonius in editione tertia, teste Hearnio.

90 *Per quadriennium*] Imo *per triennium.* Vid. not. 7. ad c. 41. infra.

91 *Hominibus debetur. Utrum majores*] Scribe cum Gronovio: *Diis quoque enim, non solum hominibus debetur triumphus. Majores vestri.*

92 *Et finem eum statuerunt*] Nempe deos.

93 *Paludatis lictoribus*] Emendat Gronovius, *paludatus cum lictoribus.* Vid. not. 46. ad l. XLI. c. 10.

94 *Quas traducendas in triumpho, vindicavit*] Vitium manifestum. Gronovius legendum putat, *quas traducendas in triumpho locavit:* satis belle, si modo intelligatur Paullus victimas non modo traducendas in triumpho, sed et præbendas locasse.

95 *Utrum hominum voluptatis causa, an deorum hominumque*] Non hæc sincera nobis videntur. Fortasse legere possimus: *non hominum voluptatis causa, sed deorum honoris.*

spolia Macedonum, citra flumen relinquentur? L. Paullus privatus, tamquam rure rediens, a porta domum ibit. [96] *Et tu, centurio, miles, quid de imperatore Paullo senatus decrerit*[f] *potius, quam quid Ser. Galba fabuletur, audi: et hoc dicere me potius, quam illum, audi. Ille nihil, præterquam loqui, et ipsum maledice ac maligne, didicit: ego ter et vicies cum hoste per provocationem pugnavi: ex omnibus, cum quibus manum conserui, spolia retuli. insigne corpus honestis cicatricibus, omnibus adverso corpore exceptis, habeo.* Nudasse deinde se dicitur, et, quo quæque bello vulnera accepta essent, retulisse. quæ dum ostentat, adapertis forte, quæ velanda erant, tumor inguinum proximis risum movit. Tum, *Hoc quoque, quod ridetis,* inquit, *in equo dies noctesque persedendo habeo: nec magis me ejus, quam cicatricum harum, pudet pœnitetque; quando numquam mihi inpedimento ad rempublicam bene gerendam domi militiæque fuit. Ego hoc ferro sæpe vexatum corpus vetus miles adolescentibus militibus ostendi. Galba nitens et integrum denudet. Revocate, si videtur, tribuni, ad suffragium tribus; ego ad vos, milites,*

U.C. 585. A.C. 167.

Servilius nudat corpus et vulnera ostentat.

* * *

XL. Summam omnis captivi auri argentique translati [97] sestertiûm millies ducenties fuisse, Valerius Antias tradit: [98] quæ haud dubie major aliquanto summa [99] ex numero plaustrorum ponderibusque auri, argenti, generatim ab ipso scriptis, efficitur. Alterum tantum aut in bellum proximum

[f] *decrevit* Gron. Crev.

96 *Et tu, centurio, miles*] Lege cum Gronovio: *At tu, centurio, miles, quid senatus decrerit . . . audi.* In iis quæ sequuntur, *et hoc dicere me potius quam illum audi,* facile pateremur recidi hæc verba, *hoc dicere,* tanquam nec satis clara, et inutilia.

97 *Sestertiûm millies ducenties*] Id est, sestertios 120000000. libras argenti pondo Romanas 300000. marcas nostrates 468750.

98 *Quæ haud dubie major aliquanto summa*] Lege cum Gronovio *qua.* Ceterum quod hic observat Livius, summam a Valerio Antiate notatam minorem justo esse, id adstruitur ex ceteris quoque scriptoribus. Ex Plutarcho, ut videre licet in iis quæ ex illo desumpta inseruimus supplementi loco, solum aurum argentumque signatum ab illa summa non multum abit. Velleius l. I. scribit Æmilium bis millies centies ærario intulisse. Plinius l. XXXIII. c. 3. bis millies trecenties. Sic enim legendum esse contendit Clar. Harduinus. Et sane maximam fuisse illam pecuniam necesse est, quæ populo Romano finem attulerit tributorum, ut habet Cic. l. II. de Off. n. 76. cui adstipulantur Plinius loco memorato, et Plutarchus in Paullo. Cave tamen mutes in Livio notam numeri, quod voluit Gronovius. Ideo enim carpit Valerium noster, quia numerum parum accurate notatum judicavit.

99 *Ex numero plaustrorum*] Non est verisimile plaustris aurum argentumque transvectum: nec ita Plutarchus, qui et signatos nummos, et omnia aurea argenteaque vasa ab hominibus gestata esse memorat. Ergo libenter cum Perizonio reponeremus *Philippeorum;* vel, quomodo magis placet Jac. Gronovio, *ph. aureorum,* qua ex scriptura facile vulgata manare potuit. Certe frequens usus Philippeorum apud Græcas et Asiaticas nationes; frequens item eorum mentio in triumphis quos Romani ex illis gentibus egerunt. Vid. supra XXXIV. 52. XXXVII. 59. XXXIX. 5. etc.

U. C. 585. A. C. 167.

absumtum, aut in fuga, quum Samothracen peteret, dissipatum tradunt: eoque id mirabilius erat, quod tantum pecuniæ intra triginta annos post bellum Philippi cum Romanis, partim ex fructu metallorum, partim ex vectigalibus aliis, coacervatum fuerat. Itaque admodum inops pecuniæ Philippus, Perseus contra prædives, bellare cum Romanis cœpit. [1] Ipse postremo Paullus in curru magnam, quum dignitate alia corporis, tum senecta ipsa, majestatem præ se ferens: post currum inter alios inlustres viros filii duo, Q. Maximus [2] et P. Scipio: deinde equites turmatim, et cohortes peditum suis quæque ordinibus. Pediti in singulos [3] dati centeni, duplex centurioni, triplex equiti. tantum pediti daturum fuisse credunt, et pro rata aliis, si aut non refragati honori ejus fuissent, aut benigne, hac ipsa summa nunciata, adclamassent. Sed non Perseus tantum per illos dies documentum humanorum casuum fuit, in catenis ante currum victoris ducis per urbem hostium ductus; sed etiam victor Paullus, auro purpuraque fulgens. Nam duobus e filiis, quos, duobus datis in adoptionem, solos nominis, sacrorum, familiæque hæredes retinuerat domi, minor, ferme duodecim annos natus, quinque diebus ante triumphum, major, quatuordecim annorum, triduo post triumphum decessit: quos prætextatos curru vehi cum patre, sibi ipsos similes prædestinantes triumphos, oportuerat. Paucis post diebus, data a M. Antonio tribuno plebis concione, quum de suis rebus gestis more ceterorum imperatorum disseruisset, memorabilis ejus oratio et digna Romano principe fuit.

Paullus in curru.

Paullus duos filios amittit.

Oratio Æmilii ad populum.

XLI. *Quamquam et quam feliciter rempublicam administraverim,* [4] *et quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare vos, Quirites, arbitror, quum specta-*

1 *Ipse postremo Paullus*] Fortasse quis crediderit nos nimia emendandi prurigine laborare. Sed tamen credimus hic ordinem narrationis a librariis corruptum esse. Secundo enim die translatum fuerat aurum et argentum. Tertio Perseus et captivi ante currum victoris ducti sunt. Igitur verisimile non est, Livium post mentionem Persei factam, antequam de Paullo qui proxime sequebatur diceret, reliquisse descriptionem incedentis pompæ, ut de summa auri argentique captivi, quod pridie translatum fuerat, de divitiis Persei dissereret, ac tum denique ad Paullum reverteretur. Si quid hic videmus, tota hæc periodus, *Ipse postremo Paullus*, usque ad hæc verba *et cohortes peditum suis quæque ordinibus*, præcedere debet. Subjungenda postea τὰ *Summam omnis captivi auri argenti . . . bellare cum Romanis cœpit.* Unde transiliemus ad hæc verba *Pediti in singulos.*

2 *Et P. Scipio*] Prænomen adjecit Sigonius.

3 *Dati centeni*] Deest vox *denarii.* Centeni denarii sunt unciæ nostrates duodecim cum semuncia. In iis quæ sequuntur, assentimur Gronovio et Mureto reponentibus, *alterum tantum pediti daturum fuisse credunt, et pro rata aliis*: id est, ducenos pediti, quadringenos centurioni, sexcentenos equiti. Cum iisdem quoque legimus *hac ipsa summa pronunciata.* Cicero pro Cluent. n. 78. *suppressam esse ab eo pecuniam, quam pro reo pronunciasset.*

4 *Et quod duo fulmina*] Merito emendat Gronovius: *et quæ duo fulmina.*

culo vobis nunc triumphus meus, nunc funera liberorum meorum fuerint; tamen paucis, quæso, sinatis me cum publica felicitate comparare eo, quo debeo, animo privatam meam fortunam. Profectus ex Italia, classem a Brundisio sole orto solvi; nona diei hora cum omnibus meis navibus Corcyram tenui. Inde quinto die Delphis Apollini pro me, exercitibusque, et classibus [5] *lustra sacrificavi. A Delphis quinto die in castra perveni: ubi exercitu accepto, mutatis quibusdam, quæ magna inpedimenta victoriæ erant, progressus, quia inexpugnabilia castra hostium erant, neque cogi pugnare poterat rex, inter præsidia ejus* [6] *saltum ad Petram evasi, et, ad pugnam rege coacto, acie vici: Macedoniam in potestatem populi Romani redegi, et, quod bellum* [7] *per quadriennium quatuor ante me consules ita gesserunt, ut semper successori traderent gravius, id ego quindecim diebus perfeci. Aliarum deinde secundarum rerum velut proventus secutus. civitates omnes Macedoniæ se dediderunt; gaza regia in potestatem venit; rex ipse, tradentibus prope ipsis Diis, in templo Samothracum cum liberis est captus. Mihi quoque ipsi nimia jam fortuna mea videri, eoque suspecta esse. Maris pericula timere cœpi, in tanta pecunia regia in Italiam trajicienda, et victore exercitu transportando. Postquam omnia secundo navium cursu in Italiam pervenerunt, neque erat, quod ultra precarer, illud optavi, ut, quum ex summo retro volvi fortuna consuesset, mutationem ejus domus mea potius, quam respublica, sentiret. Itaque* [8] *defunctam esse fortunam publicam mea tam insigni calamitate spero; quod triumphus meus, velut ad ludibrium casuum humanorum, duobus funeribus liberorum meorum est interpositus. Et, quum ego et Perseus nunc nobilia maxime sortis mortalium exempla spectemur, ille, qui ante se captivos captivus ipse duci liberos vidit, incolumes tamen eos habet: ego, qui de illo triumphavi, ab alterius funere filii* [9] *curru in* ***

U.C. 585.
A.C. 167.

5 *Lustra sacrificavi*] Annotat Sigonius nusquam legi apud scriptores antiquos *lustra sacrificare*. Præterea non potuisse Æmilium lustrare Delphis exercitum, quem nondum acceperat. Itaque legit: *pro me, exercitibusque et classibus vestris sacrificavi*.

6 *Saltum ad Petram*] Locus vocatur *Pythium*, supra l. XLIV. c. 35. Plut. in Æmilio, ubi saltum hunc superatum narrat, utrumque nomen conjungit, τὸν (εἰσέλθὼν) παρὰ τὸ Πύθιον καὶ τὸν Πέτρον.

7 *Per quadriennium quatuor ante me consules*] Mirum videri debet, et supra c. 39. et hic rursus perperam numerari annos quibus bellum adversus Persea gestum est. Constat enim, ut quod maxime, ex præcedentibus libris, tres tantum consules ante Æmilium Paullum per triennium hoc bellum administrasse, nempe P. Licinium Crassum, A. Hostilium Mancinum, Q. Marcium Philippum. Credere vix audemus hunc errorem esse a Livio. Incusemus igitur corruptoris pervicaciam.

8 * *Defunctam esse fortunam publicam*] Liberam et immunem factam esse fortunam publicam ab omni malorum metu ac periculo, per meam calamitatem; in meam scilicet domum verso quidquid calamitatis, in compensationem nimis lætarum rerum, impendere Reipublicæ poterat.

9 *Curru in Capitolium, ex Capitolio*

U. C. 585. A. C. 167.

ex Capitolio prope[8] *jam exspirantem veni: neque ex tanta stirpe liberûm superest, qui L. Æmilii Paulli nomen ferat. Duos enim, tamquam ex magna progenie liberorum in adoptionem datos, Cornelia et Fabia gens habent; Paulli in domo præter se, nemo superest. Sed hanc cladem domus meæ vestra felicitas et secunda fortuna publica consolatur.*

XLII. Hæc, tanto dicta animo, magis confudere audientium animos, quam si miserabiliter orbitatem suam deflendo locutus esset. Cn. Octavius Kalendis Decembribus de rege Perseo navalem triumphum egit. Is triumphus sine captivis fuit, sine spoliis. Dedit sociis navalibus in singulos [10]denarios septuagenos quinos; gubernatoribus, qui in navibus fuerant, duplex; [11]magistris navium quadruplex. Senatus deinde habitus est. Patres censuerunt, ut Q. Cassius Persea regem cum Alexandro filio Albam in custodiam duceret; comites, pecuniam, argentum, instrumentum quod haberet. Bitis, regis Thracum filius, cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Ceteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit. Paucos post dies quam hæc acta, legati ab Cotye rege Thracum venerunt pecuniam ad redimendum filium aliosque obsides adportantes. Eis, in senatum introductis, et [12]id ipsum argumenti prætendentibus orationis, non sua voluntate Cotyn bello juvisse Persea, quod obsides dare coactus esset, orantibusque, ut eos pretio, quantum ipsi statuissent Patres, redimi paterentur, responsum ex auctoritate senatus est: *Populum Romanum meminisse amicitiæ, quæ cum Cotye, majoribusque ejus, et gente Thracum fuisset. Obsides datos crimen, non criminis defensionem, esse: quum Thracum genti ne quietis quidem Perseus, nedum bello Romano occupatus, timendus fuerit. Ceterum, etsi Cotys Persei gratiam prætulisset amicitiæ populi Romani, magis, quid se dignum esset, quam quid merito ejus fieri posset, æstimaturum: filium atque obsides ei remissurum. Beneficia gratuita esse populi Romani: pretium eorum malle relinquere in accipientium animis, quam præsens exigere.* Legati nominati, T. Quinctius Flamininus, C. Licinius Nerva, M. Caninius Rebilus, qui obsides in Thraciam reducerent: et Thracibus munera data in singu-

Triumphus navalis Cn. Octavii.

Perseus Albam missus.

8 *curru ex Capitolio ad alterum prope etc.* Gron. *curru in* [Capitolium] *ex Capitolio* [ad alterum] *prope etc.* Crev.

ad alterum prope jam exspirantem] Unicum exemplar habuit *currum ex Capitolio prope jam exspirantem.* Correxit et supplevit Ursinus.

10 *Denarios septuagenos quinos*] Uncias argenti 9. *grossos*, ut vocant, 3.

11 *Magistris navium*] Vid. not. 39. ad l. XLIII. c. 8.

12 *Id ipsum argumenti prætendentibus orationis*] Lege cum Gronovio *orationi.* Quum dicerent Cotyn non sua voluntate juvisse Persea, idipsum argumenti prætendebant orationi, sive eo ipso argumento fidem facere conabantur orationi suæ, quod obsides dare coactus esset.

los [13] binûm millium æris. Bitis, cum ceteris obsidibus a Carseolis arcessitus, ad patrem cum legatis missus. Naves regiæ, captæ de Macedonibus [14] inusitatæ ante magnitudinis, in campo Martio subductæ sunt. U. C. 585. A. C. 167.

XLIII. Hærente adhuc, non in animis modo, sed pene in oculis, memoria Macedonici triumphi, L. Anicius [15] Quirinalibus triumphavit de rege Gentio Illyriisque. Similia omnia magis visa hominibus, quam paria. minor ipse imperator, et nobilitate Anicius cum Æmilio, et jure imperii prætor cum consule conlatus: non Gentius Perseo, non Illyrii Macedonibus, non spolia spoliis, [16] non pecunia pecuniæ, non dona donis comparari poterant. Itaque sicut præfulgebat huic triumphus recens; ita adparebat ipsum per se intuentibus nequaquam esse contemnendum. Perdomuerat intra paucos dies, terra marique ferocem, locisque munitis fretam, gentem Illyriorum: regem regiæque omnes stirpis ceperat: [17] transtulit in triumphum multa militaria signa, spoliaque alia, et supellectilem regiam: [18] auri pondo [h] viginti et septem, argenti decem et novem pondo: [19] denariûm tria millia, et [20] centum viginti millia Illyrii argenti. Ante currum ducti Gentius rex cum conjuge et liberis, et Caravantius frater regis, et aliquot nobiles Illyrii. De præda militibus in singulos [21] quadragenos quinos denarios, duplex centurioni, triplex equiti, sociis nominis Latini quantum civibus, et sociis navalibus dedit quantum militibus. Lætior hunc triumphum est secutus miles, multisque dux ipse carminibus celebratus. [22] sestertiûm ducenties ex ea præda redactum esse, auctor est Antias, præter aurum ar- L. Anicii triumphus.

[h] *pondo* del. Gron. Crev.

13 *Binûm millium æris*] Marcarum argenti nostratium 3. unciæ 1.

14 *Inusitatæ ante magnitudinis*] Sive vulgatam lectionem sequare, sive cum Gronovio emendes *invisitatæ*, utique intelligendum est, Romanis. Nam notæ sunt, nec ignorare eas potuit Livius, Hieronis * navis quæ viginti ordinibus remorum ageretur; Ptolemæi Philadelphi duæ, quæ triginta remorum ordinibus; Philopatoris, quæ quadraginta: de quibus Athenæus l. V.

15 *Quirinalibus*] Quirinalia celebrabantur Februario mense, a. d. XIII. Kal. Martias, in honorem Quirini, seu Romuli. Vid. Festum in voce *Quirinalia*, et Ovid. l. II. Fast.

16 *Non pecunia pecuniæ*] Emendatio Sigonii. Vetus lectio fuit: *non pecunia Macedonicæ*.

17 *Transtulit in triumphum*] Lege cum Gronovio *in triumpho*: sic enim semper Livius, et Grammaticæ ratio postulat.

18 *Auri viginti et septem . . pondo*] Marcas nostrates 42. semuncias 3. *Argenti decem et novem*. Marcas 29. uncias 5. semunciam 1. Merito observat Gronovius hanc summam perexiguam esse, et aliquid fortasse vitii esse in numeris.

19 *Denariûm tria millia*] Marcas argenti 46. uncias 7.

20 *Centum viginti millia Illyrii argenti*] Non abs re suspicatur Dujatius hic designari Victoriatos, quos ex Illyrico primum advectos esse memorat Plinius, l. XXXIII. c. 3. Victoriatus autem erat quinarius, sive dimidia pars denarii. Itaque centum viginti millia Victoriatorum efficiunt marcas argenti 937. uncias 4.

21 *Quadragenos quinos denarios*] Uncias argenti 5. *grossos*, ut vocant, 5.

22 *Sestertiûm ducenties*] Libras argenti Romanas 50000. marcas Parisienses 78125.

U. C. 585. A. C. 167.

gentumque, quod in ærarium sit latum: quod quia unde redigi potuerit, non adparebat, auctorem pro re posui. Rex Gentius cum liberis, et conjuge, et fratre Spoletium in custodiam ex senatusconsulto ductus, ceteri captivi Romæ in carcerem conjecti: recusantibusque custodiam Spoletinis, [23] Igiturvium reges traducti. Reliquum ex Illyrico prædæ ducenti viginti lembi erant; de Gentio rege captos eos Corcyræis[i], et Apolloniatibus, et Dyrrachinis Q. Cassius ex senatusconsulto tribuit.

Gentius cum suis Spoletium missus, tum Iguvium.

XLIV. Consules eo anno, agro tantum Ligurum populato, [24] quum hostes exercitus numquam eduxissent, nulla re memorabili gesta, Romam ad magistratus subrogandos redierunt; et primo comitiali die consules crearunt M. Claudium Marcellum, C. Sulpicium Gallum. Deinde prætores postero die L. Julium[k], L. Appuleium Saturninum, A. Licinium Nervam, P. Rutilium Calvum, P. Quinctilium Varum, M. Fonteium. His prætoribus duæ urbanæ provinciæ sunt decretæ, duæ Hispaniæ, Sicilia ac[l] Sardinia. Intercalatum eo anno: postridie Terminalia [25] intercalares fuerunt. Augur eo anno mortuus est C. Claudius: in ejus locum augures legerunt T. Quinctium Flamininum. et flamen Quirinalis mortuus [26] Q. Fabius Pictor. Eo anno rex Prusias venit Romam cum filio Nicomede. Is, magno comitatu urbem ingressus, ad forum a porta tribunalque Q. Cassii prætoris perrexit: concursuque undique facto, *Deos, qui urbem Romam incolerent, senatumque et populum Romanum salutatum se* dixit *venisse: et gratulatum, quod Persea Gentiumque reges vicissent; Macedonibusque et Illyriis in ditionem redactis, auxissent imperium.* Quum prætor senatum ei, si velit, eo die daturum dixisset; biduum petiit, quo templa Deûm urbemque et hospites amicosque viseret. Datus, qui circumduceret eum, L. Cornelius Scipio quæstor; qui et Capuam ei obviam missus fuerat: et ædes, quæ ipsum comitesque ejus benigne reciperent, conductæ. Tertio post die senatum adit; gratulatus victoriam est; merita sua in eo bello commemoravit; petiit, *Ut votum sibi solvere Romæ in Capitolio decem majores hostias, et Præneste unam Fortunæ, liceret. ea vota pro victoria populi Romani esse. Et ut societas secum renovaretur; agerque sibi, de rege Antiocho captus, quem nulli datum a populo Romano Galli possiderent*

Comitia.

Prusias rex Romam venit.

[i] *Corcyreis* Gron. Crev. [k] *Julium* l. *Livium* Eæd. [l] *et* Eæd.

23 *Igiturvium*] Recte Sigonius et Turnebus *Iguvium*. *Reges* intellige Gentium cum uxore et omni stirpe.

24 *Quum hostes exercitus nunquam eduxissent*] Magis placeret *nusquam*.

25 *Intercalares*] Vel excidit, vel intelligenda est vox *Kalendæ*. Vid. supra l. XLIII. c. 11.

26 *Q. Fabius Pictor*] Huic prænomen dabatur in vetere exemplari M. Mutavit Sigonius ex l. XXXVII. c. 47.

daretur. Filium postremo Nicomedem senatui commendavit. Omnium, qui in Macedonia imperatores fuerant, favore est adjutus. Itaque cetera, quæ petebat, concessa: de agro responsum est, *Legatos ad rem inspiciendam missuros. Si ager populi Romani fuisset, nec cuiquam datus esset, dignissimum eo dono Prusiam habituros esse. Si autem Antiochi non fuisset, eo ne populi quidem Romani factum adparere: aut, si datus Gallis esset, ignoscere Prusiam debere, si ex nullius injuria quidquam ei datum vellet populus Romanus.* [27] *Ne quod detur quidem, gratum esse donum posse, quod eum, qui det, ubi vellet, ablaturum esse sciat. Facile Nicomedis commendationem accipere. Quanta cura regum amicorum liberos tueatur populus Romanus, documento Ptolemæum Ægypti regem esse.* Cum hoc responso Prusias est dimissus. [28] Munera ei ex *[m] sestertiis jussa dari, et vasorum argenteorum [29] pondo quinquaginta. et filio regis Nicomedi ex ea summa munera dari censuerunt, ex qua Masgabæ filio regis Masinissæ data essent: et ut victimæ aliaque, quæ ad sacrificium pertinerent, seu Romæ, seu Præneste inmolare vellet, regi ex publico, sicut magistratibus Romanis, præberentur: et ut ex classe, quæ Brundisii esset, naves longæ viginti adsignarentur, quibus uteretur, donec [30] ad classem, dono datam ei, rex pervenisset. L. Cornelius Scipio ne ab eo abscederet, sumtumque ipsi et comitibus præberet, donec navem [31] conscendisset[n]. [32] Mire lætum et ea benignitate in se populi Romani regem fuisse, ferunt: [33] munera sibi ipsum emisse; filium jussisse donum populi Romani accipere. Hæc de Prusia nostri scriptores. [34] Polybius, eum regem indignum majestate nominis tanti, tradit; pileatum, capite raso, [35] obviam ire legatis solitum, libertumque se populi Romani ferre; et ideo insignia ordinis ejus gerere. Romæ

U. C. 585. A. C. 167.

Prusiæ vilitas.

[m] asteriscum ponit post *sestertiis* Gron. Nota lacunæ nulla est in Crev.
[n] *conscendissent* Gron.

27 *Ne quod detur quidem*] Fortasse, inquit Muretus, *quoi*, id est, cui. Sed obsoleta voce usum esse Livium non facile credimus. Reponamus *cui*.

28 *Munera ei ex sestertiis jussa dari*] Excidit numerus sestertiorum.

29 *Pondo quinquaginta*] Marcæ nostrates 78. uncia I.

30 *Ad classem dono datam ei*] Discimus ex hoc loco, si modo sanus est, datam esse a Romanis Prusiæ regi classem, ex navibus nimirum Perseo ereptis.

31 *Conscendisset*] Nempe Prusias. Gronovianæ editiones habent *conscendissent*, contra primæ editionis fidem.

32 *Mire lætum et ea benignitate . . . regem*] Manutius mutat particulam *et* in *ex*. Nos eam omnino suppressam maluerimus.

33 *Munera sibi ipsum emisse*] Lege cum Gronovio *renuisse*.

34 *Polybius eum regem*] Eum vid. Legat. 97.

35 * *Obviam ire legatis solitum*] Hæc intelligenda sunt de legatis olim ad eum missis, non de eo tempore quo ipse Romam venit. Ideo dicitur Prusias *solitus* obviam in legatis: quod verbi quadrare non potest in unum aliquod factum, sed plura denotat. Nec vero legati ad Prusiam venientem Romam missi sunt, sed L. Cornelius Scipio quæstor, ut supra memoratum est.

U. C. 585. A. C. 167. quoque, quum veniret in curiam, submisisse se, et osculo limen curiæ contigisse: et *Deos servatores suos* senatum adpellasse, aliamque orationem, non tam honorificam audientibus, quam sibi deformem, habuisse. Moratus circa urbem triginta haud amplius dies in regnum est [36] profectus.

36 *Profectus*] Lambecius, citante Hearnio, observat in Biblioth. Vindobon. l. II. p. 947. post vocem *profectus* sequi in unico exemplari *actumque*, aliosque etiam duos versus olim fuisse, qui nunc prorsus evanuerunt, nec ulla ratione ex eorum vestigiis certi quidquam posse colligi. Totum denique illud volumen claudi monet subscriptione hac, quæ ob vetustatem pene oculos fugit:

TITI LIVI
AB URBE CONDITA
LIB. XLV. EXP.
INC. LIB. XLVI. FELICITER.

EPITOMÆ

LIBRORUM

DEPERDITORUM.

EPITOME LIBRI XLVI.

MENES rem Romam venit: qui, quia Macedonico bello ium egerat, ne aut hostis judicatus videretur, si exclusus , aut liberatus crimine, si admitteretur; in commune lex est, ne cui regi Romam venire liceret. Claudius Marcel- consul Alpinos Gallos, C. Sulpicius Gallus consul Ligures git. Legati Prusiæ regis conquesti sunt de Eumene, l fines suos popularetur: dixeruntque, eum conspirasse cum iocho contra populum Romanum. Societas cum Rhodiis ecantibus juncta est. Lustrum a censoribus conditum est. sa sunt civium capita trecenta viginti septem millia viginti Princeps senatus lectus M. Æmilius Lepidus. [1] Ptole- s Ægypti rex, pulsus regno a minore fratre, missis ad eum tis, restitutus est. Ariarathe Cappadociæ rege mortuo, s ejus Ariarathes regnum accepit, et amicitiam cum populo ano per legatos renovavit. Res præterea adversus Ligu- et Corsos, et Lusitanos, vario eventu gestas, et motus Syriæ, tuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodum uerat, continet. Hunc Antiochum puerum [2] cum Lysia re Demetrius, Seleuci filius, qui Romæ obses fuerat, [3] clam, non dimittebatur a Romanis, interemit; et ipse in reg- receptus. L. Æmilio Paullo, qui Persen vicerat, mortuo, a ejus abstinentia fuit, ut, quum ex Hispania et ex Mace- a inmensas opes retulisset, vix ex auctione ejus redactum unde uxori ejus dos solveretur. Pomptinæ paludes a Cor- Cethego consule, cui ea provincia evenerat, siccatæ, ager- ex iis factus.

XLVII.

n. Tremellio tribuno plebis multa dicta est, quod cum M. ilio Lepido pontifice maximo injuriose contenderat: [4] sacro-

Ptolemæus rex Ægypti, pulsus a minore fratre] Sic tres Grono- ISS. et Campanus. Vulgo *Ptole- s Ægyptiorum rex, a minore fra- regno pulsus.* Sed *τὸ Ἀιγυπτιορυm* s emphatice dictum videtur, nec ex more solito loquendi. Vocula ne redundat.

Cum Lysia tutore] Addidit Sigo- vocem *ejus*, quam deinde recepe- runt editores. Sed illa facile intelligi- tur: quumque nec apud Andream, nec apud Campanum, nec in libris ab Hearnio inspectis exstet, delenda visa est.

3 *Clam, quia non dimittebatur a Romanis*] Adde hic *elapsus.*

4 *Sacrorumque magistratuum jus potentius fuit*] Observat Gronovius, nusquam pontificatum dici *magistra-*

rumque, quam magistratuum, jus potentius fuit. Lex de ambitu lata. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta triginta octo millia, trecenta quatuordecim. Princeps senatus lectus Æmilius Lepidus. Inter Ptolemæos fratres, qui dissidebant, fœdus ictum, ut alter in Ægypto, alter Cyrenis regnaret. Ariarathes, Cappadociæ rex, consilio Demetrii, regis Syriæ, et viribus pulsus regno, a senatu restitutus est. Missi a senatu, qui inter Masinissam et Karthaginienses de agro judicarent. C. Marcius consul adversus Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnavit; cum quibus bello confligendi caussa fuit, quod Illyrios, populi Romani socios, vastaverant; eamdemque gentem Cornelius Nasica consul domuit. Q. Opimius consul Transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida, Antipolim et Nicæam, vastabant, subegit. Præterea res in Hispania a compluribus parum prospere gestas continet. [5] Consules anno quingentesimo nonagesimo octavo ab urbe condita magistratum, peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis, inire cœperunt. Mutandi comitia caussa fuit, quod Hispani rebellabant. Legati, ad disceptandum inter Masinissam et Karthaginienses missi, renunciaverunt, vim navalis materiæ se Karthagine deprehendisse. Aliquot prætores, a provinciis avaritiæ nomine accusati, damnati sunt.

XLVIII.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta viginti quatuor millia. Semina tertii belli Punici referuntur. Quum in finibus Karthaginiensium ingens Numidarum exercitus, duce [6] Ariobarzane, Syphacis nepote, diceretur esse, M. Porcius Cato suasit, ut Karthaginiensibus, quum Ariobarzanem, specie contra Masinissam regem, sed revera contra Romanos, adcitum in finibus haberent, bellum indiceretur. Contradicente P. Cornelio Nasica, placuit, legatos mitti Karthaginem, qui specularentur, quid ageretur. Castigato senatu Karthaginiensium, quod contra fœdus et exercitum et navales materias haberent, pacem inter eos et Masinissam

tum sacrum. Itaque quum vett. editiones et aliquot scripti præferant *Sacrorum quoque magistratuum,* emendat ille *Sacrorumque quam magistratuum jus potentius fuit:* atque ita edendum curavit. Nobis probabilis licet conjectura non ideo tamen in contextum admittenda visa est.

5 *Consules anno* 598. *ab u. c. magistratum, peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis, inire cœperunt*] Illum annum numeramus quingentesimum nonagesimum nonum ab u. c. Cetera quæ hic leguntur partim obscura, partim etiam falsa sunt. Vid infra c. 36.

6 *Archobarzane duce*] Aliquot MSS a Gronovio inspecti habent *Ariobarzane.*

facere voluerunt, Masinissa agro, de quo lis erat, cedente. sed Gisgo, Hamilcaris filius, homo seditiosus, qui tunc in magistratu erat, quum senatus pariturum se judicio legatis dixisset, ita bellum adversus Romanos suadendo concitavit, ut legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit. Id nunciantes, infestum jam senatum Karthaginiensibus, infestiorem fecerunt. M. Porcius Cato filii, in prætura mortui, funus tenuissimo, ut valuit, ([7]*nam pauper erat*) *sumtu fecit. Andriscus, qui se Persei filium, regis quondam Macedoniæ, ingenti adseveratione mentiretur, Romam missus. M. Æmilius Lepidus, qui princeps senatus* [8]*ab sextis jam censoribus erat lectus, antequam exspiraret, præcepit filiis, lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent; in reliquum funus* [9]*ne plus, quam æris denos, consumerent: imaginum specie, non sumtibus, nobilitari magnorum virorum funera solere. De veneficiis quæsitum. Publicia et Licinia, nobiles feminæ, quæ* [10]*viros suos consulares necasse insimulabantur, cognita caussa,* [11]*quum prætori pro se vades dedissent, cognatorum decreto necatæ sunt.* [12]*Gulussa, Masinissæ filius, denunciavit, Karthagine delectus agi, classem comparari, et haud dubium bellum strui. Quum Cato suaderet, ut iis bellum indiceretur, P. Cornelio Nasica dicente, nihil temere faciundum, placuit, decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Postumius Albinus consules, quum delectum severe agerent, nec quemquam gratia dimitterent, ab tribunis plebis, qui pro amicis suis vacationem impetrare non poterant, in carcerem conjecti sunt. Quum Hispaniense bellum, parum prospere aliquoties gestum, ita confudisset civitatem Romanam, ut ne ii quidem invenirentur, qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Æmilianus*

7 *Nam pauper erat*] Haud ita Plutarchus, qui Catonem colligendæ pecuniæ studiosissimum fuisse affirmat, nec male ei rem cessisse. Eum vide in Cat. Maj.

8 *Ab sextis jam censoribus*] Addidit Sigonius particulam *ab:* non sine causa, ut putamus.

9 *Ne plus quam æris denos*] Summa ridicule exigua. Deni enim æris, etiamsi grave æs intelligatur, æquant denarium unum, sive unum argenti *grossum.* Unus MS. teste Gronovio habet *æris decus,* unde facillimum est id efficere quod Pithœus, memorante Hearnio, conjecerat, *æris decies:* nisi quod tunc summa non contemnenda exsurgit. Decies enim centena assium millia, etiamsi intelligantur vulgares tum asses, qui senideni in denarium contribuebantur, æquant denarios 62500. marcas argenti nostrates 976. uncias 4. semunciam 1. Imitemur cautam Freinshemii modestiam, qui hoc libro, c. 10. nihil definiens, *modicam pecuniam* in funus suum consumi jussisse Lepidum dicit.

10 *Viros suos consulares*] Addidit Gronovius e tribus MSS. vocem *consulares.* Sane alter ex iis L. Postumius consulatum gesserat. Sed Claudium Asellum fuisse consulem non exstat memoria. Vid. c. 10. hujus libri.

11 *Quum prætori prædes vadesque dedissent*] Observat Gronovius nihil hic prædibus opus esse. Prædes enim in lite nummaria, vades in re capitali dabantur. Itaque ex variis depravatarum in MSS. lectionum vestigiis varias emendationes tentat: quarum hæc maxime perspicui sensus esse nobis videtur: *quum a prætore die dicta vades dedissent.* Sed illa longius abit a MSS.

12 *Gulussa . . . denunciavit, Carthagine delectus agi*] Melius Pithœus apud Hearnium *nunciavit.*

processit, et excepturum se militiæ genus, quodcumque imperatum esset, professus est. quo exemplo omnes ad studium militandi concitavit. [13] *L. Lucullus consul, qui M. Claudio Marcello successerat, quum lacessere omnes Celtiberiæ populi viderentur, Vaccæos, et Cantabros, et alias adhuc incognitas nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus, L. Paulli filius, Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum tribunus militum occidit: et* [14] *in obpugnatione Intercatiæ urbis, majus etiam periculum adiit. nam murum primus transcendit. Ser. Sulpicius Galba prætor male adversus Lusitanos pugnavit. Quum legati ex Africa cum oratoribus Karthaginiensium, et Gulussa Masinissæ filio, redissent, dicerentque, et exercitum se et classem Karthagine deprehendisse,* [15] *perrogari sententias placuit. Catone et aliis principibus senatui suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exercitus, quod P. Cornelius Nasica dicebat, nondum sibi justam caussam belli videri,* [16] *placuit, ut bello abstinerent, si Karthaginienses classem exussissent, et exercitum dimisissent: sin minus, proximi consules de Punico bello referrent. Quum locatum a censoribus theatrum exstrueretur; P. Cornelio Nasica auctore, tamquam inutile et nociturum publicis moribus, ex senatusconsulto destructum est, populusque aliquamdiu stans ludos spectavit. Karthaginienses quum adversus fœdus bellum Masinissæ intulissent, victi ab eo,* [17] *anno*

13 *L. Lucullus consul,* (*Claudius Marcellus, cui successerat*] Longe aliter hanc periodum formavit Gronovius, partim ex duobus MSS. partim ex conjectura. Sic ille edidit: *L. Lucullus consul, cum Claudio Marcello, cui successerat, quum lacessere omnes Celtiberiæ populi viderentur, Vaccæos* etc. sed hæc parum sane placent: et hoc orationis membrum, *quum lacessere omnes Celtiberiæ populi viderentur,* impediti, et obscuri, et mutili sensus esse videtur. Nos repræsentamus vett. editorum et plerorumque MSS. lectionem, nisi quod admoniti a Sigonio, *τὸ cui* male collocatum in suum, ut putamus, ordinem revocavimus. Habent enim antiqui editi, *L. Lucullus consul, cui Claudius Marcellus successerat,* quod est contra historiæ fidem, quum Marcello Lucullus successerit. Sensus clarus est quomodo legimus: Quum Claudius Marcellus Luculli decessor omnes Celtiberiæ populos pacasse videretur, Lucullus in ignotas adhuc regiones penetravit, et, deficiente in Celtiberis belli materia, Vaccæos, Cantabros subegit.

14 *In oppugnatione Intercatiæ*] Vett. editi et plerique scripti habent *in expugnatione.* Quis mutaverit, incertum. Ceterum quum Intercatia non expugnata fuerit, sed per deditionem venerit in Romanorum potestatem, (vid. c. 23. hujus libri) *τὸ oppugnatione,* quod in Gronovianis editionibus reperimus, loco movendum esse non visum est. *Intercatiæ* est ab feli ci Sigonii conjectura, quum prius legeretur *captæ;* in quibusdam autem scriptis *interceptæ.*

15 *Perrogari sententias placuit*] hunc quoque locum Sigonius levi emendatione adjuvit. Scripti et vet. editi: *prorogari sententiam placuit.*

16 *Placuit, ut bello abstineretur*] Vulgati, *ut bello desisteretur,* quod nonnus proprium est; nondum etenim bellum cœptum erat. Apud Andrem et in uno e MSS. Hearnii exstat *abstineretur:* aliquot scripti habent *abstinerent.*

17 *Annos habente nonaginta duos*] Legendum potius videtur *duodenonaginta,* quomodo Freinshemius habet c. 32. hujus libri. Etenim Polyb. apud Valesium tradit Masinissam, quum cessit, annos tantum nonaginta nat

habente nonaginta duos, et sine pulpamine mandere et gustare panem tantum solito, insuper [18] *Romanum bellum meruerunt.*

XLIX.

Tertii Punici belli initium [19] *altero et sexcentesimo anno ab urbe condita, intra quintum annum, quam erat cœptum, consummati. Inter M. Porcium Catonem et Scipionem Nasicam, quorum alter sapientissimus vir in civitate habebatur,* [20] *alter etiam vir optimus a senatu judicatus erat, diversis certatum sententiis est; Catone suadente bellum, et ut tolleretur deleretur que Karthago;* [21] *Nasica dissuadente. Placuit tamen, quod contra fœdus naves haberent, quod exercitum extra fines duxissent, quod socio populi Romani et amico Masinissæ arma intulissent, quod filium ejus Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepissent, bellum iis indici. Priusquam ullæ copiæ in naves inponerentur, Uticenses legati Romam venerunt, se suaque omnia dedentes. Ea legatio, veluti omen, grata Patribus, acerba Karthaginiensibus fuit. Diti patri ludi* [22] *ad Terentum, ex præcepto librorum Sibyllinorum, facti:* [23] *qui anno centesimo,*

fuisse: consentitque Epitome libri Liviani L. in qua *Masinissa major nonaginta annis decessisse* memoratur. Hæc enim loquendi forma satis indicat non multum excessisse eum annos nonaginta. Si autem tunc quum Carthaginienses devicit duos et nonaginta habuisset, mortuus fuisset major annis quatuor et nonaginta. Ceterum sic quoque Masinissa multo nunc provectior annis erit, quam esse debuit si statetur iis quæ de ejus ætate leguntur in Livio, lib. XXIV. c. 49. Ibi enim dicitur septem et decem annos natus, anno u. c. 539. Unde sequeretur eum tunc quum pugnam illam cum Carthaginiensibus pugnavit de qua agit hæc epitome, anno nimirum u. c. 602. annum ætatis tantummodo primum et octogesimum egisse. Nisi si quis error irrepsit in notas numerorum apud Livium.

18 *Romanum bellum meruerunt*] Hic auctior est Pithœi codex, et, memorante Hearnio, addit: *Motus præterea Syriæ, et bella inter reges gesta referuntur: inter quos motus Demetrius Syriæ rex occisus erat.*

19 *Altero et sexcentesimo anno ab u. c.*] Repetit initium tertii Punici belli auctor hujus epitomes ab consulatu T. Quintii, et M'. Acilii, ut patet ex eo quod bellum hoc intra quintum annum consummatum fuisse dicat. Finitum est autem Cn. Cornelio, L. Mummio Coss. qui quinto abhinc anno magistratum gesturi sunt. Porro *sexcentesimus alter* intelligi debet, ut probavimus in nota ad Liv. l. III. c. 33. *sexcentesimus primus.* Hunc tamen annum, quo T. Quintius et M'. Acilius consules sunt, numeramus sexcentesimum secundum, ne a Dodwelli rationibus, quem sequimur in chronologia ducem, discrepemus.

20 *Alter etiam vir optimus a senatu judicatus erat*] Imo hic Scipio Nasica, Corculum dictus, bis consul, et pontifex maximus, ejus qui ab senatu vir optimus judicatus erat, filius fuit. Id constat ex omni horum temporum historia. Nec audiendus Auctor de Vir. illust. qui consentiens huic epitomæ ex duobus unum facit.

21 *Nasica dissuadente: placuit tamen*] Distingue et scribe, *Nasica dissuadente. Placuit tandem.* GRONOVIUS.

22 *Ad Terentum*] Olim *ad Tarentum.* Correxit Sigonius ex Festo, et Val. Max. l. II. c. 4.

23 *Qui anno centesimo, primo bello Punico*] Hic multum variant scripti et editi. Gronovius legit proxime ad MSS. suorum fidem, vel *qui anno centesimo ante*, vel *qui ante annum centesimum, primo Punico bello.*

primo Punico bello, quingentesimo et altero anno ab urbe condita, facti erant. Legati triginta Romam venerunt, per quos se Karthaginienses dedebant. Catonis sententia pervicit, ut in decreto perstaretur, et ut consules quam primum ad bellum proficiscerentur. Qui ubi in Africam transierunt, acceptis, quos imperaverant, trecentis obsidibus, et [24] *armis, omnibusque instrumentis bellicis, si qua Karthagine erant; tunc, quum ex auctoritate Patrum juberent, ut in alium locum, dum a mari decem millia passuum,* [25] *ne minus, remotum,* [26] *oppidum facerent, indignitate rei ad bellandum Karthaginienses compulerunt. Obsideri obpugnarique cœpta est Karthago ab L. Marcio, M'. Manilio consulibus. In qua obpugnatione quum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere* [27] *cum cohortibus suis inrupissent, et ab oppidanis graviter cæderentur, a Scipione Africano expliciti sunt: per quem et castellum Romanorum,* [28] *quod nocte expugnabant, paucis equitibus juvantibus, liberatum est: castrorumque, quæ Karthaginienses, omnibus copiis ab urbe pariter egressi, obpugnabant, liberatorum is ipse præcipuam gloriam tulit. Præterea, quum ab irrita obpugnatione Karthaginis consul (alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum ducere adversus Hasdrubalem, qui* [29] *cum altera manu iniquum saltum insederat, suasit primo consuli, ne tam iniquo loco confligeret victus deinde complurium, qui et prudentiæ ejus et virtuti invidebant, sententiis, et ipse saltum ingressus est. quumque, sicut prædixerat, fusus fugatusque esset Romanus exercitus, et duæ cohortes ab hoste obsiderentur, cum exiguis equitum turmis in saltum reversus, liberavit eas, et incolumes reduxit. Quam virtutem ejus et Cato, vir promtioris ad vituperandum linguæ, in senatu sic prosecutus est, ut diceret,* [30] reliquos, qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere; [31] *et populus Romanus eo favore complexus, ut comitiis plurimæ eum tribus* [32] *consulem scriberent, quum hoc per ætatem non liceret.*

24 *Armis, omnibusque instrumentis belli*] Hæc est veterum editorum lectio et aliquot scriptorum. Campanus pro *belli* habet *bellicis*, quod potest admitti. Vulgati: *armis omnibus instrumentisque belli.*

25 *Ne minus*] Sic conjecerat Gronovius, quomodo plane Pithœus annotavit in variantibus lectionibus ad hunc locum, teste Hearnio. Vulgo *nec minus:* quod præ illo altero sordere debet cuivis bono Latinitatis æstimatori.

26 *Oppidum facerent*] Recte videtur emendare Gronovius *transferrent.*

27 *Cum cohortibus*] Pithœus apud Hearnium et Campanus addunt *suis.*

28 *Quod nocte expugnabant*] Id est, expugnaturi videbantur; parum aberat, quin expugnarent. Exprimimus hic Andreæ, Campani, et MSS. codicum Gronovii lectionem. Vulgo *oppugnabant.*

29 *Cum altera manu*] Pithœus apud Hearnium, *cum ampla manu:* quod amplectendum videtur.

30 *Reliquos . . umbras militare*] Versus Homericus, Od. X. v. 495. Οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν. Ideo censet Gronovius, legendum *umbras volitare:* hoc enim est ἀΐσσειν.

31 *Et populus Romanus eo favore illum complexus est*] Retinuimus τὸ *est*, quod etsi abest a quibusdam scriptis Gronovio inspectis, necessarium tamen videtur ad fulciendam orationem.

32 *Consulem scriberent*] Suspicatur

uum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgasset, Lusitani,[33] *qui, in fidem populi Romani dediti, a Ser. Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato errime suasit. exstat oratio in Annalibus ejus inclusa. Q. ulvius Nobilior,*[35] *et sæpe ab eo in senatu laceratus, respondit o Galba. ipse quoque Galba, quum se damnari videret, com- exus duos filios prætextatos,*[36] *et Sulpicii Galli filium, cujus tor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio anti- aretur. exstant tres orationes ejus:*[37] *duæ adversus Libonem ibunum plebis rogationemque ejus, habitæ de Lusitanis: una ntra L. Cornelium Celhegum, in qua Lusitanos propter sese stra habentes cæsos fatetur, quod compertum habuerit, equo que homine suo ritu inmolatis, per speciem pacis adoriri ex- citum suum in animo habuisse. Andriscus quidam, ultimæ rtis homo, Persei regis se filium ferens, et mutato nomine hilippus vocatus, quum ab urbe Romana, quo illum Deme- ius Syriæ rex ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profu- sset, multis ad falsam ejus fabulam, velut ad veram, coeunti- us, contracto exercitu, totam Macedoniam aut voluntate inco- ntium, aut armis occupavit. Fabulam autem talem finxerat. x pellice se et Perseo rege ortum, traditum educandum*[38] *Cre- nsi cuidam esse, ut in belli casus, quod ille cum Romanis ge- ret, aliquod velut semen regiæ stirpis exstaret. Perseo de- ortuo, Adramyttei se educatum usque ad duodecimum annum tatis, patrem eum esse credentem, a quo educaretur, ignarum meris fuisse sui. adfecto deinde eo, quum prope ad vitæ finem ltimum esset,*[39] *detectam tandem ibi originem suam, falsæque atri libellum datum, signo Persei regis signatum, quem sibi aderet, quum ad puberem ætatem venisset: obtestationesque*

ronovius *consulem juberent.* Etenim *scriberent* non potest intelligi nisi e suffragiis per tabellam latis. Tunc utem pronuntiabantur suffragia, non cribebantur. Nondum enim lex ulla abellaria erat.

33 *Qui in fidem populi Romani de- liti*] Sic vet. lib. habere testatur Sigo- nius: sic habet et Campanus, nisi quod edidit *in fide.* Haud videmus igitur cur omnes editi recentiores de- derint *populo Romano:* quæ loquendi forma minus usitata est.

34 *In Gallia venissent*] Venumdati essent. Sigonius legi jussit *in Gallia.* Olim *in Galliam.*

35 *Et sæpe ab eo*] Vellemus, *et ipse sæpe ab eo in senatu laceratus.*

36 *Et Sulpicii Galli filium*] Sic Campanus: et eodem alludunt duo MSS. Gronovii. Vulgo *et filium Caii Sulpicii.*

37 *Duæ adversum Libonem . . rogationemque ejus habitæ de Lusitanis*] Gronovius edidit *habitam.* Sed quis unquam dixit *habere rogationem?* Retinuimus *habitæ,* quod exstat in vett. editis, et referri debet ad *orationes.*

38 *Cretensi*] Haud scimus a quo sit orta hæc lectio. Vett. editi *Cirthesæ.* Sigonius ex vet. lib. et Pithœus apud Hearnium *Cretæ se.*

39 *Detectam sibi tandem originem suam*] Quidam editi ante Sigonium carebant τῷ *sibi,* ut et unus MS. Gronovii. Et vero ex iis quæ sequuntur patet Andriscum non dixisse tunc *sibi,* sed falsæ matri detectam originem suam, quæ ei, quum ad puberem ætatem venisset, mysterium illud enuntiaret. Itaque libenter legeremus hic cum Gronovio: *detectam tandem originem suam falsæ matri, et libellum datum.*

ultimas abjectas, ut res in occulto ad id tempus servaretur. puberscenti libellum traditum: in quo relicti sibi duo thesauri a patre dicerentur. tum scientem mulierem subditum se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus: atque obtestatam, ut prius, quam manaret ad Eumenem res, Perseo inimicum, excederet iis locis, ne interficeretur. eo se exterritum, simul sperantem aliquod a Demetrio auxilium, in Syriam se contulisse: atque ibi primum, quis esset, palam expromere ausum.

L.

Thessalia, quum et illam invadere armis atque occupare Pseudophilippus vellet, per legatos Romanorum auxiliis Achæorum defensa est. Prusias rex Bithyniæ, [40] *omniumque humillimorum vitiorum, a Nicomede filio, adjuvante Attalo rege Pergami, occisus est. Habebat alium filium, qui, pro superiore ordine dentium, enatum habuisse unum os continens dicitur. Quum legatos ad pacem inter Nicomedem et Prusiam faciendam Romani misissent, et unus ex iis multis cicatricibus sparsum caput haberet, alter pedibus æger esset, tertius ingenio socordem haberetur; dixit Cato, eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habere. In Syria, quæ eo tempore* [41] *ex stirpe generis Persei, regis Macedonum, inertia socordiaque similem Prusiæ regem habebat, jacente eo* [42] *in ganea et lustris, Ammonius regnabat; per quem et amici omnes regis, et Laodice regina, et Antigonus, Demetrii filius, occisi. Masinissa, Numidiæ rex, major nonaginta annis decessit, vir insignis. Inter cetera opera juvenilia, quæ ad ultimum edidit, adeo, etiam versus in senectam, viguit, ut post sextum et octogesimum annum filium genuerit. Inter tres liberos ejus, maximum natu Micipsam, Gulussam, Mastanabalem, qui etiam Græcis literis eruditus erat, P. Scipio Æmilianus (quum commune eis pater regnum reliquisset, et dividere eos arbitro Scipione jussisset) partes administrandi regni divisit. Item* [43] *Phamææ Himilconi, præ-*

40 *Omniumque humillimorum vitiorum*] Et vir omnibus humillimis vitiis deformis.

41 *Ex stirpe generis Persei regis Macedonum*] Hic agitur de Bala Alexandro, quem nemo ex stirpe Persei fuisse memoravit. Delrius apud Hearnium legit e MS. *stirpe generis parem Macedonum regi, inertia socordiaque similem Prusiæ.* Quæ lectio amplectenda videtur. Regem Macedonum hic intellige Pseudophilippum, qui tum in Macedonia regnabat, et incerti obscuri generis erat itidem ut Alexander.

42 *In ganeo*] Unus e MSS. Gronovii habet *in granea:* unde ille legendum existimat *in ganea*, quod plane exstat apud Andream. Sed parum interest.

43 *Phamææ Himilconis*] Sigonius legi jussit ex Appiano *Phamææ*, quum libri haberent *Phaniæ*. Sed et ex eodem Appiano reponendum esset *Himilconi*. Hunc enim præfectum equitatus Carthaginiensium vocat ille scriptor *Himilconem, cognomine Phamæam.*

fecto equitum Karthaginiensium, viro forti, et cujus præcipua opera Pœni utebantur, persuasit, ut ad Romanos cum equitatu suo transiret. Ex tribus legatis, qui ad Masinissam missi fuerant, [44] *Claudius Marcellus, coorta tempestate, fluctibus obrutus est. Karthaginienses Hasdrubalem, Masinissæ nepotem, quem prætorem habebant, proditionis suspectum, in curia occiderunt: quæ suspicio inde emanavit, quod propinquus esset Gulussæ, Romanorum auxilia juvantis. P. Scipio Æmilianus, quum ædilitatem peteret, consul a populo dictus, quoniam per annos consulem fieri non licebat, cum magno certamine suffragantis plebis, et repugnantibus aliquamdiu Patribus, legibus solutus, et consul creatus est.* [45] *M'. Manilius aliquot urbes circumpositas Karthagini expugnavit. Pseudophilippus in Macedonia, cæso cum exercitu P. Juventio prætore, a Q. Cæcilio victus captusque est, et recepta Macedonia.*

LI.

[46] *Karthago, in circuitu millia viginti tria passuum patens, magno labore obsessa, et per partes capta est; primum a Mancino legato, deinde a Scipione consule, cui extra sortem provincia Africa data erat. Karthaginienses, portu novo (quia vetus obstructus a Scipione erat) facto, et contracta clam exiguo tempore ampla classe, infeliciter navali prœlio pugnaverunt. Hasdrubalis quoque ducis eorum castra, ad Nepherim oppidum loco difficili sita, cum exercitu deleta sunt a Scipione; qui tandem urbem expugnavit septingentesimo anno, quam erat condita. spoliorum major pars Siculis, quibus ablata erant, reddita. Ultimo urbis excidio, quum se Hasdrubal Scipioni dedidisset, uxor ejus, quæ paucis ante diebus de marito impetrare non potuerat, ut ad victorem transfugerent, in medium se flagrantis urbis incendium, duobus cum liberis, ex arce præcipitavit. Scipio exemplo patris sui naturalis Æmilii Paulli, qui Macedoniam vicerat, ludos fecit, transfugasque ac fugitivos bestiis objecit. Belli Achaici semina referuntur hæc: quod legati populi Romani ab Achaicis pulsati sint Corinthi, missi, ut eas civitates, quæ sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent.*

44 *Claudius Marcellus*] Pithœus apud Hearnium, *M. Claudius.*

45 *M'. Manilius*] Hoc debetur Sigonio. Libri omnes mendose, *M. Æmilius.*

46 *Carthago in circuitu viginti tria millia passuum patens*] Recentiores editi et plerique MSS. habent *passus.* Sed meliusvi sum est *passuum,* quod in antiquis editis exstat. Ceterum Freinshemius l. XLIX. c. 38. Strabone auctore, scripsit peninsulam in qua sita Carthago erat, quinque et quadraginta millia passuum habuisse, totamque muro circumdatam fuisse. Sed intelligendum est urbem ipsam non tantum patuisse, suaque peculiaria mœnia habuisse, præter hunc murum, qui totam peninsulam ambiebat.

LII.

Cum Achæis, qui in auxilio Bœotos et Chalcidenses habebant, Q. Cæcilius Metellus [47] *ad Thermopylas bello conflixit: quibus victis, dux eorum Critolaus veneno sibi mortem conscivit — in cujus locum Diæus, Achaici motus primus auctor, ab Achæis dux creatus, ad Isthmon a L. Mummio consule victus est. qui omni Achaia in deditionem accepta, Corinthon ex senatusconsulto diruit, quia ibi legati Romani violati erant. Thebæ quoque et Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ. Ipse L. Mummius* [48] *abstinentissimum virum egit. nec quidquam ex iis opibus ornamentisque, quæ prædives Corinthos habuit, in domum ejus pervenit. Q. Cæcilius Metellus de Andrisco triumphavit; P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus de Karthagine et de Hasdrubale. Viriathus in Hispania primum ex pastore venator, ex venatore latro, mox justi quoque exercitus dux factus, totam Lusitaniam occupavit;* [49] *M. Vetilius prætorem, fuso ejus exercitu, cepit: post quem C. Plautius prætor nihilo felicius rem gessit: tantumque terroris is hostibus intulit, ut adversus eum consulari opus esset et duce, et exercitu. Præterea motus Syriæ, et bella inter reges gesta referuntur. Alexander, homo ignotus et incertæ stirpis, occiso (sicut ante dictum est) Demetrio rege, in Syria regnabat. hunc Demetrius, Demetrii filius, qui a patre quondam ob incertos belli casus ablegatus Gnidon fuerat, contemta socordia inertiaque ejus, adjuvante Ptolemæo Ægypti rege, cujus filiam Cleopatram in matrimonium acceperat, bello interemit. Ptolemæus, in caput graviter vulneratus, inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, exspiravit: atque in locum ejus frater minor Ptolemæus, qui Cyrenis regnabat, successit. Demetrius ob crudelitatem, quam per tormenta in suos exercebat,* [50] *a Diodoto quodam, uno ex subjectis, qui Alexandri filio, bimulo admodum, regnum adserebat, bello superatus, Seleuciam confugit. L. Mummius de Achæis triumphavit. signa ærea, marmoreaque, et tabulas pictas in triumpho tulit.*

47 *Ad Thermopylas bello conflixit*] Sic veteres editi et MSS. aliquot a Gronovio inspecti: licet ipse vocem *bello* in sua editione omiserit.

48 *Abstinentissimum virum egit*] Campanus, Andreas, et plerique codices tum Gronovii, tum Hearnii, habent *abstinentissimum se virum egit.*

49 *C. Vetilium*] Sic nominat hunc prætorem Appianus in Ibericis, et post eum Freinshemius, infra c. 25. et seqq. Vulgo hic: *M. Vitilium.*

50 *A Diodoto quodam, uno ex subjectis*] Hoc nec satis Latine, nec proprie dictum est. Suspicamur *uno ex purpuratis.* Frequens occurrit *purpuratorum* mentio in regum Macedonicorum aulis.

LIII.

Ap. Claudius consul Salassos, gentem Alpinam, domuit. Alter Pseudophilippus in Macedonia a L. Tremellio quæstore cum exercitu cæsus est. Q. Cæcilius Metellus proconsul Celtiberos cecidit. a Q. Fabio proconsule pars magna Lusitaniæ, expugnatis aliquot urbibus, recepta est. C. Julius senator Græce res Romanas scribit.

LIV.

Q. Pompeius consul in Hispania [51] *Termestinos subegit. cum eisdem et Numantinis* [52] *pacem ab infirmitate fecit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa civium capita trecenta viginti octo millia, quadringenta quadraginta duo. Quum Macedonum legati conquestum de D. Junio Silano, prætore venissent, quod acceptis pecuniis provinciam spoliasset et senatus de querelis eorum vellet cognoscere; T. Manlius Torquatus, pater Silani, petiit, inpetravitque, ut sibi cognitio mandaretur: et, domi caussa cognita, filium condemnavit, abdicavitque; ac ne funeri quidem ejus (quum suspendio vitam finisset) interfuit; sedensque domi potestatem consultantibus ex instituto fecit. Q. Fabius proconsul rebus in Hispania prospere gestis labem inposuit, pace cum Viriatho æquis conditionibus facta. Viriathus a proditoribus, consilio Servilii Cæpionis, interfectus est, et ab exercitu suo multum comploratus, ac nobiliter sepultus; vir duxque magnus, et per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superior.*

LV.

P. Cornelio Nasica, cui cognomen Serapion fuit ab inridente Curiatio tribuno plebis inpositum, et D. Junio Bruto consulibus delectum habentibus, in conspectu tironum res saluberrimi exempli facta est: nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset:

51 *Termestinos*] Sic scribunt hoc nomen veteres editiones: nuperæ *Thermestinos*. Sed *Termisus*, *Termantia*, quæ duo ejusdem urbis nomina videntur apud Appianum in Ibericis, *Termes* apud Plinium et alios, quæ eadem urbs est ac *Termisus* Appiani, sine aspiratione scribuntur.

52 *Pacem ab infirmitate fecit*] Sive hoc modo legas, sive, ut olim, *ob infirmitatem*, utrumque nugatorium merito videtur Gronovio: qui suspicatur, *pacem a populo Romano infirmatam fecit*; vel, *pacem, improbante populo Romano, fecit.*

damnatusque, sub furca diu virgis cæsus est, et sestertio nummo veniit. Tribuni plebis, quia non impetrarent, ut sibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, consules in carcerem duci jusserunt. Junius Brutus consul in Hispania iis, qui sub Viriatho militaverant, agros et oppidum dedit, quod Valentia vocatum est. M. Popillius a Numantinis, [53] *cum quibus pacem factam senatus irritam fieri censuerat, cum exercitu fusus fugatusque est. C. Hostilio Mancino consule sacrificante, pulli ex cavea evolaverunt. conscendenti deinde navim, ut in Hispaniam proficisceretur, accidit vox,* Mane, Mansine: *quæ auspicia tristia fuisse, eventu probatum est. Victus enim a Numantinis et castris exutus, quum spes nulla servandi exercitus esset, pacem cum eis fecit ignominiosam, quam ratam esse senatus vetuit. Triginta millia Romanorum a Numantinorum millibus quatuor victa erant. D. Junius Lusitaniam, triginta urbium expugnationibus, usque* [54] *ad occasum et oceanum perdomuit: et, quum* [55] *fluvium Oblivionem transire nollent milites, ereptum signifero signum ipse transtulit, et sic, ut transgrederentur, persuasit. Alexandri filius, rex Syriæ, decem annos admodum habens, a Diodoto, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est; conruptis medicis, qui, eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant, occiderunt.*

LVI.

D. Junius Brutus in Hispania ulteriore feliciter adversus Gallæcos pugnavit. dissimili eventu M. Æmilius Lepidus proconsul adversus Vaccæos rem gessit, clademque similem Numantinæ passus est. Ad exsolvendum Numantini fœderis religione populum, Mancinus, quum hujus rei auctor fuisset, deditus Numantinis, non est receptus. Lustrum a censoribus conditum est. [56] *Censa sunt civium capita trecenta viginti tria millia. Fulvius Flaccus consul Vardæos in Illyrico subegit. M. Cosconius prætor in Thracia cum Scordiscis prospere pugnavit. Quum bellum Numantinum vitio ducum non sine pudore publico duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque Romano consulatus: quem quum illi capere* [57] *ob legem, quæ*

53 *Cum quibus pacem factam senatus irritam fieri censuerat*] Sigonius immisit τὸ *fieri*: quod tamen abesse maluerimus, et revera ignorant Andreas, et Campanus.

54 *Ad Occasum et Oceanum*] Andreas, Campanus, Hearnii codices, Sigonius omittunt τὰ *Occasum et*.

55 *Fluvium Oblivionem*] Legendum *Oblivionis*. Nam is fluvius, non *Oblivio*, sed *Oblivionis* nominabatur. Is Casaubonus ad Strab. l. III. p. 153.

56 *Censa sunt*] Sic plerique script et vett. editi. In vulgatis deest *sunt* Sed et in numero civium censorum variant libri. Verum operæ pretium non videtur in his minutis tricis immrari.

57 *Ob legem quæ vetabat quemqu iterum consulem fieri*] Olim legeba

vetabat, quemquam iterum consulem fieri, non liceret, sicuti priori consulatu, legibus solutus est. Bellum servile, in Sicilia ortum, quum obprimi a prætoribus non potuisset, C. Fulvio consuli mandatum est. hujus belli initium fuit Eunus servus, natione Syrus; qui, contracta agrestium servorum manu, et solutis ergastulis, justi exercitus numerum inplevit. Cleon quoque, alter servus, ad septuaginta millia servorum contraxit; et, copiis junctis, [58] *contra populum Romanum exercitumque ejus bellum sæpe gesserunt.*

LVII.

Scipio Africanus Numantiam obsedit, et conruptum licentia luxuriaque exercitum ad severissimam militiæ disciplinam revocavit. omnia deliciarum instrumenta recidit; duo millia scortorum a castris ejecit; militem quotidie in opere habuit, et triginta dierum frumentum [59] *ad septenos vallos ferre cogebat. ægre propter onus incedenti dicebat,* Quum gladio te vallare scieris, vallum ferre desinito. [60] *Alii, scutum parvum habiliter ferenti, scutum amplius justo ferre jussit:* [61] *neque id se reprehendere, quando melius scuto, quam gladio, uteretur. Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus; si extraneus,* [62] *fustibus cecidit. Jumenta omnia, ne exonera-*

quemquam intra decem annos iterum consulem. Trigam hanc verborum, *intra decem annos,* omitti jussit Sigonius, auctore vetere libro, cui adstipulatur Pithœus apud Hearnium, et Campanus. Sane decennalis intervalli mentio nihil huc attinet, quum inter utrumque Scipionis Æmiliani consulatum toti duodecim anni effluxerint. Legem quæ vetabat quemquam bis consulem fieri, Pighius existimat latam esse primo anno tertii Punici belli. Certe Festus in voce *Pavimenta* refert verba quædam ex oratione M. Catonis, Ne quis consul bis fieret. Eamdem orationem laudat quoque Priscianus. Hæc fere Sigonius in nota ad hunc locum. Vid. et Pighium ad annum 603.

58 *Contra populum Romanum exercitumque ejus*] Brevius et aptius duo scripti Grutero inspecti, Pithœus apud Hearnium, et Campanus: *adversus exercitum Romanum.*

59 *Ad septenos vallos*] Super, vel præter septenos vallos. Sigonius legi jusserat *ac.* Sed veterem lectionem ex suis libris Gronovius asseruit.

60 *Alii scutum parvum habiliter ferenti*] Hæc lectio a Grutero prodita est. Nobis satis placeret ea quam monstrat apud Hearnium Pithœus; *alii scutum parum habiliter ferenti.* Nec nos offendit apud hunc epitomatorem *alii . . jussit:* quam locutionem Sanctius in Minerva l. II. c. 4. et ibi Perizonius summa vi tuentur, et Latinam esse contendunt. Quod etiamsi iis non concedatur in aurei ævi scriptoribus, apud posteriorem certe ætatem invaluisse negari non potest.

61 *Neque id se reprehendere*] Suspicatur non immerito Gronovius aliquid hic excidisse, quod esset affine ei narratiunculæ quam ex Frontino habet Freinshemius infra c. 6. de milite ornatum elegantius scutum habente: quod se non reprehendere Scipio dixerit, quoniam ille melius scuto quam gladio uteretur.

62 *Virgis cecidit*] Virgæ enim inhonestius supplicium, et ideo a civium tergo remotum. Gronovius ex quibusdam libris edidit *fustibus cecidit.* Sed *fustuarium,* militare supplicium, usitatum fuit etiam in cives, etiam Ciceronis ævo, ut patet ex Phil. III. c. 6.

rent militem, vendidit. Sæpe adversus eruptiones hostium feliciter pugnavit. Vaccæi obsessi, liberis conjugibusque trucidatis, ipsi se interemerunt. Scipio amplissima munera, missa sibi ab Antiocho rege Syriæ, quum celare aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit, omniaque ea referre quæstorem in publicas tabulas jussit: ex iis se viris fortibus dona daturum. Quum undique Numantiam obsidione clausisset, et obsessos fame videret urgueri; hostes, qui pabulatum exierant, vetuit occidi; quod diceret, velocius eos absumturos, frumenti quod haberent, si plures fuissent.

LVIII.

Ti. Sempronius Gracchus tribunus plebis, quum legem agrariam ferret adversus voluntatem senatus et equestris ordinis, ne quis ex publico agro plus, quam [63] quingenta jugera, possideret, *in eum furorem exarsit, ut M. Octavio collegæ, caussam diversæ partis defendenti, potestatem lege lata abrogaret:* [64] *seque, et Gracchum fratrem, et Ap. Claudium socerum, triumviros ad dividendum agrum crearet. Promulgavit et aliam legem agrariam,* [65] *qua sibi latius agrum patefaceret,* ut iidem triumviri judicarent, qua publicus ager, qua privatus esset. *deinde, quum minus agri esset, quam quod dividi posset sine obfensa etiam plebis, (quoniam eos ad cupiditatem* [66] *amplum modum sperandi incitaverat) legem se promulgaturum ostendit,* ut iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quæ regis Attali fuisset, divideretur. *Hæredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius.* [67] *Tot indignitatibus commotus graviter senatus, ante omnes* [68] *T. Annius consularis, qui, quum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum, delatusque plebi, rursus in eum pro rostris concionatus est. Quum iterum*

63 *Quingenta jugera*] Certe emendatio Sigonii, nixa Plutarcho et Appiano. Nec dubium est quin Gracchus revocare voluerit legem Liciniam de modo agrorum, de qua Liv. agit libro VI. extremo: quæ quidem lex illum ipsum numerum quingentorum jugerum præfiniebat. Plerique libri, tum scripti, tum editi, habebant *decem jugera:* Campanus *centum:* Pithœus apud Hearnium *mille.*

64 *Seque et fratrem Caium*] Sic legi jussit Sigonius ex vet. lib. melius, ut nobis videtur, quam *seque et Gracchum fratrem,* quamvis pleraque librorum manus hoc præferat.

65 *Qua sibi latius agrum patefaceret*] Hæc nobis paulo suspectiora sunt. Vid infra c. 31. quem sensum ex iis ex sculpere conetur Freinshemius.

66 *Amplum modum*] Amplum ag modum. Hæc vera est lectio, qu exhibent Andreas, Campanus, et scri Gronovio inspecti. Quidam libri l bent *ampla modo.*

67 *Tot indignitatibus*] Sic ed Gronovius ex scriptis et vett. e quibus succinit Campanus. Qui *indignationibus.*

68 *P. Mucius consul*] Libri o hic sunt mendosi. Plerique h *C. Antonius,* alii *T. Annius.* V nomen consulis reposuit Sigonius.

tribunus plebis creari vellet Gracchus, auctore P. Cornelio Nasica, in Capitolio ab optimatibus occisus est, ictus primum fragmentis subselliorum, et inter alios, qui in eadem seditione occisi erant, insepultus in flumen projectus. Res præterea in Sicilia vario eventu adversus fugitivos gestas continet.

LIX.

Numantini, fame coacti, ipsi se per vicem tradentes trucidaverunt. Captam urbem Scipio Africanus delevit, et de ea triumphavit, quartodecimo anno post Karthaginem deletam. P. Rupilius consul in Sicilia cum fugitivis debellavit. Aristonicus, regis Eumenis filius, Asiam occupavit; quum, testamento Attali regis legata populo Romano, libera esse deberet. Adversus eum P. Licinius Crassus consul, quum idem pontifex maximus esset, (quod numquam antea factum erat) extra Italiam profectus, prœlio victus et occisus est. M. Perperna consul victum Aristonicum in deditionem accepit. Q. Pompeius et Q. Metellus, tunc primum uterque ex plebe facti censores, lustrum condiderunt. Censa sunt civium capita trecenta septemdecim millia, octingenta viginti tria, præter pupillos et viduas. Q. Metellus censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores, liberorum creandorum caussa. exstat oratio ejus, quam Augustus Cæsar, quum de maritandis ordinibus ageret, [69] *velut in hæc tempora scriptam in senatu recitavit. C. Atinius Labeo tribunus plebis Q. Metellum censorem, a quo in senatu legendo præteritus erat, de saxo dejici jussit: quod ne fieret, ceteri tribuni plebis auxilio fuerunt. Quum Carbo tribunus plebis rogationem tulisset,* [70] *ut eumdem tribunum plebis, quoties vellet, creare liceret; rogationem ejus P. Africanus gravissima oratione dissuasit; in qua dixit,* Ti. Gracchum jure cæsum videri. [71] *Gracchus contra suasit rogationem:* [72] *sed Scipio tenuit. Bella inter Antiochum Syriæ, et Phraatem Parthorum regem gesta, nec magis quietæ res Ægypti referuntur. Ptolemæus, Euergetes cognominatus, ob nimiam crudelitatem suis invisus, incensa a populo regia,*

69 *Velut in hæc tempora scriptam*] Ante Sigonium editi: *velut eo tempore.* Ille correxit ex vet. lib. cui adstipulatur Campanus. Recte *in hæc tempora.* Habetur enim ratio personæ Livii, qui Augusto æqualis fuit.

70 *Ut eumdem tribunum plebis, quoties vellet, creari liceret*] Emendat Gronovius: *ut eumdem tribunum plebi, quoties vellet, creare liceret.* Sane, ut vulgo legitur, *τὸ vellet* non potest referri nisi ad tribunum, quod absurdum est. *Creare* habet Campanus.

71 *Gracchus contra*] Videtur excidisse prænomen: *C. Gracchus contra.* Gronovius.

72 *Sed Scipio tenuit*] Hoc quis dederit, incertum. Sed Andreas, Campanus, MSS. Hearnii: *censuit.* Vulgatæ lectionis sensus commodus est: *tenuit* propositum, vicit.

clam [73] *Cypron profugit. et, quum sorori ejus Cleopatræ, quam (filia ejus virgine per vim compressa, atque in matrimonium ducta) repudiaverat, regnum a populo datum esset, infensus filium, quem ex illa habebat, Cypri occidit, caputque ejus et manus, et pedes matri misit. Seditiones a triumviris Fulvio Flacco, et C. Graccho, et C. Papirio Carbone, agro dividendo creatis, excitatæ: quibus quum P. Scipio Africanus adversaretur: fortisque ac validus de die domum se recepisset, mortuus in cubiculo inventus est. Suspecta fuit, tamquam ei venenum dedisset, Sempronia uxor, hinc maxime, quod soror esset Gracchorum; cum quibus simultas Africano fuerat. de morte tamen ejus nulla quæstio acta. Eo defuncto, seditiones triumvirales acrius exarserunt. C. Sempronius consul contra Japydas primo rem male gessit: mox victoria cladem acceptam emendavit virtute D. Junii Bruti, ejus, qui Lusitanian subegerat.*

LX.

L. Aurelius consul [74] *rebellantes Sardos subegit.* [75] *M. Fulvius Flaccus primus Transalpinos Ligures bello domuit missus in auxilium Massiliensibus adversus Salluvios Gallos qui fines Massiliensium populabantur. L. Opimius præto Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregella diruit. Pestilentia in Africa ab ingenti locustarum multitudine, et deinde necatarum strage, fuisse traditur. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta nonaginta millia septingenta triginta sex. C. Gracchus, Tiberi frater, tribunus plebis, eloquentior quam frater, perniciosa aliquot leges tulit: inter quas frumentariam,* ut [76] semisse e triente frumentum plebi daretur: *alteram legem agrariam quam et frater ejus tulerat: tertiam, qua equestrem ordinem tunc cum senatu consentientem, conrumperet:* [77] ut sexcenti e equitibus in curiam sublegerentur: et quia illis temporibu

73 *Cypron profugit*] Sic edidit Gronovius ex membranis. Vulgo *in Cyprum*. Campanus quoque omittit præpositionem.

74 *Rebellantes Sardos*] Hanc scripturam, quam Gronovius a Pighii conjectura profectam ait, tuetur Pithœus quoque apud Hearnium. Plerique MSS. *bellantes*.

75 *M. Fulvius Flaccus primus omnium Transalpinos Ligures bello domuit*] At in Epit. XLVII. *Q. Opimius consul Transalpinos Ligures . . . subegisse* dicitur. Majus autem est *subegisse*, quam domuisse. Hæc observat Perizonius Animadv. Hist. c. 8. Legamus igitur hoc loco *Transalpinos Gallos*.

76 *Semisse et triente*] Id est, de tante, sive decem assis partibus, qua duodecim totum assem æquant.

77 *Ut sexcenti ex equitibus*] Ru dus, Animadv. 26. in Plut. multis p bat hoc tulisse C. Gracchum, ut judi ab senatoribus ad Equites transferr tur: cetera quæ hic narrantur, va et futilia esse. Non absurda Frei hemii conjectura est, infra c. 66. tentasse vel certe cogitasse Gracch quod narrat auctor epitomes, sed p ficere non potuisse, atque adeo transferenda ad solos Equites jud animum adjecisse.

trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur: *id est, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet. et, continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur, et una in solo dirutæ Karthaginis; quo, ipse triumvir creatus, coloniam deduxit. Præterea res a Q. Metello consule adversus Baliares gestas continet: quas Græci Gymnesias adpellant, quia æstatem nudi exigant:* [78] *Baliares a teli missu adpellati, aut a Baleo, Herculis comite, ibi relicto tunc, quum Hercules ad Geryonem navigaret. Motus quoque Syriæ referuntur, in quibus Cleopatra Demetrium virum suum et Seleucum filium, indignata quod, occiso patre ejus a se, injussu suo diadema sumsisset, interemit.*

LXI.

C. Sextius proconsul, victa Salluviorum gente, coloniam Aquas Sextias condidit, [79] *ob aquarum copiam e calidis frigidisque fontibus, atque a nomine suo ita adpellatas. Cn. Domitius proconsul adversus Allobrogas ad oppidum Vindalium feliciter pugnavit. Quibus bellum inferendi caussa fuit, quod Teutomalium, Salluviorum regem, fugientem recepissent, et omni ope juvissent; quodque Æduorum agros, sociorum populi Romani, vastassent. C. Gracchus, seditioso tribunatu facto, quum Aventinum quoque armata multitudine occupasset, a L. Opimio consule, ex senatusconsulto vocato ad arma populo, pulsus et occisus est; et cum eo Fulvius Flaccus consularis, socius ejusdem furoris. Q. Fabius Maximus consul, Paulli nepos, adversus Allobrogas et Bituitum, Arvernorum regem, feliciter pugnavit. Ex Bituiti exercitu cæsa millia hominum centum viginti. Ipse, quum ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset,* [80] *Albam custodiendus datus est, quia contra pacem videbatur, ut in Galliam remitteretur. Decretum quoque est, ut Congentiatus, filius ejus, comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti. L. Opimius, accusatus apud populum a Q. Decio tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem conjecisset, absolutus est.*

LXII.

Q. Marcius consul [81] *Stœnos, gentem Alpinam, expugnavit.*

78 *Baleares a teli missu*] Nempe a verbo Græco βάλλειν.

79 *Ob aquarum copiam*] Magis placeret cum Gronovio legere: *ab aquarum copia . . atque a nomine suo ita appellatas.*

80 *Albam custodiendus datus est*] Sic duo e MSS. Gronovii et Pithœus apud Hearnium. Atque id elegantius nobis visum est, quam quod vulgati præferunt, *Albæ.*

81 *Stonos*] Sic scribitur hoc nomen apud Strabonem, l. IV. p. 204. et apud Plinium, l. III. c. 20. Pighius legi jubet *Stanos* ex marmoribus Capitolinis.

Micipsa, Numidarum rex, mortuus regnum tribus filiis reliquit, Adherbali, Hiempsali, et Jugurthæ fratris filio, quem adoptaverat. L. Cæcilius Metellus Dalmatas subegit. Jugurtha Hiempsalem fratrem bello petiit, quem victum occidit: Adherbalem regno expulit: [82] *is a senatu restitutus est. L. Cæcilius Metellus, Cn. Domitius Ahenobarbus, censores, duos et triginta senatu moverunt. Præterea motus Syriæ regum continet.*

LXIII.

Cato Porcius consul in Thracia male adversus Scordiscos pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta nonaginta quatuor millia, trecenta triginta sex. Æmilia, Licinia, Marcia, virgines Vestales, incesti damnatæ sunt: idque incestum quemadmodum et commissum, et deprehensum, et vindicatum sit, refertur. Cimbri, gens vagæ populabundi in Illyricum venerunt: ab iis Papirius Carbo consul cum exercitu fusus est. Livius Drusus consul adversus Scordiscos, gentem a Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnavit.

LXIV.

Adherbal, bello petitus a Jugurtha, et in oppido Cirta obsessus, contra denunciationem senatus ab eo occisus est. Cum hoc ipsi Jugurthæ bellum indictum: idque Calpurnius Bestia consul gerere jussus, pacem cum Jugurtha injussu populi et senatus fecit. Jugurtha, fide publica evocatus ad indicandos auctores consiliorum suorum, quod multos pecunia in senatu corrupisse dicebatur, Romam venit: et, propter cædem, admissam in regulum quemdam, nomine Massivam, [83] *qui regnum ejus populo Romano invisi adfectabat, Romæ interfectum, quum periclitaretur, caussam capitis dicere jussus, clam profugit, et, cedens urbe, fertur dixisse:* O urbem venalem, et cito perituram, si emtorem invenerit! *A. Postumius legatus* [84] *infeliciter prœlio adversus Jugurtham gesto pacem quoque adjecit ignominiosam, quam non esse servandam senatus censuit.*

82 *Is a senatu restitutus est*] Sic edidit Gronovius ex aliquot MSS. quibus assentitur Campanus. Vulgo *qui a senatu.*

83 *Qui regnum ejus . . . appetebat*] Aliquot MSS. Gronovio inspecti, et Pithœus apud Hearnium pro *appetebat* substituunt *affectabat*: quod verbum magis proprium videtur.

84 *Infeliciter prœlio . . . gesto pacem quoque adjecit*] Sic legi jussit Sigonius, cui assentitur Pithœus. Plerique libri inter *rè gesto* et *pacem* inserunt verbum *conflixit*, quod plane otiosum est.

LXV.

Q. Cæcilius Metellus consul duobus prœliis Jugurtham fudit, totamque Numidiam vastavit. M. Junius Silanus consul adversus Cimbros infeliciter pugnavit. legatis Cimbrorum [85] *sedem et agros, in quibus consisterent, postulantibus senatus negavit. M. Minucius proconsul adversus Thracas prospere pugnavit. L. Cassius consul a Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. milites, qui ex ea clade superaverunt, obsidibus datis, et dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.*

LXVI.

Jugurtha, pulsus a C. Mario Numidia, auxilio Bocchi, Maurorum regis, adjutus est: et, cæsis prœlio Bocchi quoque copiis, nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere, vinctus ab eo et Mario traditus est: in qua re præcipua opera L. Cornelii Sullæ, quæstoris Marii, fuit.

LXVII.

M. Aurelius Scaurus, legatus consulis, a Cimbris fuso exercitu, captus est: et, quum, [86] *in consilium ab iis evocatus, deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret, Romanos vinci non posse,* [87] *a Boiorige rege, feroci juvene, occisus est. Ab iisdem hostibus Cn. Manlius consul et Q. Servilius Cæpio proconsul, victi prœlio castrisque binis exuti sunt. militum millia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta.* [88] *Secundum populi Romani jussionem, Cæpionis, cujus temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, primi post regem Tarquinium; imperiumque ei abrogatum. in triumpho C. Marii ductus ante currum ejus Jugurtha cum duobus filiis, et in carcere necatus est. Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat:*

85 *Sedem et agros in quibus considerent*] Aliquot MSS. tum Hearnii, tum Gronovii, Andreas, Campanus: *in quibus consisterent.*

86 *In consilium . . . evocatus*] Multo melius Pithœus apud Hearnium, *advocatus.*

87 *A Boiorige*] Conjectura Freinshemii a Gronovio probata. Prius legebatur: *a Bolo rege.* Edidimus *feroci*, quemadmodum Campanus et Andreas, et libri Hearnii habent, non *feroce*, ut nunc vulgo editi.

88 *Secundum populi Romani jussionem*] Hæc non immerito inepta Gronovio visa sunt. Ille ex MSS. vestigiis legit: *Octoginta millia militum occisa, calonum ac lixarum quadraginta, secundum Arausionem. Cæpionis*, etc. Sane in illa regione res gesta est: et favet Pithœus quoque apud Hearnium, *secundum aprausionem.*

eique propter Cimbrici belli metum continuatus per complures annos magistratus est. Secundo et tertio absens consul creatus, quartum consulatum dissimulanter captans consecutus est. Cn. Domitius pontifex maximus populi suffragio creatus est. Cimbri, vastatis omnibus, quæ inter Rhodanum et Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati sunt: reversique in Galliam, [89] *bellicosis se Teutonis conjunxerunt.*

LXVIII.

M. Antonius prætor in Ciliciam maritimos prædones persecutus est. C. Marius consul summa vi obpugnata a Teutonis et Ambronibus castra defendit. duobus deinde prœliis circa Aquas Sextias eos hostes delevit, in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintum consul creatus est. triumphum oblatum, donec et Cimbros vinceret, distulit. Cimbri, repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat, et ad flumen Athesim castellum editum insederat, reliqueratque, [90] *quum, virtute sua expliciti, fugientem proconsulem exercitumque consecuti, in Italiam trajecissent, junctis ejusdem Catuli et C. Marii exercitibus, prœlio victi sunt ab eis: in quo cæsa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta.* [91] *Marius, totius civitatis consensu exceptus, pro duobus triumphis, qui obferebantur, uno contentus fuit. Primores civitatis, qui aliquamdiu ut novo homini, ad tantos honores evecto, inviderant, conservatam ab eo rempublicam fatebantur. Publicius Malleolus, matre occisa, primus insutus culeo, in mare præcipitatus est. Ancilia cum strepitu mota esse, antequam Cim-*

89 *Bellicosis se Teutonis conjunxerunt*] *Bellicosis* hic frigidum est, ut et *belli causa*, quod substituit Schefferus. Libri et vett. edd. fere *imbellicosis*. Gronovius conjicit: *Ambronibus se et Teutonis conjunxerunt*. Certe in Epit. sequenti Ambrones et Teutoni simul castra Marii oppugnasse memorantur.

90 *Quum virtute sua expliciti*] Vett. editiones et plerique MSS. *explicata*. Mutavit Sigonius, et intelligit Cimbros obsidione quasi Catuli liberatos. Verum Cimbri tum victores non explicabantur periculo, sed ultro periculum ac terrorem Romanis inferebant. Membranæ quædam Gronovio inspectæ longe aliam lectionem exhibent: *Cimbri, repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsidebat, flumen Athesim transgressi castellum editum, quod insederat, ut reliquerat, effecerunt. quem tamen virtute sua explicita fugientem proconsulem exercitumque consecutus est. In Italiam quum deinde trajecissent, junctis ejusdem Catuli copiis*, etc. Hæc, inquit Gronovius, videntur meliora vulgatis, modo scribas *relinqueret*, et illa, *quem tamen*, sic corrigas et suppleas: *qui tamen in castello fuerunt, virtute sua expliciti fugientem proconsulem exercitumque consecuti sunt*. Digna memoria virtus, de qua vid. c. 50. hujus libri.

91 *Marius totius civitatis consensu exceptus*] Videtur hic aliquid desiderari, quale esset *summo cum honore*, vel *ingenti gratulatione*.

bricum bellum consummaretur, referuntur. Bella præterea inter Syriæ reges gesta continet.

LXIX.

L. Appuleius Saturninus, adjuvante C. Mario, et per milites occiso A. Nonio competitore, tribunus plebis per vim creatus, non minus violenter tribunatum, quam petierat, gessit; et, quum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, [92] *eo quod in eam non juraverat, diem dixit: qui quum a bonis civibus defenderetur, ne caussa certaminum esset, in exsilium voluntarium Rhodum profectus est:* [93] *ibique legendo et audiendis magnis viris avocabatur. Profecto C. Marius, seditionis auctor, qui sextum consulatum per tribus sparsa pecunia emerat, aqua et igni interdixit. Idem Appuleius Saturninus tribunus plebis C. Memmium* [94] *candidatum consulatus, quem maxime adversarium actionibus suis timebat, occidit. quibus rebus concitato senatu, (in cujus caussam et C. Marius, homo varii et mutabilis ingenii consiliique semper secundum fortunam, transierat, quum eum tueri minime posset) obpressus armis cum Glaucia prætore, et aliis ejusdem furoris sociis,* [95] *bello quodam interfectus est. Q. Cæcilius Metellus ab exsilio, ingenti totius civitatis favore, reductus est. M'. Aquillius proconsul in Sicilia bellum servile excitatum confecit.*

LXX.

Quum M'. Aquillius de pecuniis repetundis caussam diceret, ipse judices rogare noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore ejus discidit, ut honestas cicatrices ostenderet: quibus conspectis, indubitanter absolutus est. Cicero ejus rei solus auctor. T. Didius proconsul adversus Celtiberos feliciter pugnavit. Ptolemæus, Cyrenarum rex, cui

92 *Eo quod in eam non juraverat*] MSS. Gronovii, *qui in eam non juraverat*: elegantius.

93 *Ibique legendo et audiendis magnis viris vacabat*] Plerique MSS. et vett. editi habent vel *advocabat*, vel *advocabatur*. Unde Gronovius edendum credidit *avocabatur*. Verbum proprium, inquit, de iis qui aut a sensu rerum adversarum, aut gravantibus alioqui negotiis animum avertunt, eique levando dant operam. Utatur, qui voluerit. Nobis videtur simplicius *vacabat*, quod vulgati tenent.

94 *Candidatum consulatus*] Ante Sigonium vulgati adjiciebant *petitorem*: quam vocem ille ex vet. libro, cui Campanus assentitur, delevit, sed tamen revocandam esse Gronovius existimavit. Nobis nihil necesse visum est otiosum nomen inculcare.

95 *A Rabirio quodam*] Conjectura Sigonii. Libri, et vett. editi, *bello quodam*. Freinshemius, *telo quodam*. Cicero pro Rabirio, c. 11. *Scævæ Servo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data est*. Unde posses legere, *a Scæva quodam*, vel *a Servo quodam*. Gronovius.

cognomentum Apioni fuit, mortuus hæredem populum Romanum reliquit, et ejus regni civitates senatus liberas esse jussit. Ariobarzanes in regnum Cappadociæ a L. Cornelio Sulla reductus est. Parthorum legati, a rege Arsace missi, venerunt ad Sullam, [96] *ut amicitiam populi Romani peterent. P. Rutilius, vir summæ innocentiæ, quoniam legatus* [97] *Q. Mucii proconsulis a publicanorum injuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus, in exsilium missus est.* [98] *C. Sentius prætor contra Thracas infeliciter pugnavit. Senatus, quum inpotentiam equestris ordinis in judiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, ut ad se judicia transferrentur, sustinente caussam ejus M. Livio Druso tribuno plebis: qui, ut vires sibi adquireret, perniciosa spe largitionum plebem concitavit. Præterea motus Syriæ regum continet.*

LXXI.

M. Livius Drusus, tribunus plebis, ut majoribus viribus senatus caussam susceptam tueretur, socios et Italicos populos [99] *spe civitatis Romanæ sollicitavit: iisque adjuvantibus, per vim legibus agrariis frumentariisque latis, judiciariam quoque pertulit;* ut æqua parte judicia penes senatum et equestrem ordinem essent. *Quum deinde promissa sociis civitas præstari non posset, irati Italici defectionem agitare cœperunt.* [1] *Eorum coitus, conjurationesque, et orationes in conciliis principum referuntur. propter quæ Livius Drusus, invisus etiam senatui factus, velut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est.*

LXXII.

Italici populi defecerunt, Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani, initio belli a Picentibus moto. Q. Servilius proconsul in oppido Asculo cum omnibus civibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est. saga populus sumsit. Ser. Galba, a Lucanis comprehensus, unius feminæ opera,

96 *Ut amicitiam populi Romani peterent*] Andreas, Campanus, et Hearnii codex, *a populo Romano.*

97 *Q. Mucii proconsulis*] Conjectura Sigonii, testimonio Asconii nixa. Vid. et infra capp. 10. et 11. hujus libri. Antea legebatur hoc loco, *C. Marii.*

98 *C. Geminius prætor*] Sic Andreas et turba editorum ante Sigonium. Ille reposuit *C. Sentius:* et ei Gronovius assensus est. Sed quum hæc emendatio haud satis cum historia quadrare videatur, ut probabimus in not. ad c. 17. hujus libri, revocavimus eam lectionem quam Sigonius mutaverat: eo quidem magis, quod Freinshemius illam agnoscit c. 56.

99 *Spe civitatis Romanæ sollicitavit*] Haud fortasse spernendum quod habet Campanus, *in spem civitatis.*

1 *Coitus*] Magis placeret *coitiones:* quæ vox in hujusmodi rebus valde propria est.

ad quam devertebatur, captivitate exemtus est. Æsernia et Alba coloniæ ab Italicis obsessæ sunt. Auxilia deinde Latini nominis externarumque gentium missa populo Romano, et expeditiones invicem expugnationesque urbium referuntur.

LXXIII.

L. Julius Cæsar consul male adversus Samnites pugnavit. Nola colonia in potestatem Samnitium venit cum L. Postumio prætore, qui ab iis interfectus est. Complures populi ad hostes defecerunt. Quum P. Rutilius consul male adversus hostes Marsos pugnasset, et in prœlio cecidisset, C. Marius, legatus ejus, meliore eventu cum hostibus conflixit. Ser. Sulpicius Pelignos prœlio fudit. Q. Cæpio, legatus Rutilii, quum obsessus prospere in hostes erupisset, et ob eum successum æquatum ei cum C. Mario esset imperium, temerarius factus, et circumventus insidiis, fuso exercitu cecidit. L. Julius Cæsar consul feliciter adversus Samnites pugnavit. ob eam victoriam Romæ saga posita sunt. et, ut varia belli fortuna esset, Æsernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. Sed C. Marius prœlio Marsos fudit, [2] *Herio Asinio, prætore Marrucinorum, occiso. C. Cæcilius in Gallia Transalpina Salluvios rebellantes vicit.*

LXXIV.

Cn. Pompeius Picentes prœlio fudit, et obsedit: propter quam victoriam Romæ prætextæ et alia magistratuum insignia sumta sunt. C. Marius cum Marsis dubio eventu pugnavit. Libertini tum primum militare cœperunt. A. Plotius legatus Umbros, [3] *L. Porcius prætor Marsos, quum uterque populus defecisset, prœlio vicerunt. Nicomedes in Bithyniæ, Ariobarzanes in Cappadociæ regna reducti sunt. Cn. Pompeius consul Marsos acie vicit. Quum ære alieno obpressa esset civitas,* [4] *A. Sempronius Asellio prætor, quoniam secundum debitores jus dicebat, ab iis, qui fœnerabantur, in foro occisus est. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.*

2 *Herio Asinio*] Sic edi jussit hoc nomen Gronovius ex Velleio et Appiano. Antea, *Hirno*, vel *Hirnio Asinio*.

3 *L. Porcius prætor Marsos*] Ea quæ sequuntur, *quum uterque populus defecisset*, probant in voce *Marsos* hic esse mendum. Non enim tum primum deficere cœperunt Marsi: sed omnium primi rebellionis signum sustulerant. Lege ex Floro et Orosio *Etruscos*, quos Appianus auctor est, non initio belli, sed suscepto et gesto magna ex parte bello, defecisse.

4 *A. Sempronius Asellio*] Magna pars librorum, *Asellus*. Sigonius emendavit ex Appiano, Valerio Maximo, etc. Campanus veram lectionem hic servat, *Asellio*.

LXXV.

A. Postumius Albinus legatus, quum classi præesset, infamis crimine proditionis, ab exercitu suo interfectus est. L. Cornelius Sulla legatus Samnites prœlio vicit, et bina castra eorum expugnavit. Cn. Pompeius Vestinos in deditionem accepit. L. Porcius consul, rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. ea res hostibus victoriam ejus prœlii dedit. Cosconius et Lucceius Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem, occiderunt, compluraque eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sulla Hirpinos domuit, Samnites multis prœliis fudit, aliquot populos recepit: quantisque raro quisquam alius ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus.

LXXVI.

A. Gabinius legatus, rebus adversus Lucanos prospere gestis, et plurimis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpicius legatus Marrucinos cecidit, totamque eam regionem recepit. Cn. Pompeius proconsul Vestinos et Pelignos in deditionem accepit. Marsi quoque, a L. Murena, et [5] *Cœcilio Pinna legatis aliquot prœliis fracti, pacem petierunt. Asculum a Cn. Pompeio captum est, cœsis et a Mam. Æmilio legato Italicis. Silo Pompœdius, dux Marsorum,* [6] *auctor hujus rei, in prœlio cecidit. Ariobarzanes Cappadociæ, Nicomedes Bithyniæ regno a Mithridate Ponti rege pulsi sunt. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.*

LXXVII.

Quum P. Sulpicius tribunus plebis, auctore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, ut exsules revocarentur, et novi cives libertinique distribuerentur in tribus, et ut Marius adversus Mithridatem Ponti regem dux crearetur, *et adversantibus consulibus Q. Pompeio et L. Sullæ vim intulisset,* [7] *occiso Q. Pompeio consulis filio, genero Sullæ; L. Sulla consul cum exercitu in urbem venit, et adversus factionem*

5 *Cœcilio Pio*] Sic edidit Sigonius: quam lectionem firmat Gronovius ex Velleio, l. II. c. 15. Libri habent *Cœcilio Pinna.* Vid. infra, c. 2.

6 *Auctor hujus rei*] Imo *hujus belli.*

7 *Occiso Q. Pompeio*] Sic dedit ex conjectura Sigonius, quum prius legeretur *occisoque Pompeio.* Assentitur Sigonio Pithœus apud Hearnium.

Sulpicii et Marii in ipsa urbe pugnavit, eamque expulit. [8] *ex qua duodecim a senatu hostes, inter quos* [9] *C. Marius pater et filius, judicati sunt. P. Sulpicius, quum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus et occisus est. servus,* [10] *ut præmium promissum indici haberet,* [11] *manumissus, et ob scelus proditi domini de saxo dejectus est. C. Marius filius in Africam trajecit. C. Marius pater, quum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis: et, quum missus ad occidendum eum servus, natione Gallus, majestate tanti viri perterritus recessisset,* [12] *inpositus publice in navim delatus est in Africam. L. Sulla civitatis statum ordinavit: exinde colonias deduxit. Q. Pompeius consul, ad accipiendum a Cn. Pompeio proconsule exercitum profectus, consilio ejus occisus est. Mithridates, Ponti rex, Bithynia et Cappadocia occupatis, et pulso Aquillio legato, Phrygiam, provinciam populi Romani, cum ingenti exercitu intravit.*

LXXVIII.

Mithridates Asiam occupavit: Q. Oppium proconsulem, item Aquillium legatum, in vincula conjecit: jussuque ejus, quidquid civium Romanorum in Asia fuit, uno die trucidatum est. Urbem Rhodum, quæ sola in fide permanserat, obpugnavit, et aliquot prœliis navalibus victus recessit. Archelaus, præfectus regis, in Græciam cum exercitu venit; Athenas occupavit. Præterea [13] *trepidationem urbium insularumque, aliis ad Mithridatem, aliis ad populum Romanum civitates suas trahentibus, continet.*

LXXIX.

L. Cornelius Cinna, quum perniciosas leges [14] *per vim atque arma ferret, pulsus urbe a Cn. Octavio collega,* [15] *cum sex tribu-*

8 *Ex qua*] Hoc quoque debetur Sigonio. Firmant Pithœus apud Hearnium, et Campanus. Reliqui, *ex quo.*

9 *C. Marius pater et filius*] Magis placeret Gronovio, *Caii Marii pater et filius.*

10 *Ut præmium promissum indici*] Ita Gronovius. Sigonius ex vetere libro *promissum indicii.* Reliqui, *promissi indicii.*

11 *Manumissus est, et . . . de saxo dejectus est*] Alterutrum ex illis *est* vacat. Prius ignorant duo e MSS. Gronovii et Pithœus apud Hearnium: posterius, Campanus.

12 *Impositus publicæ navi*] Non minus placeret *publice in navim,* quomodo Pithœus et Sigonius apud Hearnium volunt: a quibus non longe abit Andreas, qui exhibet *publice in navi.*

13 *Trepidationem*] Unus e MSS. Gronovii cum Campano, *trepidationes.*

14 *Per vim atque arma*] Duæ postremæ voces adjectæ sunt a Sigonio, ex vet. ut ipse ait, lib. Sed earum hic nullus est usus: nec eas agnoscunt Campanus, Andreas, et magna pars librorum.

15 *Cum sex tribunis plebis*] Hoc quoque a Sigonio est, cui assentitur apud Hearnium Pithœus. Antea *cum Sextio tribuno plebis.* Campanus, *cum*

nis plebis: imperioque ei abrogato, conruptum Ap. Claudii exercitum in potestatem suam redegit, et bellum urbi intulit, arcessito C. Mario ex Africa cum aliis exsulibus: in quo bello duo fratres, alter ex Pompeii exercitu, alter ex Cinnæ, ignorantes concurrerunt: et, quum victor spoliaret occisum, agnito fratre, ingenti lamentatione edita, rogo ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit, et eodem igni consumtus est. [16] *Et quum obprimi inter initia potuissent, Cn. Pompeii fraude, qui, utramque partem fovendo, vires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit, et consulis segnitie confirmatæ Cinna et Marius quatuor exercitibus,* [17] *ex quibus duo Q. Sertorio et Carboni dati sunt, urbem circumsederunt. Ostiam coloniam Marius expugnavit, et crudeliter diripuit.*

LXXX.

Italicis populis a senatu civitas data est. Samnites, qui soli arma retinebant, Cinnæ et Mario se conjunxerunt. ab iis Plautius cum exercitu cæsus est. Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio Janiculum occupaverunt, et fugati ab Octavio consule recesserunt. Marius Antium, et Ariciam, et Lanuvium colonias devastavit. Quum nulla spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem et perfidiam et ducum et militum, qui conrupti aut pugnare nolebant, aut ad diversas partes transibant, Cinna et Marius in urbem recepti sunt: qui, velut captam, eam cædibus et rapinis vastarunt, Cn. Octavio consule occiso, et omnibus adversæ partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro, [18] *L. et C. Cæsare, quorum capita in rostris posita sunt. Crassus filius ab equitibus Fimbriæ occisus. pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit. Et citra ulla comitia consules in sequentem annum se ipsos renunciaverunt: eodemque die, quo magistratum inierant, Marius Sex. Licinium senatorem de saxo dejici jussit; editisque multis sceleribus, Idibus Januariis decessit: vir, cujus si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. adeo, quam rempublicam armatus servavit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter evertit.*

Sexto Publio tribuno plebis. Non tam constat nobis, quomodo legendum sit, quam Sigonianam lectionem vitiosam esse. Appianus enim libro primo Civil. testis est majorem partem tribunorum plebis cum Octavio sensisse.

16 *Et quum opprimi inter initia potuissent*] Sic dedimus auctore uno ex MSS. Gronovii, ut referatur verbum ad id quod sequitur, *confirmati Cinnæ et Marius.* Vulgo *potuisset.*

17 *Quorum duo*] Complures MSS. et Campanus, *ex quibus duo.*

18 *L. et C. Cæsare*] Lege cum Gronovio, *L. et C. Cæsaribus.*

LXXXI.

L. Sulla Athenas, quas Archelaus, præfectus Mithridatis, occuparat, circumsedit, et cum magno labore expugnavit. urbi libertatem, et civibus, quæ habuerant, reddidit. Magnesia, quæ sola in Asia civitas in fide manserat, summa virtute adversus Mithridatem defensa est. Præterea Thracum in Macedonia continet gesta.

LXXXII.

Sulla copias regis, quæ, Macedonia occupata, in Thessaliam venerant, prœlio vicit, cæsis hostium centum millibus, et castris quoque expugnatis. Renovato deinde bello, iterum exercitum regis fudit ac delevit. Archelaus cum classe regia Sullæ se tradidit. L. Valerius Flaccus consul, collega Cinnæ, missus, ut Sullæ succederet, propter avaritiam invisus exercitui suo, a C. Fimbria legato ipsius, ultimæ audaciæ homine, occisus est, et imperium ad Fimbriam translatum. Præterea expugnatæ in Asia urbes a Mithridate, et crudeliter direpta provincia, excursionesque Thracum in Macedoniam, referuntur.

LXXXIII.

C. Fimbria in Asia fusis prœlio aliquot præfectis Mithridatis, urbem Pergamum cepit, obsessumque regem, non multum abfuit, quin caperet. Urbem Ilion, quæ se potestati Sullæ reservabat, expugnavit ac delevit, et magnam partem Asiæ recepit. Sulla multis prœliis Thracas cecidit. Quum L. Cinna et Cn. Papirius Carbo, ab se ipsis consules per biennium creati, bellum contra Sullam pararent, effectum est per L. Valerium Flaccum principem senatus, qui orationem in senatu habuit, et per eos, qui concordiæ studebant, ut legati ad Sullam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu suo, quem invitum cogebat naves conscendere, et adversus Sullam proficisci, interfectus est. Consulatum Carbo solus gessit. Sulla, quum in Asiam trajecisset, pacem cum Mithridate fecit; [19] *ita ut is cederet provinciis Asia, Bithynia, Cappadocia. Fimbria, desertus ab exercitu, qui ad Sullam transierat, ipse se percussit: impetravitque de servo suo, præbens cervicem, ut se occideret.*

[19] *Ita ut is cederet Asia, Bithynia, Cappadocia*] Omnes libri et veteres editi ante *cè Asia* habent *provinciis*: qua in voce aliquid vitii est, quum Bithynia et Cappadocia non essent tunc provinciæ Romanæ, sed regna. Legamus cum Sigonio in Commentar. in Fastos ad annum 669. *ita ut is cederet provincia Asia, Bithynia, Cappadocia.*

LXXXIV.

Sulla legatis, qui a senatu missi erant, futurum se in potestate senatus respondit, si cives, qui pulsi a Cinna ad se confugerant, restituerentur. quæ conditio quum justa senatui videretur, per Carbonem factionemque ejus, cui bellum videbatur utilius, ne conveniret, effectum est. Idem Carbo, quum ab omnibus oppidis Italiæ coloniisque obsides exigere vellet, ut fidem eorum contra Sullam obligaret, consensu senatus prohibitus est. [20] *Novis civibus senatusconsulto suffragium datum est. Q. Metellus Pius, qui partes optimatium secutus erat, quum in Africa bellum moliretur, a C. Fabio prætore pulsus est: senatusque consultum per factionem Carbonis et Marianarum partium factum est, ut omnes ubique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque et triginta tribus distributi sunt. Præterea belli adparatum, quod contra Sullam excitabatur, continet.*

LXXXV.

Sulla in Italiam cum exercitu trajecit, [21] *missisque legatis, qui de pace agerent, a consule C. Norbano violatis, eumdem Norbanum prœlio vicit. Et quum L. Scipionis alterius consulis, cum quo per omnia id egerat, ut pacem jungeret, nec potuerat, castra obpugnaturus esset, universus exercitus consulis, sollicitatus per emissos a Sulla milites, signa ad Sullam transtulit. Scipio, quum occidi posset, dimissus est. Cn. Pompeius, Cn. F. ejus, qui Asculum ceperat, conscripto voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Sullam venerat; ad quem se nobilitas omnis conferebat, ita ut deserta urbe ad castra veniretur. Præterea expeditiones per totam Italiam utriusque partis ducum referuntur.*

LXXXVI.

Quum C. Marius, C. Marii filius, consul ante annos viginti per vim creatus esset, C. Fabius in Africa propter crudelita-

20 *Novis civibus senatusconsulto suffragium datum est*] Hic profecto aliquid peccavit vel librariorum manus, vel ipse epitomes auctor. Italis enim cum civitate jus quoque suffragii datum esse constat. Sed fortasse hujus senatusconsulti hæc mens fuerat, ut quod a tribuno plebis Sulpicio institutum, mox a Sulla rescissum fuerat, renovaretur et confirmaretur, nempe, ut novi cives in quinque et triginta tribus distribuerentur.

21 *Missisque legatis, qui de pace agerent, a consule C. Norbano violatis*] Sustulimus, auctore Campano, particulam *et* ante *a consule*. Sensus quippe est: legatis qui a Sylla missi erant, a consule violatis. Aliam hic et majoris momenti emendationem fecit Sigonius. Plerique editi et libri habebant *a cons. Cn. Carbone et C. Norbano:* quod contra historiæ fidem erat. Neque enim Carbo hoc anno consul fuit. Certissimam Sigonii conjecturam firmant Pithœus apud Hearnium, et Campanus, qui habet *a consule Cn. Norbano.*

tem et avaritiam in prætorio suo vivus exustus est. L. Philippus legatus Sullæ Sardiniam, Q. Antonio prætore pulso et occiso, occupavit. Sulla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis, velut erepturus civitatem [22] *et suffragii jus nuper datum, fœdus percussit. Idemque, ex fiducia jam certæ victoriæ, litigatores, a quibus adibatur, vadimonia Romam differre jussit, quum a parte diversa urbs adhuc teneretur. L. Damasippus prætor, ex voluntate C. Marii consulis quum senatum contraxisset, omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem trucidavit. ex cujus numero Q. Mucius Scævola pontifex maximus fugiens in vestibulo ædis Vestæ occisus est. Præterea bellum a L. Murena adversus Mithridatem in Asia renovatum continet.*

LXXXVII.

Sulla C. Marium, exercitu ejus fuso deletoque ad Sacriportum, in oppido Præneste obsedit. urbem Romam ex inimicorum manibus recepit. Marium erumpere tentantem repulit. Præterea res a legatis ejus, eadem ubique fortuna partium, gestas continet.

LXXXVIII.

Sulla Carbonem, [23] *exercitu ejus fuso ad Clusium, ad Faventiam Fidentiamque cæso, Italia expulit: cum Samnitibus, qui soli ex Italicis populis nondum arma posuerant, juxta urbem Romanam ante portam Collinam debellavit: recuperataque republica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinavit. Octo millia* [24] *deditorum* [25] *in villa publica trucidavit: tabulam proscriptionis posuit: urbem ac totam Italiam cædibus replevit: inter quas omnes Prænestinos inermes concidi jussit: Marium, senatorii ordinis virum, cruribus brachiisque fractis, auribus præsectis, et effossis oculis, necavit. C. Marius, Præneste obsessus* [26] *a Lucretio Ofella, Sullanarum partium viro, quum per cuniculum captaret evadere, septus ab exercitu,* [27] *mortem sibi conscivit. id est, in ipso cuniculo, quum sentiret se evadere non posse, cum Pontio Telesino, fugæ comite, stricto utrimque gladio, concurrit: quem quum occidisset, ipse saucius inpetravit a servo, ut se occideret.*

22 *Et suffragii jus nuper datum*] Vid. not. 20. ad epit. LXXXIV. supra.

23 *Exercitu ejus fuso ad Clusium*] Inseruit Gronovius ex aliquot MSS. *vi fuso.*

24 *Deditorum*] Magis placeret cum Pithœo apud Hearnium legere *deditiorum.*

25 *In villa publica*] Egregia Sigonii correctio, nixa auctoribus Augustino de Civ. Dei, III. 28. et Val. Max. IX. 2. Antea *in via.*

26 *A Lucretio Ofella*] Sic plane Campanus, et apud Hearnium Pithœus. Reliqui *Asella.*

27 *Mortem sibi conscivit: id est*] Gronovius duas ultimas voces adjecit ex quibusdam scriptis. Nos libenter assentiremur Sigonio hæc omnia delenti, ita ut legatur: *septus ab exercitu, in ipso cuniculo.*

LXXXIX.

[28] M. Brutus a Cn. Papirio Carbone, qui Cossuram adpulerat, missus nave piscatoria Lilybeum, ut exploraret, an ibi Pompeius esset, et [29] circumventus a navibus, quas Pompeius miserat, [30] in se mucrone verso, ad transtrum navis obnixus corporis pondere, incubuit. Cn. Pompeius, in Siciliam cum imperio a senatu missus, Cn. Carbonem, qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit. [31] Sulla, dictator factus, quod nemo unquam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit. [32] Rebus novis reipublicæ statum confirmavit, tribunorum plebis potestatem minuit, et omne jus legum ferendarum ademit. Pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim; senatum e equestri ordine subplevit: proscriptorum liberis jus petendorum honorum eripuit, et bona eorum vendidit; [33] ex quibus plurima primo rapuit. [34] redactum est sestertium ter millies quingenties. Q. Lucretium Ofellam, consulatum adversus voluntatem suam petere ausum, jussit occidi in foro: et, quum hoc indigne ferret populus Romanus, concione advocata, se jussisse dixit. Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum et Hiarbam, regem Numidiæ, bellum molientes, victos occidit; et, quatuor et viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod nulli contigerat, ex Africa triumphavit. [35] Cn. Norbanus consularis proscriptus, in urbe Rhodo quum comprehenderetur, ipse se occidit. Mutilus, unus ex proscriptis, clam capite adoperto [36] ad posticas ædes Bastiæ uxoris quum accessisset, admissus non est, quia illum proscriptum diceret, itaque se transfodit, et sanguine suo

28 *L. Brutus*] Sic olim legebatur. Sigonius dedit *M. Brutus*, eique obsecuti sunt editores. Sed hunc Brutum credimus cum Pighio non alium esse, quam L. Brutum Damasippum prætorem hujus anni, qui Carboni conjunctus memoratur libro sup. capp. 3. et 4.

29 *Circumventus a navibus*] Vocula *a* in Gronovianis editionibus male omissa fuerat: sed in vetustioribus omnibus reperitur.

30 *In se mucrone verso . . incubuit*] Magis placeret cum Gronovio legere *mucroni*.

31 *Sulla . . quod nemo unquam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit*] Solitum hoc dictatoribus, ut testantur Plut. in Fabio, Polyb. l. III. c. 87. Itaque vel erravit epitomes auctor, vel aliquod hic vitium est.

32 *Rebus novis reipublicæ statum confirmavit*] Sine ulla dubitatione assentimur Gronovio emendanti *legibus novis*.

33 *Ex quibus plurima primo rapuit*] Offendit τὸ *primo*. Nec opitulatur Gronovius, dum ex aliquot codd. affert *plurima præmia*, interpretaturque *prædas*. Fortasse aliquid intercidit, ut Sulla dictus fuerit plurima primo rapuisse, deinde cetera in publicum redegisse.

34 *Redactum est sestertium ter millies quingenties*] Marcæ argenti 1367187. unciæ 4.

35 *C. Norbanus*] Vulgo *Cn.* Sed ex Fastis Capitolinis, reliquisque omnibus veterum monumentis *C.* reponendum esse Sigonius monet, cui assentitur apud Hearnium Pithœus.

36 *Ad posticas ædes*] Ante Sigonium legebatur *ad posticum ædis*. Ille in vet. lib. reperit *ad posticias ædes*. Nec aliter Pithœus. Notum est *ædem* non dici de privata et profana domo.

res uxoris respersit. [37] *Sulla Nolam in Samnio recepit.* [38] *qua-aginta septem legiones in agros captos deduxit, et eos iis divi-. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum, deditionem accepit. Mitylenæ quoque in Asia, quæ sola urbs st victum Mithridatem arma retinebat, expugnatæ dirutæque ut.*

XC.

Sulla decessit, honosque ei a senatu habitus est, ut in campo Martia sepeliretur. M. Æmilius Lepidus, quum acta Sullæ tenret rescindere, bellum excitavit: et a Q. Catulo collega Italia ulsus est: et in Sardinia, frustra bellum molitus, periit. M. rutus, qui Cisalpinam Galliam obtinebat, a Cn. Pompeio cisus est. [39] *Q. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania gens bellum excitavit.* [40] *L. Manlius proconsul et* [41] *M. Dotitius legatus* [42] *ab Herculeio quæstore prœlio victi sunt. Præea res a P. Servilio proconsule adversus Cilicas gestas contit.*

XCI.

Cn. Pompeius, [43] *quum adhuc eques esset, cum imperio consuri adversus Sertorium missus est. Sertorius aliquot urbes pugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. p. Claudius proconsul Thracas pluribus prœliis vicit. Q. Metellus proconsul L. Herculeium, quæstorem Sertorii, cum vercitu cecidit.*

XCII.

Cn. Pompeius dubio eventu cum Sertorio pugnavit, ita ut ingula ex utraque parte cornua vicerint. Q. Metellus Sertorium t Perpernam cum duobus exercitibus prœlio fudit: cujus victoiæ partem cupiens ferre Pompeius parum prospere pugnavit. [44] *Obsessus deinde Cluniæ Sertorius, adsiduis eruptionibus non*

37 *Sulla Nolam in Samnio*] Non am *in Samnio*, quam *a Samnitibus* qui invaserant. Supra Epit. l. LXXIII. GRONOVIUS.

38 *Quadraginta septem legiones*] Imo res *et viginti*, si Appiano fides: et hoc verisimilius per se videtur.

39 *Q. Sertorius*] Unus e MSS. Gronovii ante hæc verba inserit: *Q. Sertorii viri bellicosissimi gesta referuntur*: itidemque alius, nisi quod *bellacissimi* habet pro *bellicosissimi*.

40 *L. Manlius*] Sic scribendum esse hoc nomen monuit Sigonius ex Orosio et Eutropio. Vulgo hic *L. Manlius*.

41 *M. Domitius*] Imo *L. Domitius*, ex Plut. et Eutropio.

42 *Ab Herculeio*] Alias *Hirtuleio*.

43 *Quum adhuc equester esset*] Sic dedit Sigonius ex quibusdam veteribus libris, quum prius editi haberent *quæstor esset*. Idem optime probat Pompeium tunc temporis quæstorem non fuisse, imo nunquam hunc magistratum gessisse. Sed dubitamus an *equester* pro *equite* dici possit: cujus rei nullum nobis suppetit exemplum. Itaque mallemus legere: *quum adhuc eques Rom. esset*.

44 *Obsessus . . Cluniæ*] Ante Grono-

leviora damna obsidentibus intulit. Præterea ab Curione proconsule in Thracia res gestas adversus Dardanos, et Q. Sertorii multa crudelia in suos facta continet; qui plurimos ex amicis et secum proscriptis, crimine proditionis insimulatos, occidit.

XCIII.

P. Servilius proconsul in Cilicia Isauros domuit, et aliquot urbes piratarum expugnavit. Nicomedes, Bithyniæ rex, moriens populum Romanum fecit hæredem, regnumque ejus in provinciæ formam redactum est. Mithridates, fœdere cum Sertorio icto, bellum populo Romano intulit. Adparatus deinde regiarum copiarum pedestrium navaliumque: et, occupata Bithynia, M. Aurelius Cotta consul ad Chalcedonem prœlio a rege victus est. [45] *resque a Pompeio et Metello adversus Sertorium gestas continet; qui omnibus belli militiæque artibus par fuit. quos etiam, ab obsidione Calagurris oppidi depulsos, coëgit diversas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam.*

XCIV.

[46] *L. Licinius Lucullus consul adversus Mithridatem equestribus prœliis feliciter pugnavit, et expeditiones aliquot prosperas fecit, poscentesque pugnam milites a seditione inhibuit. Deiotarus, Gallogræciæ tetrarches,* [47] *præfectos Mithridatis, bellum in Phrygia moventes, cecidit. Præterea res a Cn. Pompeio in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.*

XCV.

C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit. Quatuor et septuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt et, [48] *congregata servitiorum ergastulorumque multitudine, Crixo et Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum et* [49] *P. Varenum prætorem prœlio vicerunt. L. Lu-*

vium editi habebant *Calagurii*. Mutavit ille, et e vestigiis MSS. eruit nomen *Clunia*.

45 *Resque a Pompeio et Metello adversum Sertorium gestas continet*] Hic habemus emendationem Sigonii, qui priorum editionum omnino vitiosam lectionem ex vet. lib. correxit, adjiciens ex conjectura duas postremas voces.

46 *L. Licinius Lucullus*] Nomen et praenomen Luculli, et intra praenomen Pompeii ex MSS. suis addenda duxit Gronovius.

47 *Præfectos Mithridatis*] Hoc delebatur Sigonio. Antea *præfectus*, contra historiæ fidem.

48 *Congregata servitiorum ergastulorumque multitudine*] Sic edidit Gronovius ex suis MSS. Vulgo *servorum ergastulorumque*. Sed non spernendum id fortasse, quod, teste Sigonio, Claudius Puteanus in MSS. legisse se affirmat: *servorum ex ergastulis*.

49 *P. Varenum*] Sigonius ex Appiano et Frontino legendum putat *P. Varinium*.

cullus proconsul ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque delevit; pulsumque Bithynia regem, variis belli ac naufragiorum casibus fractum, coëgit in Pontum profugere.

XCVI.

Q. Arrius prætor Crixum, fugitivorum ducem, cum viginti millibus hominum cecidit. [50] *Cn. Lentulus consul male adversus Spartacum pugnavit. Ab eodem L. Gellius consul et Q. Arrius prætor acie victi sunt. Sertorius* [51] *a M'. Antonio, et M. Perperna, et aliis conjuratis in convivio interfectus est, octavo ducatus sui anno: magnus dux, et adversus duos imperatores, Pompeium et Metellum, sæpe par,* [52] *vel frequentius victor: ad ultimum desertus et proditus.* [53] *Imperium partium ad Marcum translatum est: quem Cn. Pompeius victum captumque interfecit, ac recepit Hispanias decimo fere anno, quam cœptum erat bellum. C. Cassius proconsul et Cn. Manlius prætor male adversus Spartacum pugnaverunt: idque bellum M. Crasso prætori mandatum est.*

XCVII.

M. Crassus prætor primum cum parte fugitivorum, quæ ex Gallis Germanisque constabat, feliciter pugnavit, cæsis hostium triginta quinque millibus, et duce eorum [54] *Granico.* [55] *Cum Spartaco deinde bellavit, cæsis cum ipso millibus sexaginta. M. Antonius prætor bellum adversus Cretenses, parum prospere susceptum, morte sua finivit. M. Lucullus proconsul Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto adversus Mithridatem feliciter pugnavit, cæsis hostium* [56] *amplius quam sexaginta millibus.* [57] *M. Crassus et Cn. Pompeius consules facti (sed Pompeius,*

50 *Cn. Lentulus*] Suum huic consuli prænomen restituit Sigonius, ex consensu auctorum omnium. Antea *C. Lentulus.*

51 *A Manio Antonio*] Vid. not. 53. infra.

52 *Vel frequentius superior*] Olim, *ut frequentius.* Sigonius ex vet. lib. dedit *vel.* Mallemus *et.*

53 *Imperium . . ad Marcum translatum est*] Ante Sigonium editi habebant *ad Marium:* quod erat contra historiæ fidem, ex qua constat, Sertorio occiso, Perpernam imperium invasisse. Bene ergo Sigonius ex vetere libro emendavit *ad Marcum.* At inde sequitur vitiose quoque olim cusos habuisse *a M. Antonio.* Si enim Antonio et Perpernæ idem prænomen *Marcus* fuisset, non constaret hoc loco ad utrum eorum imperium devenisset. Ideo Sigonius edi jussit *a Manio Antonio.*

54 *Granico*] In quibusdam Gronovii MSS. legitur *Ganico.* Plutarchus *Cannicium* vocat, Frontinus *Gannicum.*

55 *Cum Spartaco dein debellavit*] Sic legendum esse ipsa res monstrat, nulla prorsus mutatione, quum vulgo editi habeant *deinde bellavit.*

56 *Amplius quam*] Unus e Gronovii MSS. non agnoscit ultimam vocem, quæ nec necessaria est.

57 *M. Crassus et Cn. Pompeius consules facti (Pompeius*] Vetus lectio erat, *consules facti sunt sicut Pompeius,* vel *facti sic Pompeius.* Unde Sigonius mancam esse orationem exis-

antequam quæsturam gereret, ex equite Romano) tribunitiam potestatem restituerunt. Judicia quoque [58] *per L. Aurelium Cottam prætorem ad equites Romanos translata sunt. Mithridates, desperatione rerum suarum coactus, ad Tigranem Armeniæ regem confugit.*

XCVIII.

Machares, filius Mithridatis, Bospori rex, ab L. Lucullo in amicitiam receptus est. Cn. Lentulus et L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quatuor et sexaginta senatu motis: a quibus, lustro condito, censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia. L. Metellus prætor [59] *in Sicilia adversus piratas prospere rem gessit. Templum Jovis in Capitolio, quod incendio consumtum ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est. L. Lucullus in Armenia Mithridatem et Tigranem, et ingentes utriusque regis copias, pluribus prœliis fudit. Q. Metellus proconsul, bello sibi adversus Cretenses mandato, Cydoniam urbem obsedit. C. Triarius, legatus Luculli, adversus Mithridatem parum prospere pugnavit. Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem, summamque victoriæ inponeret, seditio militum tenuit, quia sequi nolebant: id est, quia* [60] *legiones Valerianæ, inpleta a se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt.*

XCIX.

Q. Metellus proconsul Gnosson, et Lyctum, et Cydoniam, et alias plurimas urbes expugnavit. L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi adsignarentur. Cn. Pompeius, lege ad populum lata, persequi piratas jussus, qui commercium annonæ intercluserant, intra quadragesimum diem toto mari eos expulit; belloque cum iis in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis agros et urbes dedit. Præterea res gestas a Q. Metello adversus Cretenses continet: et epistolas Metelli et Cn. Pom-

timaverat, legendumque: *consules facti, ut Crassus ex prætura, sic Pompeius,* Gronovius delendum potius aliquid, quam infulciendum judicavit, formavitque hanc lectionem quam secuti sumus.

58 *Per L. Aurelium Cottam*] Prænomen hujus prætoris ex Asconio mutavit Sigonius, quum olim hic legeretur *per M. Aurelium.* Ceterum lex ab eo lata de judiciis minus accurate ab epitomes concinnatore exhibetur. Ea enim communicabat judicia inter tres ordines, senatum, equites, et tribunos ærarios. Vid. infra c. 38. hujus libri.

59 *In Sicilia*] Hoc debetur Sigonio, quum prius legeretur *in Cilicia.* Hanc emendationem veram esse facile intelliget lector ex c. 29. hujus libri.

60 *Legiones Valerianæ, quæ*] Sic habuit vetus liber Sigonii, atque hæc lectio expeditissima est. Gronoviana et Dujatiana editiones carent *vv quæ.*

peii in vicem missas. Queritur Metellus, [61] *gloriam sibi rerum gestarum a Pompeio præripi, qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones. Pompeius rationem reddit, hoc se facere debuisse.*

C.

C. Manilius tribunus plebis magna indignatione nobilitatis legem tulit, ut Pompeio Mithridaticum bellum mandaretur. [62] *Concio ejus bona. Q. Metellus, perdomitis Cretensibus, liberæ in id tempus insulæ leges dedit. Cn. Pompeius, ad gerendum bellum adversus Mithridatem profectus, cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit, equestri prœlio Mithridatem vicit. Præterea bellum inter Phraatem Parthorum regem, et Tigranem Armeniorum, ac deinde inter Tigranem filium patremque gestum, continet.*

CI.

Cn. Pompeius Mithridatem, nocturno prœlio victum, coëgit Bosporon profugere. Tigranem in deditionem accepit, eique, ademtis Syria, Phœnice, Cilicia, regnum Armeniæ restituit. Conjuratio eorum, qui in petitione consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis consulibus, obpressa est. Cn. Pompeius, quum Mithridatem persequeretur, in ultimas ignotasque gentes penetravit. Iberos Albanosque, qui transitum non dabant, prœlio vicit. Præterea fugam Mithridatis per Colchos, Heniochosque, et res ab eo in Bosporo gestas continet.

CII.

Cn. Pompeius in provinciæ formam Pontum redegit. Pharnaces, filius Mithridatis, bellum patri intulit. Ab eo Mithridates obsessus in regia, quum veneno sumto parum profecisset ad mortem, a milite Gallo, nomine [63] *Bitœto, a quo, ut adjuvaret se, petierat, interfectus est. Cn. Pompeius Judæos subegit: fanum eorum in Hierosolyma, inviolatum ad id tempus, cepit.*

61 *Gloriam rerum ab se gesturum a Pompeio præteriri*] Vulgo hic legitur *a Pompeio sublatam præteriri.* Sed testatur Gronovius penultimam vocem abesse ab aliquot MSS. Itaque eam ut supervacuam et inelegantem resecuimus. Manifestum est mendum in verbo *præteriri.* Pro eo idem Gronovius subjicit *intercipi.* Sed quum duo codices habeant *gloriam sibi rerum,* totus hic locus videtur potius sic formandus: *gloriam sibi rerum gestarum a Pompeio præripi.*

62 *Concio ejus bona*] Hic suspicamur aliquid esse vitii. Sed parvi res est.

63 *Bituito*] Ante Sigonium hic legebatur *Bithoco.* Ille edi jussit *Bitœto,* quia apud Appianum vocatur hic Gallus Βίτωτος. Sed Gallicum nomen est *Bituitus,* quomodo Freinshemius expressit, infra c. 55.

L. Catilina, bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo prætore, et Cethego, et pluribus aliis, conjuravit de cæde consulum et senatus, incendiis urbis, et obprimenda republica; exercitu quoque in Etruria comparato. Ea conjuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est. Catilina urbe pulso, de reliquis conjuratis supplicium sumtum est.

CIII.

Catilina a C. Antonio proconsule cum exercitu cæsus est. P. Clodius accusatus, [64] *quod in habitu muliebri in sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset, et uxorem* [65] *maximi pontificis stuprasset, absolutus est.* [66] *C. Pontinius prætor Allobrogas, qui rebellaverant, ad Solonem domuit. P. Clodius ad plebem transiit. C. Cæsar Lusitanos subegit: eoque consulatus candidato, et captante rempublicam invadere, conspiratio inter tres principes civitatis facta est, Cn. Pompeium, M. Crassum, C. Cæsarem. Leges agrariæ a Cæsare consule cum magna contentione, invito senatu, et altero consule M. Bibulo, latæ sunt. C. Antonius proconsul in Thracia parum prospere rem gessit. M. Cicero, lege a P. Clodio tribuno plebis lata, quod indemnatos cives necavisset, in exsilium missus est. Cæsar, in provinciam Galliam profectus, Helvetios, vagam gentem, domuit: quæ, sedem quærens,* [67] *per provinciam Cæsaris Narbonem iter facere volebat. Præterea situm Galliarum continet.* [68] *Pompeius de liberis Mithridatis, Tigrane, et Tigranis filio, triumphavit: Magnusque a tota concione consalutatus est.*

CIV.

Prima pars libri situm Germaniæ moresque continet. C. Cæsar, quum adversus Germanos, qui Ariovisto duce in Gal-

64 *Quod . . intrasset: quumque uxorem*] Hæc verborum structura non immerito displicuit Gronovio: qui proinde, quum reperiret in quibusdam MSS. *Quod . . . cum intrasset et uxorem*, copulativam tollit; ita ut legi debeat: *Quod . . . quum intrasset, uxorem maximi pontificis stupravisset.*

65 *Maximi pontificis*] Hoc debetur Sigonio. Antea *Metelli pontificis*. Sed omnis historia testatur ad Cæsaris uxorem Pompeiam totum hoc negotium attinuisse.

66 *C. Pontinius*] Varie hoc nomen scribitur, *Pontinus, Pontinius, Pomptinus*. At in prænomine nulla dubitatio est. Ubique apud Ciceronem, apud Sallustium *C.* vocatur, non *Cn.* quomodo hactenus hoc loco legebatur.

67 *Per provinciam Cæsaris Narbonem iter facere*] Gronovius pro *Narbonem* legi jubet *Narbonensem*.

68 *Pompeius de liberis Mithridatis*] Sigonius multis disputat, hæc suo loco posita non esse, propterea quod constat Pompeium Pisone et Messala Coss. triumphasse, antequam cum Cæsare et Crasso societatem iniret, tertio anno ante Pisonis et Gabinii consulatum et exilium Ciceronis, et Cæsaris in Galliam adventum. Jam vero Gronovius in historia quoque vitium esse observat. Cur enim de liberis potius Mithridatis, quam de Mithridate ipso triumphasse Pompeius dicitur? Triumphavit Pompeius de Mithridate et Tigrane regibus, ductis ante currum liberis Mithridatis, et Tigranis filio Tigrane.

n transcenderant, exercitum duceret, rogatus ab Æduis et uanis, quorum ager possidebatur, trepidationem militum, pter metum novorum hostium ortam, adlocutione exercitus ibuit, et victos prœlio Germanos Gallia expulit. M. Cicero, mpeio inter alios orante, et [69] *T. Annio Milone tribuno bis agente, ingenti gaudio senatus ac totius Italiæ, ab ilio reductus est. Cn. Pompeio per quinquennium annonæ a mandata est. Cæsar Ambianos, Suessiones, Veromanus, Atrebates, Belgarum populos, quorum ingens multitudo t, prœlio victos in deditionem accepit: ac deinde* [70] *contra rvios unius civitatis cum magno discrimine pugnavit, eam- gentem delevit; quæ bellum gessit, donec ex sexaginta libus armatorum* [71] *trecenti superessent: ex sexcentis senatous tres tantum evaderent. Lege lata de redigenda in prociæ formam Cypro, et publicanda pecunia regia,* [72] *M. Cai administratio ejus rei mandata est. Ptolemæus, Ægypti , ob injurias, quas patiebatur a suis, regno pulsus, Romam it. C. Cæsar Venetos, gentem oceano junctam, navali elio vicit. Præterea res a legatis ejus eadem fortuna gestas tinet.*

CV.

Quum [73] *C. Catonis tribuni plebis intercessionibus comitia lerentur, senatus vestem mutavit. M. Cato in petitione eturæ, prælato Vatinio, repulsam tulit. idem, quum legem ediret, qua* [74] *provinciæ consulibus in quinquennium, Pomo Hispaniæ, Crasso Syria et Parthicum bellum, Cæsari llia et Germania dabantur, a C. Trebonio tribuno plebis, is auctore, in vincula ductus est. A. Gabinius proconsul olemæum reduxit in regnum Ægypti, ejecto Archelao, quem i regem adsciverant. Cæsar,* [75] *victis Germanis in Gallia sisque, Rhenum transcendit, et proximam partem Germaniæ muit: ac deinde oceano in Britanniam, primo parum prosre tempestatibus adversis, trajecit;* [76] *iterum parum felicius:*

69 *T. Annio Milone tribuno plebis ente*] Ultimam vocem adjecit ex ujectura Sigonius. Pompeius, qui at privatus, orabat: Milo tribunus ebis, agere debuit, ut revera fecit, n orare tantum.

70 *Contra Nervios, unam harum citatum*] Magis arridet, quod subjicit ronovius: *unam horum*, nempe Belarum, *civitatem.*

71 *Trecenti superessent*] *Quingentos* æsar superfuisse scribit.

72 *M. Catoni*] Male plerique editi, *C. Catoni.*

73 *C. Catonis*] Proba Sigonii emendatio. Antea, *M. Catonis.*

74 *Provinciæ consulibus*] Idem Sigonius recte pro *consulares* reposuit *consulibus.*

75 *Victis Germanis et in Gallia cæsis*] Magis placet unius MS. a Gronovio inspecti scriptura: *victis Germanis in Gallia cæsisque.*

76 *Iterum parum felicius*] Dele *rò parum* ex superiore versiculo inculcatum. GRONOVIUS.

magnaque multitudine hostium cæsa, aliquam partem insulæ in potestatem redegit.

CVI.

Julia Cæsaris filia, Pompeii uxor, decessit: honosque ei a populo habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. Gallorum aliquot populi, [77] *Ambiorige duce Eburonum, defecerunt: a quibus Cotta et* [78] *Titurius, legati Cæsaris, circumventi insidiis, cum exercitu, cui præerant, cæsi sunt. et quum aliarum quoque legionum castra oppugnata magno labore defensa essent,* [79] *interque eos, qui in Nerviis præerat, Q. Cicero, ab ipso Cæsare hostes prœlio fusi sunt. M. Crassus, bellum Parthis inlaturus, Euphratem fluvium transiit, victusque prœlio, in quo et filius ejus cecidit, quum reliquias exercitus in collem recepisset, evocatus in conloquium ab hostibus, velut de pace acturis, quorum dux erat Surenas, comprehensus, et, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est.*

CVII.

C. Cæsar, Treviris in Gallia victis, iterum in Germaniam transiit: nulloque ibi hoste invento, reversus in Galliam, Eburones et alias civitates, quæ conspiraverant, vicit, et Ambiorigem in fuga persecutus est. P. Clodii, a T. Annio Milone, candidato consulatus, Appia via ad Bovillas occisi, corpus plebs in curia cremavit. Quum seditiones inter candidatos consulatus Hypsæum, Scipionem, et Milonem essent, qui armis ac vi contendebant; ad comprimendas eas [80] *Cn. Pompeius legatus a senatu consul tertium factus est, absens et solus, quod nulli alii umquam contigit. Quæstione decreta de morte P. Clodii, Milo judicio damnatus in exsilium actus est.* [81] *Lex*

77 *Ambiorige duce Eburonum*] Hic aliquid deesse manifestum est. Gronovius reponit, *Ambiorige duce, rege Eburonum.*

78 *Titurius*] Hoc debetur Sigonio. Vetustius cusi habebant, *T. Aurunculeius:* Sigonii codices, *T. Veturius.* Verum nomen ille revocavit ex Cæsare.

79 *Interque eos, qui in Nerviis præerat, Q. Cicero*] Primo, nihil est in iis quæ præcedunt, quo referatur τὸ *eos.* Itaque lege cum Gronovio vel superius *aliorum quoque legatorum* pro *aliarum quoque legionum,* vel hic *interque ea, quibus . . præerat Q. Cicero.* Secundo, quum in plerisque editis legeretur *qui in Treviris præerat,* edi jussimus *in Nerviis,* obsecuti Jac. Gronovio, qui ita habuisse antiquitus cusos docet: et de ipsa re constat ex Cæsaris ipsius Comment. l. V.

80 *Cn. Pompeius legatus a senatu*] Vitium esse in voce *legatus,* manifestum est. Suspicatur Gronovius, *rogatus.*

81 *Lex lata est*] Hoc debetur Sigonio, qui reposuit verbum in hac re proprium *lata,* pro *dicta,* vel *data,* quomodo libri sive editi, sive scripti habebant.

lata est, ut ratio absentis Cæsaris in petitione consulatus haberetur, invito et contradicente M. Catone. Præterea res gestas a C. Cæsare adversus Gallos, qui prope universi, Vercingentorige Arverno duce, defecerunt, et laboriosas obsidiones urbium continet: inter quas Avarici Biturigum, et Gergoviæ Arvernorum.

CVIII.

C. Cæsar Gallos ad Alesiam vicit, omnesque Galliæ civitates, quæ in armis fuerant, in deditionem accepit. C. Cassius, quæstor M. Crassi, Parthos, qui in Syriam transcenderant, cecidit. In petitione consulatus M. Cato repulsam tulit, creatis consulibus Ser. Sulpicio, M. Marcello. C. Cæsar Bellovacos cum aliis Gallorum populis domuit. Præterea contentiones inter consules de successore C. Cæsari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, ut Cæsar ad petitionem consulatus veniret, quum is lege lata [82] *in id tempus consulatus provincias obtinere deberet, resque a M. Bibulo in Syria gestas continet.*

CIX.

Caussæ civilium armorum et initia referuntur, contentionesque de successore C. Cæsari mittendo, quum se dimissurum exercitus negaret, [83] *nisi a Pompeio dimitterentur. Et C. Curionis tribuni plebis* [84] *primum adversus Cæsarem, dein pro Cæsare actiones continet. Quum senatusconsultum factum esset, ut successor Cæsari mitteretur, M. Antonio et Q. Cassio tribunis plebis, quoniam intercessionibus id senatusconsultum impediebant, urbe pulsis, mandatum est a senatu consulibus et Cn. Pompeio, ut viderent, ne quid respublica detrimenti caperet. C. Cæsar, bello inimicos persecuturus, cum exercitu in Italiam venit: Corfinium cum L. Domitio et* [85] *L. Lentulo cepit, eosque dimisit. Cn. Pompeium ceterosque partium ejus Italia expulit.*

82 *In id tempus consulatus*] Merito delet vel id Gronovius.

83 *Nisi a Pompeio*] Melius: *nisi et a Pompeio.* Gronovius.

84 *Primum adversus Cæsarem, dein pro Cæsare actiones*] Hanc lectionem Sigonius concinnavit ad historiæ fidem. Ipse inveniebat in libris: *Primum adversum Cæsarem de populo Romano Cæsare actiones.*

85 *P. Lentulo*] Male vulgatæ editiones *L. Lentulo.* Is enim est P. Lentulus Spinther, qui consul Ciceronem in patriam restituerat. Vid. infra. c. 65.

CX.

C. Cæsar Massiliam, quæ portas ipsi clauserat, obsedit: et, relictis in obsidione urbis ejus legatis, C. Trebonio et D. Bruto, profectus in Hispaniam, L. Afranium et M. Petreium, legatos Cn. Pompeii, cum septem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit, omnesque incolumes dimisit, Varrone quoque legato Pompeii cum exercitu in potestatem suam redacto. Gaditanis civitatem dedit. Massilienses, duobus navalibus prœliis victi, post longam obsidionem potestati Cæsaris se permiserunt. C. Antonius, legatus Cæsaris, male contra Pompeianos in Illyrico rebus gestis, captus est. In quo bello Opitergini Transpadani, Cæsaris auxiliares, rate sua ab hostilibus navibus clausa, potius, quam in potestatem hostium venirent, inter se concurrentes obcubuerunt. C. Curio, legatus Cæsaris in Africa, quum prospere[86] *adversus Varum, Pompeianarum partium ducem, pugnasset, a Juba rege Mauritaniæ cum exercitu cæsus est. C. Cæsar in Græciam trajecit.*

CXI.

[87] *M. Cœlius Rufus prætor, quum seditiones in urbe concitaret, novarum tabularum spe plebe sollicitata, abrogato magistratu pulsus urbe, Miloni exsuli, qui fugitivorum exercitum contraxerat, se conjunxit. uterque, quum bellum molirentur, interfecti sunt. Cleopatra, Ægypti regina, a Ptolemæo fratre regno pulsa est. Propter*[88] *Q. Cassii prætoris avaritiam crudelitatemque Cordubenses in Hispania*[89] *cum duabus Varianis legionibus a partibus Cæsaris desciverunt. Cn. Pompeius, ad Dyrrachium obsessus a Cæsare, et, præsidiis ejus cum magna clade diversæ partis expugnatis, obsidione liberatus, translato in Thessaliam bello, apud Pharsaliam acie victus est. Cicero in castris remansit, vir nihil minus quam ad bella natus; omnibusque adversarum partium, qui se potestati victoris permiserunt, Cæsar ignovit.*

86 *Adversus Varum*] Olim *Varronem*. Correxit Sigonius.

87 *M. Cœlius Rufus*] Verum huic prætori nomen restituit Sigonius, quum ante eum corrupte legeretur *M. Cæcilius*. Is est Cœlius orator, cujus exstant ad Ciceronem epistolæ, qui ab eodem Cicerone defensus est luculenta oratione; quem omnis horum temporum historia describit acrem, inquietum, novarum rerum cupidum.

88 *Q. Cassii*] Et hoc debetur Sigonio. Olim *Q. Catuli*.

89 *Cum duabus Varianis legionibus*] Jac. Gronovius recte monet legendum *Varronianis*, id est, legionibus iis quæ sub M. Varrone militaverant. Vid. supra, CX. 36. et Auct. de B. Alexandrino capp. 53. 57. 58.

CXII.

Trepidatio victarum partium in diversas orbis terrarum partes et fuga referuntur. Cn. Pompeius, quum Ægyptum petisset, jussu Ptolemæi regis pupilli, auctore Theodoto præceptore, cujus magna apud regem auctoritas erat, et Pothino, occisus est ab Achilla, cui id facinus erat delegatum, in navicula, antequam in terram exiret. Cornelia uxor et Sex. Pompeius filius Cypron refugerunt. Cæsar, post tertium diem insecutus, quum ei Theodotus caput Pompeii et annulum obtulisset, [90] *et infensus est, et inlacrimavit. sine periculo Alexandriam tumultuantem intravit. Cæsar, dictator creatus, Cleopatram in regnum Ægypti reduxit, et inferentem bellum iisdem auctoribus Ptolemæum, quibus Pompeium interfecerat, cum magno suo discrimine vicit. Ptolemæus dum fugit, in Nilo navicula subsedit. Præterea laboriosum M. Catonis in Africa per deserta cum legionibus iter, et bellum a Cn. Domitio contra Pharnacem* [91] *parum prospere gestum continet.*

CXIII.

Confirmatis in Africa Pompeianis partibus, imperium earum P. Scipioni delatum est; Catone, cui ex æquo deferebatur imperium, cedente. Et quum de diruenda urbe Utica propter favorem civitatis ejus in Cæsarem deliberaretur, idque ne fieret, M. Cato tenuisset, Juba suadente, ut diroeretur; tutela ejus et custodia mandata est Catoni. [92] *Cn. Pompeius Magni filius in Hispania, contractis viribus, quarum ducatum nec Afranius, nec Petreius excipere volebant, bellum adversus Cæsarem renovavit. Pharnaces, Mithridatis filius, rex Ponti, sine ulla belli mora victus est. Quum seditiones Romæ a P. Dolabella tribuno plebis, legem ferente de novis tabulis, excitatæ essent, et ex ea causso plebs tumultuaretur, inductis a M. Antonio magistro equitum in urbem militibus, octingenti e plebe cæsi sunt.*

90 *Et infensus est, et illacrymavit, sine periculo*] Lege cum Gronovio, *et offensus est, et illacrymavit; nec sine periculo.*

91 *Parum prospere*] Vocem *parum* adjecit Sigonius et historiæ fide. Vid. finem hujus libri.

92 *Cn. Pompeius Magni filius*] Sigonius ex veteribus, ut ait, libris legi jusserat, *Inde Pompeius.* Sed vd *inde* hic supervacuum est. Præterea quum duo filii Pompeii essent, qui prænominibus distinguebantur, verisimile admodum est auctorem epitomes, ei de quo agebat suum prænomen addidisse. Atque illud clare expressum reperitur in uno e codd. a Gronovio inspectis. Itaque admisimus.

Cæsar veteranis cum seditione missionem postulantibus dedit: et, quum in Africam trajecisset, contra copias Jubæ regis cum discrimine magno pugnavit.

CXIV.

Bellum in Syria Cæcilius Bassus, eques Romanus Pompeianarum partium excitavit, relicto a legione Sex. Cæsare, quæ ad Bassum transierat, [93] *occisoque eo. Cæsar* [94] *Scipionem prætorem, Afranium, Jubamque vicit ad Thapsum, castris eorum expugnatis. Cato, audita re, quum se percussisset Uticæ, et, interveniente filio, curaretur, inter ipsam curationem rescisso vulnere exspiravit, anno ætatis quadragesimo nono. Petreius Jubam seque interfecit. P. Scipio in nave circumventus honestæ morti* [95] *vocem quoque adjecit: quærentibus enim imperatorem hostibus dixit,* Imperator bene se habet. *Faustus et Afranius occisi. Catonis filio venia data. Brutus, legatus Cæsaris, in Gallia Bellovacos rebellantes prœlio vicit.*

CXV.

Cæsar quatuor triumphos duxit; ex Gallia, ex Ægypto, ex Ponto, ex Africa. Epulum et omnis generis spectacula dedit. M. Marcello consulari, senatu rogante, reditum concessit. [96] *Qui Marcellus beneficio ejus frui non potuit, a* [97] *Cn. Magio Cilone cliente suo Athenis occisus. Recensum egit, quo censu sunt civium capita centum quinquaginta millia. Profectusque in Hispaniam adversus Cn. Pompeium, multis utrimque expeditionibus factis, et aliquot urbibus expugnatis, summam victoriam cum magno discrimine ad Mundam urbem consecutus est. Pompeius Sextus effugit.*

93 *Occisoque eo*] Hic τελείαν συγγραφὴν apposuimus, obsecuti Sigonio et Jac. Perizonio. Hic quidem etiam deleri jubet vocem *eo*, nec sine causa. Agitur enim de Sexto Cæsare, qui relictus a legione occisus est.

94 *Scipionem prætorem*] Lege cum Gronovio vel *Scipionem proconsulem*, vel *Scipionem, Petreium*.

95 *Vocem quoque*] Hic inserit Gronovius *parem*, vel *memorabilem*.

96 *Qui Marcellus beneficio ejus*] Gronovius quum repererit in uno MS. *Qui beneficio ejus Marcellus*, rescribit, *Quo beneficio ejus Marcellus*: recte.

97 *P. Magio*] Sigonius jussit legi *Cn. Magio*, causamque addidit, quod nempe sic ille interfector Marcelli nominaretur in epistola Servii ad Ciceronem. Sed eæ Ciceronis editiones quas vidimus, atque in iis Græviana, habent *P. Magio*, quomodo hic ante Sigonii emendationem legebatur.

CXVI.

C. Cæsar ex Hispania quintum triumphum egit. Et, quum plurimi maximique honores ei a senatu decreti essent, inter quos ut Pater Patriæ *adpellaretur, et sacrosanctus, ac dictator in perpetuum esset, invidiæ caussam adversus eum præstitere, quod senatui deferenti hos honores, quum ante ædem Veneris Genitricis sederet, non adsurrexit: et quod a M. Antonio consule collega suo, inter Lupercos currente, diadema capiti suo inpositum in sella reposuit: et quod Epidio Marullo et Cæsetio Flavo tribunis plebis invidiam ei tamquam regnum adfectanti moventibus, potestas abrogata est. Ex iis caussis conspiratione in eum facta, (cujus capita fuerunt M. Brutus, et C. Cassius, et ex Cæsaris partibus D. Brutus et C. Trebonius) in Pompeii curia occisus est viginti tribus vulneribus, occupatumque ab interfectoribus ejus Capitolium. Oblivione deinde cædis ejus a senatu decreta, obsidibus Antonii et Lepidi liberis acceptis, conjurati a Capitolio descenderunt. Testamento Cæsaris hæres ex parte dimidia institutus C. Octavius sororis nepos, et in nomen adoptatus est. Cæsaris corpus, quum in campum Martium ferretur, a plebe ante rostra crematum est. Dictaturæ honos in perpetuum sublatus est. C. Amatius, humillimæ sortis homo, qui se C. Marii filium ferebat, quum apud credulam plebem seditiones moveret, necatus est.*

CXVII.

C. Octavius Romam ex Epiro venit, (eo enim illum Cæsar præmiserat, bellum in Macedonia gesturus) ominibusque prosperis exceptus etiam nomen Cæsaris *sumsit. In confusione rerum ac tumultu* [98] *Lepidus pontificatum maximum intercepit. Sed M. Antonius consul, quum inpotenter dominaretur, legemque de permutatione provinciarum per vim tulisset, et Cæsarem quoque, petentem, ut sibi adversus percussores avunculi adesset, magnis injuriis adfecisset: Cæsar, et sibi, et reipublicæ vires adversus eum paraturus, deductos in colonias veteranos excitavit. Legiones quoque quarta et Martia* [99] *signa ab Antonio ad Cæsarem tulerunt.* [1] *Deinde et complures sævitia M. An-*

98 *Lepidus pontificatum maximum intercepit*] Hoc loco habemus conjecturam Sigonii, qui ex historiæ veritate veterem lectionem vitiosissimam emendavit. Legebatur nempe: *Lepidum pontificem maximum interemit.*

99 *Signa ab Antonio ad Cæsarem tulerunt*] Legendum existimamus *transtulerunt.*

1 *Deinde et complures*] Totam hanc periodum refingit Gronovius in hunc modum: *Deinde et complures sævitia,*

tonii, passim in castris suis trucidati, quia et suspecti erant, ad Cæsarem desciverunt. D. Brutus, ut petenti Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupavit. Præterea discursus utriusque partis virorum ad accipiendas provincias, adparatusque belli continet.

CXVIII.

M. Brutus in Græcia, sub prætextu reipublicæ et suscepti contra M. Antonium belli, exercitum, cui Vatinius præerat, cum provincia in potestatem suam redegit. C. Cæsari, [2] *qui primus reipublicæ arma sumserat,* [3] *proprætoris imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis; adjectumque, ut senator esset. M. Antonius D. Brutum Mutinæ obsedit. missique ad eum a senatu legati de pace parum ad eam componendam valuerunt. Populus Romanus saga sumsit. M. Brutus in Epiro C. Antonium prætorem cum exercitu potestati suæ subjecit.*

CXIX.

C. Trebonius in Asia fraude P. Dolabellæ occisus est. Ob id facinus Dolabella hostis a senatu judicatus est. Quum Pansa consul male adversus Antonium pugnasset, A. Hirtius consul cum exercitu superveniens, fusis M. Antonii copiis, fortunam utriusque partis æquavit. Victus deinde ab Hirtio et Cæsare Antonius in Galliam confugit, et M. Lepidum cum legionibus, quæ sub ipso erant, sibi junxit: hostisque a senatu cum omnibus, qui intra præsidia ejus essent, judicatus est. A. Hirtius, qui post victoriam in ipsis hostium castris ceciderat, et C. Pansa, e vulnere, quod in adverso prœlio exceperat, defunctus, in campo Martio sepulti sunt. Adversus C. Cæsarem, qui solus e tribus ducibus supererat, parum gratus senatus fuit: qui, D. Bruto, obsidione Mutinensi a Cæsare liberato, honore triumphi decreto, Cæsaris militumque ejus mentionem non satis gratam habuit: ob quæ C. Cæsar, reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia, Romam cum exercitu venit,

sive *ob sævitiam M. Antonii, passim in castris suis trucidantis qui suspecti erant, ad Cæsarem desciverunt.*

2 *Qui primus reipublicæ arma sumpserat*] Lege cum Gronovio *qui privatus pro republica arma sumpserat.* Passim a Cicerone, Velleio, Tacito, et ceteris scriptoribus, hoc sedulo notatur, Octavium *privato* consilio arma cepisse, *privatis* armis defendisse rempublicam.

3 *Proprætoris imperium*] Hæc certissima est Sigonii conjectura. Vid. infra, c. 10. Antea, *pro populo Romano imperium.* Nimirum, ut sæpe factum est, litteræ *PR.* scribarum ignorantia vel incuria abierunt in has voces *populo Romano.*

et, perculsis adventu ejus iis, qui in eum iniqui erant, [4] *quum annos novemdecim haberet, consul creatus est.*

CXX.

Cæsar consul legem tulit de quæstione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset: postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus, absentes damnati sunt. Quum M. Antonio vires Asinius quoque Pollio et Munatius Plancus, cum exercitibus suis adjuncti, ampliassent, et D. Brutus, cui senatus, ut persequeretur Antonium, mandaverat, relictus a legionibus suis, profugisset; jussu Antonii, in cujus potestatem venerat, a Capeno Sequano interfectus est. C. Cæsar pacem cum Antonio et Lepido fecit: ita ut tresviri reipublicæ constituendæ per quinquennium essent ipse, et Lepidus, et Antonius; et ut suos quisque inimicos proscriberent. in qua proscriptione plurimi equites Romani, centum triginta senatorum nomina fuerunt, et inter eos L. Paulli fratris M. Lepidi, et L. Cæsaris Antonii avunculi, et M. Ciceronis. hujus, occisi a Popillio legionario milite, quum haberet annos sexaginta tres, caput quoque cum dextra manu in rostris positum est. Præterea res a M. Bruto in Græcia gestas continet.

CXXI.

C. Cassius, cui mandatum a senatu erat, ut Dolabellam hostem judicatum bello persequeretur, auctoritate reipublicæ adjutus, Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem provincia erant, in potestatem suam redegit. Dolabellam, in urbe Laodicea obsessum, mori coëgit. M. quoque Bruti jussu C. Antonius captus, occisus est.

CXXII.

M. Brutus adversus Thracas parum prospere rem gessit; omnibusque transmarinis provinciis exercitibusque in potestatem ejus et C. Cassii redactis, coïerunt Smyrnæ uterque ad ordi-

4 *Quum annos novemdecim haberet*] Vid. infra, cap. ult. hujus libri.

nanda belli futuri consilia. M. Messallæ Poplicolam fratrem [5] *victum communi consilio condonaverunt.*

CXXIII.

Sex. Pompeius, Magni filius, lectis ex Epiro proscriptis ac fugitivis, cum exercitu diu, sine ulla loci cujusquam possessione, prædatus in mari, Messanam oppidum in Sicilia primum, deinde totam provinciam occupavit: occisoque A. Pompeio Bithynico prætore, Q. Salvidienum legatum Cæsaris navali prœlio vicit. Cæsar et Antonius cum exercitibus in Græciam trajecerunt, bellum contra Brutum et Cassium gesturi. Q. Cornificius in Africa [6] *T. Sextium, Cassianarum partium ducem, prœlio vicit.*

CXXIV.

C. Cæsar et Antonius apud Philippos vario eventu adversus Brutum et Cassium pugnaverunt, [7] *ita ut dextra utriusque cornua vincerent, et castra quoque utrimque ab iis, qui vicerant, expugnarentur. Sed inæqualem fortunam partium mors Cassii fecit: qui, quum in eo cornu fuisset, quod pulsum erat, totum exercitum fusum ratus, mortem sibi conscivit. Altero deinde prœlio victus M. Brutus et ipse vitam finivit, exorato Stratone fugæ comite, ut sibi gladium adigeret,* [8] *annorum circiter quadraginta, inter quos Q. Hortensius occisus est.*

5 *Victum*] Sic dedit Sigonius, quum prius editi haberent *junctum*. Neutrum placet Gronovio, qui legi jubet *insidiarum convictum*. Vid. c. I. et 7. hujus libri.

6 *T. Sestium, Cassianarum partium ducem*] Lege cum Henr. Valesio, *Cæsarianarum partium*. Ratio patebit ex ipsa historia, infra, c. ult.

7 *Ita ut dextra utriusque cornua*] Vel *utriusque aciei*, vel *utrorumque*, vel *utrimque*. GRONOVIUS.

8 *Annorum circiter quadraginta. Inter quos*] Locum hunc mutilum esse perspicue patet. Sigonius eum supplere conatus est, jussitque legi: *Romanorum principum circiter quadraginta idem fecerunt. Inter quos.* Atque hanc emendationem Dujatius et Clericus receperunt. Sed primo nimia licentia est tot voces ex mera conjectura in contextum immittere. Tum numerus quadraginta principum Romanorum qui tum interierint, apud nullum vetustum scriptorem reperitur; multo minus, qui idem fecerint quod Brutus id est qui sese a suis confodi voluerint quod quidem etiam falsum putamus. Denique, quum Hortensius jussu Antonii occisus sit, non potest in eorum numerum referri, qui idem fecerint quod Brutus. Repræsentamus ergo hic eam lectionem, quam in vet. lib. Sigonius se invenisse testatur, et expressit in sua editione Gronovius. Satiusque nobis visum est mancam hiulcam orationem exhibere, quam ea quæ specie falsæ sanitatis imponere. Vetustiores editiones habent: *annorum erat ætatis circiter quadraginta.*

CXXV.

[9] *C. Cæsar, relicto Antonio, transmarinæ provinciæ ex parte imperium ei cessit: reversus in Italiam veteranis agros divisit. Seditiones exercitus sui, quas conrupti a Fulvia, M. Antonii uxore, milites adversus imperatorem suum concitaverant, cum gravi periculo inhibuit. L. Antonius consul, M. Antonii frater, eadem Fulvia consiliante, bellum Cæsari intulit; receptis in partes suas populis, quorum agri veteranis adsignati erant, et M. Lepido, qui custodiæ urbis cum exercitu præerat, fuso, hostiliter in urbem inrupit.*

CXXVI.

C. Cæsar, quum esset annorum viginti trium, obsessum in oppido Perusia L. Antonium conatumque aliquoties erumpere, et repulsum, fame coëgit in deditionem venire; ipsique et omnibus militibus ejus ignovit. Perusiam diruit. redactisque in potestatem suam omnibus diversæ partis exercitibus, bellum citra ullum sanguinem confecit.

CXXVII.

Parthi, Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat, duce, in Syriam inruperunt: victoque Decidio Saxa, M. Antonii legato, totam eam provinciam occupaverunt. M. Antonius, quum ad bellum contra Cæsarem gerendum incitaretur, uxore Fulvia dimissa, ne concordiæ ducum obstaret, pace facta cum Cæsare, sororem ejus Octaviam in matrimonium duxit. Q. Salvidienum, consilia nefaria contra Cæsarem molitum, indicio suo protraxit, isque damnatus mortem sibi conscivit. P. Ventidius, Antonii legatus, Parthos, prœlio victos, Syria expulit, Labieno eorum duce occiso. Quum vicinus Italiæ hostis Sex. Pompeius Siciliam teneret, et commercium annonæ inpediret, cum eo postulatam pacem Cæsar et Antonius fecerunt, ita ut Siciliam provinciam haberet. Præterea motus Africæ [10] *et bella ibi gesta continet.*

9 C. *Cæsar, relicto Antonio, transmarinæ provinciæ ex parte imperium ei cessit*] Hæc mendosa esse perspicuum est. Gronovius ex variis membranis inter se collatis, conjectura quoque nonnihil adjuvante, emendat: *C. Cæsar, relicto trans mare Antonio, (quæ provinciæ ex parte,* mallemus *ex partitione imperii, in potestatem ejus cesserant) reversus in Italiam.*

10 *Et bella ibi gesta*] Addidimus voculam *ibi*, quam in vet. cod. exstare Sigonius testatur.

CXXVIII.

Quum Sex. Pompeius rursus latrociniis mare infectum redderet, nec pacem, quam acceperat, præstaret, Cæsar, necessario adversus eum bello suscepto, duobus navalibus prœliis dubio eventu pugnavit. P. Ventidius, legatus M. Antonii, Parthos in Syria prœlio vicit, regemque eorum occidit. Judæi quoque a legatis Antonii subacti sunt. Præterea belli Siculi adparatum continet.

CXXIX.

Adversus Sex. Pompeium vario eventu navalibus prœliis pugnatum est: ita ut ex duabus Cæsaris classibus altera, cui Agrippa præerat, vinceret; altera, quam Cæsar duxerat, deleta, expositi in terram milites in magno periculo essent. Victus deinde Pompeius in Siciliam profugit. M. Lepidus, qui ex Africa velut ad societatem belli, contra Sex. Pompeium a Cæsare gerendi, trajecerat, quum bellum Cæsari quoque inferret, relictus ab exercitu, abrogato triumviratus honore, vitam inpetravit. M. Agrippa navali corona a Cæsare donatus est; qui honos nulli ante eum habitus erat.

CXXX.

M. Antonius, [11] *dum cum Cleopatra luxuriatur, tarde Mediam ingressus, bellum cum legionibus octodecim et sexdecim millibus equitum Parthis intulit: et quum, duabus legionibus amissis, nulla re prospere cedente, retro rediret, insecutus subinde Parthis, et ingenti trepidatione, et magno totius exercitus periculo, in Armeniam reversus est, viginti et uno diebus* [12] *trecenta millia fuga emensus. circa octo millia hominum tempestatibus amisit. tempestates quoque infestas, super tam infeliciter susceptum Parthicum bellum culpa sua passus est; quia hiemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram festinat.*

CXXXI.

Sex. Pompeius, quum in fidem M. Antonii veniret, bellum adversus eum in Asia moliens, obpressus a legatis ejus, occisus

11 *Dum cum Cleopatra luxuriaretur*] Scribit Gronovius *luxuriatur*, ex duobus MSS.

12 *Trecenta millia*] Centum leucas nostrates.

est. Cæsar seditionem veteranorum, cum magna pernicie motam, inhibuit: Japydas, et Dalmatas, et Pannonios subegit. Antonius Artavasdem, Armeniæ regem, fide data perductum, in vincula conjici jussit, regnumque Armeniæ filio suo, ex Cleopatra nato, dedit; quam uxoris loco, jam pridem captus amore ejus, habere cœperat.

CXXXII.

Cæsar in Illyrico Dalmatas domuit. Quum M. Antonius ob amorem Cleopatræ, ex qua duos filios habebat, Philadelphum et Alexandrum, neque in urbem venire vellet, neque, finito triumviratus tempore, imperium deponere, bellumque moliretur, quod urbi et Italiæ inferret, ingentibus tam navalibus quam terrestribus copiis ob hoc contractis, remissoque Octaviæ sorori Cæsaris repudio, Cæsar in Epirum cum exercitu trajecit. Pugnæ deinde navales et prœlia equestria secunda Cæsaris referuntur.

CXXXIII.

M. Antonius ad Actium classe victus, Alexandriam profugit; obsessusque a Cæsare, in ultima rerum desperatione, præcipue occisæ Cleopatræ falso rumore inpulsus, se ipse interfecit. Cæsar, Alexandria in potestatem redacta, Cleopatra, ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte defuncta, in urbem reversus, tres triumphos egit: unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, [13] *tertium de Cleopatra, inposito fine civilibus bellis* [14] *altero et vigesimo anno. M. Lepidus, Lepidi, qui triumvir fuerat, filius, conjuratione contra Cæsarem facta, bellum moliens, obpressus et occisus est.*

CXXXIV.

Cæsar, rebus compositis, et omnibus provinciis in certam formam redactis, Augustus *quoque cognominatus est:* [15] *et*

13 *Tertium de Cleopatra*] Sic legi jussit Sigonius, non *ex Cleopatra*, quoniam cum nominibus hominum propriis verbum *triumphare* postulat præpositionem *de*, non *ex*.

14 *Altero et vicesimo anno*] Hic quoque habemus emendationem Sigonii, nixam quum auctoritate veterum librorum, tum subducta temporum ratione. A Lentulo quippe et Marcello Coss. quibus primum civilia mota sunt arma, alter et vicesimus annus est is quo Actiacum triumphum egit Cæsar Octavianus, se V. et Sex. Apuleio, Coss. Ante Sigonium legebatur *altero et trigesimo*.

15 *Et mensis Sextilis*] Lege cum Gronovio, *ut et mensis Sextilis*.

mensis Sextilis in honorem ejus adpellatus est. Quum ille conventum Narbone ageret, census a tribus Galliis, quas Cæsar pater vicerat, actus. Bellum adversus Bastarnas, et Mœsos, et alias gentes, a M. Crasso gestum, refertur.

CXXXV.

Bellum a M. Crasso adversus Thracas, et a Cæsare adversus Hispanos gestum refertur: et Salassi, gens Alpina, perdomiti.

CXXXVI.

[16] *Rætia a Ti. Nerone et Druso, Cæsaris privignis, domita. Agrippa, Cæsaris gener, mortuus; et a Druso census actus est.*

CXXXVII.

Civitates Germaniæ, cis Rhenum et trans Rhenum positæ, obpugnantur a Druso; et tumultus, qui ob censum exortus in Gallia erat, compositus; ara Cæsari ad confluentem Araris et Rhodani dedicata, sacerdote creato C. Julio [17] *Vercundari Dubio Æduo.*

CXXXVIII.

Thraces domiti [18] *a L. Pisone; item Cherusci, Tencteri, Chatti, aliæque Germanorum trans Rhenum gentes subactæ a Druso referuntur. Octavia, soror Augusti, defuncta, antea amisso filio Marcello: cujus monumenta sunt theatrum et porticus, nomine ejus dedicata.*

16 *Rhætia*] Variis, nec spernendis, argumentis probare nititur Sigonius in nota ad hanc epitomen, desiderari duos libros ante hunc, qui expleant numerum 142. librorum, quot a Livio Petrarcha scriptos esse ait. Nimirum aliquot eventa horum annorum sane nobilia et memorabilia, ludi seculares, Janus clausus, tribunitia potestas ab Augusto accepta, quæ scriptor harum epitomarum minime prætermissa voluisse existimandus est, quum hic nusquam indicentur, inde oritur non vana suspicio intercidisse epitomas quæ illorum mentionem facerent. Et a Salassis perdomitis, quæ postrema sunt epitomes 135. verba, ad Rhætiam a Tiberio subactam, quod intervallum est undecim annorum, transiluisse hunc epitomarum scriptorem, parum verisimile est.

17 *Verdunari dubio*] Nomen hoc aliter aliis in codicibus habetur. Quænam vera sit lectio, nec facile est decernere, nec inquirere operæ pretium est.

18 *A L. Pisone*] Ante Sigonium legebatur *a L. Scipione*. Correxit ill ex Dione, Velleio, Tacito.

INDEX

IN

TITI LIVII HISTORIARUM

LIBROS.

INDEX

IN

TITI LIVII HISTORIARUM

LIBROS.

INDEX

IN

TITI LIVII HISTORIARUM

LIBROS.

A.

ABACI cum aliis luxus instrumentis primum Romam advecti, 39, 6.
Abba, urbs Africæ, 30, 7.
Abbassus, oppidum, 38, 15.
Abdera, oppidum, 45, 29.
Abderitæ queruntur apud senatum de crudelitate Hortensii, et in integrum restituuntur, 43, 6.
Abderitarum ager, 38, 41.
Abelox, nobilis Sagunti Hispanus, obsides Hispanorum Sagunto eductos tradit Romanis, 22, 22.
Abori origines junguntur fœdere Trojanis, 1, 1. petuntur bello, ducemque Latium amittunt, 2.
Abrupolis regno expulsus a Perseo, 42, 3. 40.
Aburius, legatus ad Masinissam et Carthaginienses, 42, 35.
Aburius, tribunus plebis, moram fert M. Fulvio triumphum petenti, 4. prætor, 41, 18. jurisdictionem inter peregrinos sortitur, 19.
Abydus, Hellesponti urbs, 32, 33. 33, 38. oppugnata a Philippo, 31, 14. 6. Abydeni in rabiem versi, sese omnes vias leti interficiunt, 17, Abydus oppugnata a Romanis, 16. et 12. relinquitur obsidio, 12.
Acadia, gymnasium Athenis, 31, 24.
Acarnania urbs vi capitur, ac diripitur, 5.
Acarnanes diremti ab Ætolis, 26, 24. Ætolis victi Philippum adversus Romanos assunt, 25. conjurant, se nisi ex acie non redituros, *ibid.* cum Romanis inito, ab Philippo Macedoniæ rege adscribuntur, 31.
Acarnanes juvenes, in Cereris Inibeniensibus interfectos, Atticam depopulantur auxilio Macedonum, 31, 14.
eorum concilium Leucadem indicitur, 33, 16. respuunt societatem Romanam, *ibid.* in deditionem populi Romani veniunt, 17.
tentantur ab Antiocho, 36, 11. *et* 12.
Acarnanum factiones, 43, 19.
eorum concilio Leucas eximitur, 45, 31.
Acarnania inter Ætoliam atque Epirum posita, 33, 17.
Acarnanum portus, 28, 7.
Accensi, 1, 43. 8, 8.
Accius Navius, augur, cotem novacula discidit, 1, 36.
Accua oppidum, vi captum, 24, 20.
Vibius Accuæus, *vid.* Vibius.
Acerræ direptæ et incensæ a Pœnis, 23, 17. restituuntur, 27, 3.
Acerranis civitas sine suffragio data, 8, 17.
Achaia, 25, 15. 31, 26.
Achæi auxilium impetrant a Philippo contra Machanidam et Ætolos, 27, 29. Philippo ad Dymas occurrunt, 31. cum Ætolis Eleisque ad Messenen prospere pugnant, 32.
Achæorum concilium Ægii, 28, 7. *et* 8. et Argis, ubi de bello consultant adversus Nabin, 31, 25.
Achæi pepigerunt, se quotannis juraturos in verba Philippi, 32, 5. iis quædam urbes redduntur, *ibid.* eos a societate Philippi abducere conatur T. Quinctius consul, 19. post longam et ancipitem deliberationem Romanis se adjungunt, 20. *et seqq.*
prœlio fundunt Androsthenem, 33, 14. omnem eorum oram vastant copiæ Philippi, *ibid.* iis suæ redduntur urbes, 34.

et Acrocorinthus traditur, 34, 50.
bellum adversus Nabin decernunt, 35, 25. eos tentat Antiochus, 47.
obsident Messenen in Peloponneso, 36, 31. tradunt Zazynthum Romanis, 32.
depopulantur oram maritimam Ætolorum, 37, 4. mittunt auxilium Attalo Pergami obsesso, 20. Seleucum ex agro Pergameno castra movere cogunt, 21.
decernunt bellum in Lacedæmonios, 38, 32. eosque Achaico concilio contribuunt, 34.
Achæos sibi reconciliare studet Perseus, 41, 28. Macedonibus interdixerant finibus suis, *ibid.*
Achæi funditores, 38, 29.
Achæi Phthiotæ liberi esse jubentur, 33, 32. *vid. et* 36, 15.
Achæorum portus, 37, 9.
Acharræ, oppidum, 32, 13.
Achelous, amnis, 43, 21. *et* 22.
Acheron, fluvius, 8, 24.
Acherusia aqua, *ibid.*
Achilles, Epit. 112.
Achivi, 1, 1.
Achradina, 24, 21. 25, 24. circumsidetur a Marcello, 25, 26. deditur Romanis, 31.
Aciei Romanæ descriptio, 8, 8. ejus cum phalange Macedonica collatio, 9, 19.
Acies quomodo structa apud Romanos et Latinos, 8, 8.
Acies Romanæ, 21, 55. 22, 45. 27, 14. 30, 8. *et* 33. 33, 8. 37, 39. 42, 58.
— Annibalis, 21, 55. 22, 4. *et* 46. 30, 33. *et* 35.
— Antiochi, 37, 40.
— Asdrubalis, 23, 29. 27, 48.
— Gallorum, 38, 26.
— Hispanorum, 29, 2.
— Macedonum, 33, 18.
— Persei, 42, 58. 44, 40.
— Punica, 28, 14.
— Rhodiorum, 33, 18.
Aciliani libri Græci, 35, 14. in Latinum versi a Claudio, 25, 39.
C. Acilius, tribunus plebis, 32, 29.
L. Acilius, 40, 31.
M'. Acilius legatus ad Ptolemæum, 27, 4. in sententiam ejus senatusconsultum fit, 25.
M'. Acilius Glabrio, tribunus plebis, 30, 40.
Decemvir sacrorum, 31, 50.
Ædilis plebis, 33, 25.
Prætor, 33, 24. sortitur jurisdictionem inter cives et peregrinos, 26. servos vincit in Etruria, 36.
ambit consulatum, 35, 10.
Consul creatur, 35, 24. sortitus Græciam, ludos magnos Jovi vovet, 36, 1. *et* 2. paludatus urbe egreditur, in Thessalia capit Limnæum et Pell[illegible] næum urbes, 14. proficiscitur [illegible] Thermopylas, 16. ejus ad milit[illegible] oratio, 17. instruit aciem, 18. cæd[illegible] Antiochum, 19. expugnat Heraclea[illegible] 22. 23. 24. ab eo pacem petunt Ætoli, 27, 28. obsidet Naupactum, Herculi sacrificium facit, 30.
corona cingit Lamiam, 37, 4. ea capit, 5. triumphat de Antiocho Ætolis, 46. petit censuram, sed, a[illegible] cusatus a duobus tribunis plebis, p[illegible] titione desistit, 57.
M'. Acilius Glabrio duumvir Pietat[illegible] ædem dedicat, 40, 34. statuam aur[illegible] tam, omnium in Italia primam, pon[illegible] patri Glabrioni, *ibid.*
Q. Acilius, triumvir coloniæ deducendæ 21, 25.
Acilla, *it.* Acholla, 33, 48.
Acræ, 24, 36.
Acræphia, oppidum, 33, 29.
Acræus Jupiter, 38, 2. Acræa Jun[illegible] 32, 23.
Acrillæ urbs, 24, 35.
Acrocorinthus, 33, 31. 34, 49. 50.
Actium prom. 41, 1. Epit. 133.
Actor tragicus, 24, 24.
Actores fabellarum Atellanarum, *vi*[illegible] Atellanæ.
M. Acutius, tribunus plebis, 5, 10.
Addicti, *vid.* Æs alienum, et Nexi.
Adherbalis cum Lælio pugna in fret[illegible] Gaditano, 28, 30. *vid. et* Epit. 6[illegible] 63. 64.
Adoreus, mons, 38, 18.
Adramytteum, urbs, 37, 19. 21. Epit. 4[illegible]
Adria, 24, 10. Tuscorum colonia, 5, 3[illegible]
Adriani, 34, 45. ob servatam fidem Romanis laudantur, 27, 10.
Adrianus ager, 22, 9.
Adriaticum mare, 5, 33. 10, 6. 40, 2. 44, 31. 45, 14.
Adriaticus sinus, 1, 1. 10, 2.
Adrumetum, 30, 29.
Adverta, 45, 19.
Adulterii pœna pecuniaria, 10, 31.
Æbura, oppidum, 40, 30.
Æbutia, anus honesta ex Aventin[illegible] 39, 11.
L. Æbutius consul moritur, 3, 6.
M. Æbutius, tribunus militum secun[illegible] legionis, 41, 5.
M. Æbutius Elva, triumvir creatus [illegible] coloniam Ardeam deducendam, 4[illegible]
creatur prætor, 44, 17. sort[illegible] Siciliam, *ibid.*
Postumus Æbutius Cornicen, co[illegible] 4, 11.
Postumus Æbutius Elva, magister [illegible] tum, 4, 21.

P. Æbutius, 39, 9. eum pupillum Bacchis initiari vult mater, *ibid.* rem aperit consuli, 11. ei præmia dantur a senatu ob detecta Bacchanalia, 19.
T. Æbutius, consul, 2, 19. magister equitum, *ibid.*
T. Æbutius Carus, triumvir coloniæ deducendæ, 39, 57. prætor, 41, 2. de tumultu Sardiniæ senatui scribit, 10. decemvir agris dividundis, 42, 4.
Æcæ, urbs Appulorum, oppugnatæ, 24, 20.
Ædes Æsculapii Carthagine, 41, 27.
— Albæ, Capuæ, 32, 9. 40, 45.
— Apollinis, 3, 63. 4, 29. 7, 20. 27, 37. 34, 43. 37, 58. 39, 4. 41, 21.
— Bellonæ, 26, 21. 28, 9. 30, 22. 31, 47. 33, 24. 41, 10.
— Castoris, 2, 20. 42. 8, 11.
— Cereris, 3, 55. 28, 11. 41, 33.
— Cloacinæ, 3, 48.
— Concordiæ, 9, 46. 22, 33. 26, 23.
— Deorum Penatium, 45, 16.
— Dianæ, 39, 2.
— Fauni, 33, 42. 34, 53.
— Feroniæ, 33, 26.
— Fortunæ, 23, 19. 25, 7. 27, 11. 23. 33, 27. 43, 15.
— Fortis Fortunæ, 10, 46. 27, 11.
— Fortunæ Equestris, 40, 40. 42, 3.
— Fortunæ Primigeniæ, 29, 36. 34, 53. 43, 15.
— Herculis, 21, 62. 32, 1. 9. 38, 35.
— Herculis rotunda, 10, 23.
— Honoris, 27, 25.
— Jovis Ariciæ, 24, 44. Cære, 27, 23. Cumis, *ibid.* Formiis, 32, 1. Lanuvii, 32, 9. Minturnis, 27, 39. 36, 37. Ostiæ, 32, 1. Satrici, 28, 11. Tarracinæ, 28, 11. 40, 45.
— Jovis Acræi, 38, 2.
— Jovis Capitolini, 1, 55. 2, 8. 4, 20. 27, 4. 32, 1. 35, 41. 41, 25. *et* 32.
— Jovis Feretrii, 1, 10. 33. 4, 20.
— Jovis Optimi Maximi, 7, 3. 36, 35.
— Jovis Statoris, 1, 12. 27, 37.
— Jovis Vicilini, 24, 44.
— Junonis, 5, 21. 10, 2. 21, 62.
— Junonis Laciniæ, 28, 46. 42, 2. 3.
— Junonis Monetæ, 7, 28. 42, 7.
— Junonis Reginæ, 27, 37. 39, 2.
— Junonis Sospitæ, 8, 14. 32, 30. 34, 53.
— Juventatis, 36, 36.
— Larium Permarinûm, 40, 52.
— Liberi et Liberæ, 3, 55. 41, 33.
— Libertatis, 24, 16. *vid.* Libertas.
— Lunæ, 40, 2.
— Martis, 6, 5. 7, 23. 10, 23. 27, 23. 35, 9. 38, 28.
— Matris Magnæ, 29, 37. 36, 36.
— Matris Matutæ, 5, 19. 7, 27. 25, 7. 28, 11. 33, 27. 41, 23.
Ædes Mentis, 22, 10. 23, 31.
— Mercurii, 2, 21. 27.
— Minervæ, 35, 36.
— Monetæ, 4, 7. 20. 6, 20. 33, 26.
— Opis, 39, 22.
— Quirini, 4, 21. 8, 20. 10, 46. 28, 11.
— Salutis, 9, 43. 10, 1. 28, 11.
— Sanci, 32, 1.
— Saturni, 2, 21. 22, 1. 41, 26. *et* 32.
— Spei, 21, 62. 25, 7. 40, 51.
— Summani, 32, 29.
— Telluris, 2, 41.
— Veneris, 10, 31. 29, 37. 41, 32.
— Veneris Erycinæ, 22, 10. 23, 31. 30, 39. 40, 34.
— Vestæ, 26, 27. 28, 11.
— Victoriæ, 10, 33. 29, 14.
— Virtutis, 27, 25. 29, 11.
— Vulcani, 32, 29.
Ædes Cassii publice dirutæ, 2, 41. item Sp. Mælii, 4, 16. et Vitruvii, 8, 20.
Ædicula Victoriæ Virginis, 35, 9.
Ædiles plebei, 3, 6. Ædilibus qui nocuisset, ejus caput Jovi sacrum, 55. senatusconsulta in ædem Cereris ad eos deferri jubentur, *ibid.* eos leges Decemvirales in æs incisas in publico proposuisse, sunt qui scribant, 57. iis negotium datum, ut animadverterent, ne qui, nisi Romani, Dii colerentur, 4, 30. instaurant ludos plebeios, 38, 10. *vid.* Ludi. Ædilis plebei esse non potest, cujus pater, qui curuli sella sederit, vivit, 27, 21. 30, 19.
Ædiles ex Patribus, sive curules, 6, 42. 7, 1. per quatriduum ludos scenicos faciunt, 24, 43. instaurant ludos Romanos, 27, 6. 28, 10.
Ædiles unde initium sumserint fori ornandi, 9, 40.
— dicunt plerisque diem, quia plus, quam lege finitum erat, agri possiderent, 10, 13. diem dicunt pecuariis, 33, 42. 35, 10.
Ædiles incusantur ab senatu, quod non prohiberent novos ritus sacrificandi precandique Deos, 25, 1.
Ædilitii scribæ et viatores, 30, 39.
Æditui ædes sacras omnes tota urbe aperire jubentur, 30, 17.
Ædui, pop. Galliæ, 5, 34. Epit. 61. 104.
Ægæum mare, 44, 28. 29.
Ægates, insulæ, 21, 10. 49. 22, 54. 23, 13. 30, 32.
Ægeleos, urbs, opprimitur ab Attalo, 31, 64.
Ægimurus, insula, 29, 27. sinum Carthaginiensem claudit, 30, 24.
Ægina, insula, 27, 30. 33. 28, 5. 7. 31, 14. 33, 30. 36, 42.
Æginienses, 44, 46. 45, 27.

Æginium, oppidum, 32, 15. 36, 13. 44, 46. diripitur a Romanis, 45, 27.
Ægium, 38, 29. ibi Achæorum concilium, 28, 7. 35, 48. 39, 35.
Ægyptus, 8, 24.
Ægypto imminent Philippus Macedoniæ, et Antiochus Syriæ, reges, 31, 14.
Ægypti reges Romanis gratulantur, 37, 3.
Ægypto excedere jubent Antiochum Epiphanem Romani, 45, 12.
C. Ælius, tribunus militum tertiæ legionis, 41, 5. *et* 8.
C. Ælius Pætus, consul, 40, 27.
L. Ælius Pætus, ædilis plebeius, ludos facit ex mulctaticia pecunia, 10, 23.
P. Ælius, inter primos quæstores de plebe creatos, 4, 54.
P. Ælius, legatus ad Antiochum, 34, 59.
P. Ælius, triumvir coloniæ deducendæ, 41, 17.
P. Ælius Ligus, prætor, 41, 2. consul, 42, 9. 10. legatus in Illyricum, 45, 17.
P. Ælius Pætus, consul, 8, 15.
P. Ælius Pætus, magister equitum, vitio creatus, abit magistratu, 9, 7. augur, 10, 9.
P Ælius Pætus, augur, 27, 36. moritur pestilentia, 41, 26.
P. Ælius Pætus, ædilis plebis, creatur prætor, 29, 38. sortitur jurisdictionem urbanam, 30, 1. magister equitum, 39. consul, 40. decemvir agro dividundo, 31, 4. triumvir rebus coloniæ Narniensis ordinandis, 32, 2. censor, 7.
P. Ælius Tubero, ædilis plebis vitio creatus, abdicat se magistratu, 30, 39. prætor creatus sortitur Siciliam, 40. legatus in Asiam, 37, 55. prætor iterum sortitur jurisdictionem urbanam, 41, 12.
Q. Ælius, tribunus plebis, 41, 10.
Q. Ælius Pætus, augur, 22, 35.
Q. Ælius Pætus, pontifex, cadit in prœlio Cannensi, 23, 21.
Q. Ælius Pætus, in locum P. Ælii Pæti, sufficitur augur, 41, 26. prætor, 43, 4. consul, 45, 14. sortitur Galliam provinciam, 17.
Q. Ælius Tubero, tribunus plebis, fert ad plebem de duabus coloniis Latinis deducendis, 34, 53. triumvir, 35, 9.
Q. Ælius Tubero, obviam mittitur Perseo, 45, 7. cura tuendi regis ei mandatur, 8.
Q. Ælius Tubero, annalium scriptor, 4, 23. 10, 9.
Sex. Ælius Pætus, ædilis curulis, 31, 50. triumvir rebus coloniæ Narniensis ordinandis, 32, 2. consul, 7. in Capitolio senatum habet, 8. proficiscitur in Galliam, 9. nihil memorabile gerit, 26. censor, 34, 44. 35, 9.
T. Ælius, tribunus militum tertiæ legionis, 41, 5. *et* 8.
Æmilia porticus refecta, 41, 32.
Æmilia tribus, 38, 36.
Æmilia, uxor P. Scipionis Afric. 38, 57.
Æmilia, virgo Vestalis, Epit. 63.
C. Æmilius, tribunus militum consulari potestate, 5, 26. contra Æquos rem gerit, 28. tribunus militum consulari potestate iterum, Volsinienses vincit, 32.
L. Æmilius, consul, vincit Æquos et Volscos, 2, 42. iterum consul, Veientes pacem petere supplices cogit, 49. tertium consul, 54.
L. Æmilius, tribunus militum consulari potestate, 6, 1. iterum, 5. tertium, 21. quartum, 22. quintum, 32. fundit Volscos et Latinos, *ibid.*
L. Æmilius, interrex, 7, 17.
L. Æmilius, quartus decimus interrex, 8, 23.
L. Æmilius, legatus, Carthaginem mittitur, 21, 18.
L. Æmilius, Mamercinus, consul, 7, 1. secundum consul, 3. magister equitum, 21.
L. Æmilius Mamercinus, magister equitum, 7, 39. consul, 8, 1. dictator, 16. consul secundum, 20. dictator iterum, 9, 21.
L. Æmilius Papus, consul, 20, 36. triumvir mensarius, 23, 21.
L. Æmilius Papus, prætor creatus, sortitur Siciliam, 28, 38.
L. Æmilius Papus, decemvir sacrorum, moritur, 42, 28.
L. Æmilius Paullus, consul, 20, 59. triumphat, 63. accusatur, et ambustus vix evadit, *ibid.* consul iterum, 22, 35. occiditur in pugna Cannensi, 49. fuerat pontifex, 23, 21.
L. Æmilius Paullus, triumvir coloniæ deducendæ, 34, 45.
Ædilis, ex pecunia damnatorum pecuariorum clypea inaurata in fastigio ædis Jovis posuit, 35, 10. prætor, 24. sortitur Hispaniam ulteriorem, 36, 2.
Proconsul, cæditur a Lusitanis, 37, 46. Lusitanos fundit, 57.
vetus candidatus, et sæpe repulsam passus, 39, 32. consul, 56.
in Ligures Ingaunos exercitumducit, 40, 25. oppugnatur ab Ingauni, *ibid.* erumpit castris, 27. vincit Ingaunos Ligures, 28. deque iis triumphat, 34. nominatur patronus Hispanis ulterioribus, 43, 2.

Consul iterum, sortitur Macedoniam, 44, 17. ejus, antequam in Macedoniam iret, ad populum oratio, 22. multa ab eo institutorum militarium in melius mutata, 33. ejus oratio ad milites, 34. per Perrhæbiam it ad hostes, 35. ejus prudens ad Nasicam oratio, 36. instructo exercitu munit castra, 37. ejus de pugna dilata oratio, 38. vincit Macedonas, 41.

acceptis a Perseo literis, illacrimatur sorti humanæ, 45, 4. ad eum adducitur Perseus, 7. benigne excipit Perseum, eumque tacentem alloquitur, 8. peragrat Græciam, 27. Amphipoli componit res Macedoniæ, 29. succendit arma hostium, 33. trajicit in Italiam, 34. triumphus, ei decretus a senatu, impeditur a Ser. Sulpicio Galba, tribuno militum, 35, 36. triumphat de Perseo, 39, 40. amittit duos filios, *ibid.* ejus de sua fortuna oratio, 41. abstinentia, Epit. 46.

L. Æmilius Paullus, legatus in decem ad res Asiæ disceptandas componendasque, 37, 55. resistit Cn. Manlio, triumphum petenti, 38, 44. *et seqq.*

L. Æmilius Regillus, prætor, 36, 45. ei evenit navalis provincia, 37, 2. 4. 14. ad eum caduceatores ab Antiocho missi, qui de pace agerent, 18. habet consilium, 19. invadit agros Teiorum, 28. contendit ad hostem, 29. vincit classem Antiochi, 30. oppugnat Phocæam, 32. ejus triumphus navalis, 58.

L. Æmilius Scaurus Hellespontum mittitur, 37, 31.

Mam. Æmilius, tribunus militum consulari potestate, 4, 16. dictator dicitur, 17. Veientes et Fidenates prœlio vincit, 18, 19. triumphans urbem ingreditur, 20. iterum dictator, 23. quinquennalem censuram redigit ad anni unius et sex mensium spatium, 24. a censoribus tribu movetur, *ibid.* dictator creatur, paulo ante motus tribu, 31. ejus oratio ad populum, 32. ejus ad milites adhortatio, 33. Fidenas capit, et triumphat, 34.

Mam. Æmilius, consul, 4, 58.

M'. Æmilius Mamercinus, tribunus consularis, 4, 61. iterum, 5, 1. tertium, 10.

M. Æmilius, tribunus militum consulari potestate, 5, 32.

M. Æmilius, consul, 10, 1. in fugam vertit Græcos, cum Cleonymo in Italiam classe advectos, 2.

M. Æmilius, prætor Siciliæ, 21, 49.

M. Æmilius, prætor urbanus, 22, 9. 33. 27, 33.

M. Æmilius, frater L. Æmilii Regilli prætoris, decedit, 37, 22.

M. Æmilii Lepidi, bis consulis atque auguris, tres filii, L. M. et Q. ludos funebres patri, et gladiatorum paria duo et viginti per tribuum in foro dant, 23, 30.

M. Æmilius, M. Lepidi filius, tribunus militum, 37, 43.

M. Æmilius Lepidus, ædilis curulis, 24, 43. prætor, sortitur jurisdictionem inter cives et peregrinos, *ibid.* decemvir sacrorum, 26, 23.

M. Æmilius Lepidus, legatus ad Ptolemæum, 31, 2. ferociter cum Philippo agit, 18. pontifex, 32, 7. ædilis, 35, 10. prætor, 24. sortitur Siciliam, 36, 2. consul, 38, 42. et quidem post duas repulsas, 39, 56 40, 46. quum ædem Dianæ vovisset, devincit Ligures, 39, 2. viam ab Placentia Ariminum perducit, *ibid.* triumvir coloniæ deducendæ, 55. pontifex maximus, 40, 42. censor, 45. in gratiam reconciliari se cum collega M. Fulvio patitur, 46. princeps senatus legitur, 51. consul iterum, 41, 22. lectus secundo princeps senatus, 32. lectus tertio, 43, 15. lectus sextum, Epit. 48. ante mortem quæ filiis præceperit, *ibid.*

M. Æmilius Lepidus acta Sullæ tentat rescindere, Epit. 90.

M. Æmilius Numida, decemvir sacrorum, moritur, 26, 23.

M. Æmilius Papus, dictator, 9, 7.

M. Æmilius Papus, maximus curio, moritur, 27, 6.

M. Æmilius Paullus, magister equitum, male rem gerit, 10, 3.

M. Æmilius Regillus consul dicitur a prærogativa centuria, 24, 7. irrito eventu, 8. *et* 9. flamen Quirinalis, 8. flamen Martialis, moritur, 29, 11.

Q. Æmilius Barbula, consul creatus, 9, 20. 21. secundum consul, 30.

Q. Æmilius Cerretanus, consul, 8, 37. *vid.* Q. Aulius Cerretanus.

Ti. Æmilius, consul, 2, 61. ejus res gestæ in Sabinis, 62. consul iterum, dandi agri, plebi auctor, 3, 1.

Ti. Æmilius, quinquevir mensarius, 7, 21. prætor, 8, 2.

Ti. Æmilius Mamercinus, consul, ejusque cum senatu rixæ, 8, 12.

Æmus, mons, 40, 21. ex eo monte creditum vulgo fuit, Ponticum simul et Adriaticum mare, et Istrum amnem, et Alpes conspici posse, *ibid.* eum conscendit Philippus, et degressus nihil vulgatæ opinioni detrahit, 22.

Ænaria, insula, 8, 22.

Ænea, oppidum, 40, 4. eadem Ænia, 44, 10. 32. Æneates, 40, 4. statum Æneæ sacrificium, quod conditori Æneæ quotannis fit, *ibid.*

Ænea in Capitolio limina, *vid.* Capitolium.
Ænea signa Deorum, *vid.* Signum.
Ænei orbes, positi in sacello Sanci, 8, 20.
Æneæ portus ad montem Atho, 45, 30.
Æneas, Anchisæ et Veneris filius, 1, 1. profugus venit in Macedoniam, Siciliam, et Italiam, ubi Lavinium condit, *ibid.* ut animos Aboriginum sibi conciliaret, Latinos utramque gentem appellat, 2. ejus mors, *ibid.*
Æneas Silvius, rex tertius Albæ, 1, 3.
Ænei, *vid.* Ænus.
Ænesidemus Dymæus, præfectus præsidii Achæorum Argis, 32, 25.
Ænia, *vid.* Æneæ.
Ænianum sinus, 28, 5.
Ænus, oppidum Thraciæ, proditione capitur a Philippo, 31, 16. Æno præsidium Antiochi deducitur, 37, 60. controversiæ cum Philippo de Æni possessione, 39, 24. 27. 28. Ænum sibi petit Attalus, 45, 20.
Ænei, 31, 31. Ænii, 37, 33. 38, 41. 45, 27.
Æolis, 33, 38. 37, 8. 12. 18. 25. 35. 38, 16.
Æpulo, Istrorum regulus, ne vivus capiatur a Romanis, pectus ferro trajicit, 41, 15.
Æqui, sive Æquicolæ, gens antiqua, 1, 32. ab Æquicolis jus, quo res repetuntur, Ancus Marcius descripsit, *ibid.* Latinum agrum invadunt, 2, 30. vincuntur, 31. seditio inter Æquos et Volscos, et atrox prœlium, 40. Romanos bello petunt, 43. oppugnant Ortonam, *ibid.* vexant Latinos incursionibus, 48, 53. 58. vincuntur, 60.
bello petiti, a Q. Servilio vincuntur, 3, 2. depopulantur agrum Romanum, et cæduntur, 3. obsidentes Furium consulem in castris, a T. Quintio cæduntur, 5. Æqui et Volsci denuo Hernicorum et Romanorum agros depopulantur, 6. vincuntur a Lucretio consule, 8. rebellant, 10. arcem Tusculanam capiunt, et cæduntur, 23. pacem petunt, et impetrant, 24. denuo bellum movent, 25. obsident Minucium consulem in castris, 26. adversus eos L. Quintius Cincinnatus dictator dicitur, *ibid.* circumvallantur, et sub jugum mittuntur, 28. denuo Romanos bello lacessunt, 30. vincuntur, 31. bellum instaurant, 38. fundunt Romanum exercitum, 42. a Valerio consule vincuntur, 60. 61. iterum Romanis bellum inferunt, 66. vincuntur, 70.
rursum rebellantes vincuntur, 4, 26. *et seqq.* impetrant inducias annorum octo, 30. Æqui et Lavicani Tusculanum agrum depopulantur, 45. vincuntur, 47. coloniam Volas deducunt, sed cæduntur, 49. parant bellum, 53. capiunt arcem Carventanam, 55.
oppugnant Lavicos, Romanam coloniam, 5, 16. Romanis bellum inferunt, et vincuntur, 28. capiunt Vitelliam coloniam, et rursum vincuntur, 29. 31.
bellum moliuntur, 6, 2. pervastantur, 4. undenam toties victis Æquis et Volscis suffecerint milites, 12.
iterum petiti bello, deserunt castra, et prope ad internecionem delentur, 9, 45.
redintegrant bellum, et subiguntur a C. Junio dictatore, 10, 1.
Æquicolarum ager, 1, 32. 10, 13.
Æquimælium, 4, 16. 38, 28.
Æquimælius vicus, 24, 47.
Attalus, rex Asiæ, 26, 24. Æginam venit, 27, 30. et ibi hibernat, 33. capit et diripit Opuntiorum urbem, 28, 7. opprimitur ferme a Philippo, *ibid.* omissis rebus Romanis in Asiam trajicit, 7. Romanos legatos Pessinuntem deducit, sacrumque iis lapidem tradit, 29, 11. a Romanis adscribitur fœderi, cum Philippo inito, 12. venit Piræeum renovandæ cum Atheniensibus societatis caussa, 31, 14. adloquitur populum scripto, 15. honores ei ab Atheniensibus decreti, *ibid.* cum Romanis Oreum oppugnat, et capit, 46. opprimit Ægeleon, *ibid.* ejus legati monent senatum, fines regni sui vastari ab Antiocho, 32, 8. coronam auream 246 pondo in Capitolio ponendam curat, 27. Attali et Quintii consulis colloquium cum Nabide, 39. *et* 40. in concilio Bœotorum primus verba facit, et loquens concidit, 33, 2. Pergamum advectus, moritur: ejus laudes, 21. primus Asiam incolentium abnuit stipendium dare Gallis, 38, 16.
Attalus, Eumenis frater, nunciat senatui, Antiochum cum exercitu Hellespontum trajecisse, 35, 23. rem Romanam adjuvat in pugna cum Antiocho, 37, 43. arcessit eum a Pergamo Manlius consul, ad capessendum secum bellum Gallicum, 38, 12. celerius, quam dignum concordia fraterna erat, credit Eumenem mortuum, 42, 16. fidum se socium præbet Romanis in bello adversus Persen, 42, 55. 58. 65. *et* 44, 13. Romam venit, 45, 19. a Stratio medico prudenter admonetur, *ibid.* hæredem pop. Rom. relinquit, Epit. 56.
Attalis, tribus Athenis, 31, 15.
Attanes, Turdetanorum regulus, transfugit a Pœnis ad Romanos, 28, 15.
Attica terra, 28, 8. 31, 14. devastatur, *ibid.* marmoris copia, et ingeniis artificum eximie ornata, 31, 26.
Atys, rex Albæ, 1, 3.
Avaricum, urbs, Epit. 107.
Auctores si Patres fierent, ita demum ratum erat id, quod populus decrevisset, 1, 17. *vid.* Senatus.
Auctoritas senatus, *vid.* Senatus.
Audena, amnis, 41, 23.
Aventinus, rex Albæ, fulmine ictus, 1, 3.
Aventinus, mons, 1, 6. urbi additus, et datus Latinis, 33. cœtus nocturnos facit plebs in Aventino monte, 2, 28. eum insedit exercitus Romanus, relictis castris, 3, 50. in eo signum æneum Junoni dedicant matronæ, 21, 72.
Averni lacus, 24, 12.
Avis sangualis, 41, 17.
Aves æstivæ, 5, 6.
Aves non addicunt Fabio auspicanti, 27, 16.
Avibus admittentibus, signum pugnæ datum, 4, 18. *vid.* Auspicium.
Aufidena vi capta, 10, 12.
Cn. Aufidius, tribunus plebis, accusat C. Lucretium, prætorem, ad populum, 43, 10.
Aufidus, amnis, 22, 44.
Auginus, mons: in eum confugiunt Friniates Ligures, 39, 2.
Augur consulit Deos de Numa, 1, 18.
Augures a Numa instituti, id est, in collegium contributi, 4, 4. de religione, quæ morabatur dictatoris creationem, consuluntur, 31. vitiosum dictatorem esse pronunciant, 8, 23. tres initio fuere, 10, 6. quinque de plebe creati, 10, 9. solvunt tributum, 33, 42.
Augurii capiendi ritus, 1, 18.
Augurium ex corvi occentu, 10, 40.

Auguriis ex Accii Navii facto magnus accedit honor, 1, 36.
Augusti imperatoris tempore Janus clausus fuit, 1, 19. Augustus templorum omnium conditor fuit, aut restitutor, 4, 20. ejus ductu et auspicio perdomita est Hispania, 28, 12. *vid.* Octavius.
Aulerci, populi, 5, 34.
Aulis, oppidum, 35, 37. *et* 50. 45, 27.
M. Aulius, præfectus sociûm, 27, 26. occiditur, 27.
Q. Aulius Cerretanus, consul creatus, 8, 37. secundum consul, 9, 15. cum Ferentanis uno prœlio debellat, 16. magister equitum occidit imperatorem Samnitium, et obtruncatur, 9, 22.
C. Aurelius legatus Marcelli, 23, 16.
C. Aurelius Cotta, prætor, 30, 26. sortitur jurisdictionem urbanam, 27. consul, 31, 4. Italiam provinciam obtinet, 6. *vid. et* 47.
C. Aurelius Scaurus, prætor, 39, 6. sortitur Sardiniam, 8.
L. Aurelius quæstor urbanus, cum sacerdotibus de tributo solvendo certat, 33, 42.
L. Aurelius Cotta, tribunus militum, 40, 27.
M. Aurelius Cotta, 23, 30. præpositus Puteolis, 25, 22. decemvir sacris faciendis, 29, 37. legatus mittitur ad Philippum, 30, 26. socios populi Romani tuetur armis, 42. *vid. et* 31, 3. *et* 5. moritur, 31, 50.
M. Aurelius Cotta, legatus L. Scipionis, cum Antiochi legatis venit Romam, 37, 52. exponit, quæ acta sint in Asia, *ibid.*
Aurinx urbs Hispaniæ, 24, 42. *eadem fortasse, quæ Oringis, vid.* Oringis.
Aurum, argentum, et æs signatum, in publicum confertur, 26, 36.
— a sociis oblatum, non receptum a Romanis, 22, 32. *et* 36. 30, 21.
Aurum Vicesimarium, servatum ad ultimos casus in sanctiore ærario, 27, 10.
Auri mille, pondo pretium populi Romani factum, 5, 48. aurum, quod Gallis ereptum erat, sub Jovis sella poni jussum, 50.
Auri ex Gallicis spoliis magnum pondus, saxo quadrato septum, in Capitolio sacrat C. Sulpicius, dictator, 7, 15. proportio ad argentum, 38, 11.
Auri et argenti metella interdicta Macedonibus, 45, 29.
Auro et argento cælata scuta, 9, 40. aurata, 10, 29. signa aurata, 33, 27. Aurata statua prima omnium in Italia statuta, 40, 34.
Aureus baculus, corneo inclusus, offertur a Bruto Apollini, 1, 56.
Aureæ pateræ ad Cereris positæ, 10, 23. pelvis aurea ad Junonis, 27, 33. quadrigæ aureæ in Capitolio positæ, 29, 38. coronæ aureæ, *vid.* Corona.
Aurunca, *vid.* Suessa.
Aurunci bellant adversus Romanos, 2, 16. 17. *et* 26. *et* 7, 28. in deditionem accipiuntur, eosque defendi senatus jubet, 8, 15.
C. Aurunculeius, prætor, 27, 6. sortitur Sardiniam, 7.
C. Aurunculeius, tribunus militum tertiæ legionis, 27, 41.
L. Aurunculeius, prætor, 36, 45. sortitur jurisdictionem urbanam, 37, 2. legatus, 37, 55.
Ausetani, populi, subiguntur ab Annibale, 21, 23. deduntur Romanis, 61. eos ad bellum contra Romanos concitat Indibilis, 29, 2. vincuntur, 3. *vid. et* 34, 20.
Ausetanus ager, 39, 56.
Ausona, urbs Ausonum, 9, 25.
Ausones uno prœlio vincuntur a Romanis, 8, 16. veniunt in potestatem Romanorum, 9, 25. Ausonum gens deleta, *ibid.*
Auspicato omnia gerunt Romani, 1, 36. 6, 41.
Auspicium mentitus pullarius, 10, 40.
Auspicia neglecta, 21, 63.
Auspicia nemo habet plebeius, 4, 6.
— more majorum penes Patres, 6, 41.
— incerta, 8, 30. ad auspicium repetendum redit Romam dictator, *ibid.*
Axius, fluvius, 39, 54. 44, 26. *et* 43. 45, 29.
Axylos terra, 38, 18.
Azorus, oppidum, venit in deditionem Persei, 42, 53. *vid. et* 44, 2.

B.

Babylonia, 38, 17.
Bacchanalium initia ex Etruria, 39, 8 nefaria in iis stupra, aliaque scelera *ibid.* eorum indicium defertur ad Postumium consulem, 11. quæstio de Bacchanalibus mandatur consulibus 14. Postumius invehitur in Bacchanalia, 15. Bacchanalia, diruuntur eorumque auctores puniuntur, 17. 18. senatusconsultum de Bacchanalibus, 18.
Baccharum habitu matronæ, crinibus passis, cum ardentibus facibus, ad Tiberim decurrunt, demissasque in

aquam faces integra flamma efferunt, 39, 13.
Bachium, insula, 37, 21.
Baculus sine nodo aduncus, Lituus dictus, 1, 18.
Badius Campanus provocat Crispinum hospitem ad singulare certamen, et vulneratus aufugit ad suos, 25, 18.
A. Bæbius, quod milites Romanos præbuisset ad ministerium cædis Ætolis, damnatur, 45, 28. *et* 31.
Cn. Bæbius Tamphilus, tribunus plebis, diem dicit M. Livio et C. Claudio censoribus, 29, 37. designatur prætor, quum ædilis plebeius esset, 31, 49. *et* 50. sortitur Ariminum, 32, 1. prætor, temere ingressus Gallorum Insubrium fines, clade afficitur, 7. a consule L. Lentulo probris increpitus, provincia excedere jubetur, *ibid.* triumvir coloniæ deducendæ, 39, 22. consul, 56.
Cn. Bæbius Tamphilus, prætor, sortitur jurisdictionem urbanam, 44, 17. legatus in Illyricum, 45, 17.
L. Bæbius, legatus in Macedoniam, 44, 18.
L. Bæbius Dives, creatur prætor, 37, 47. sortitur Hispaniam ulteriorem, 50. eum, proficiscentem in provinciam, circumveniunt Ligures, 57. sine lictoribus perfugit Massiliam, ubi intra triduum exspirat, *ibid.*
M. Bæbius, legatus, 30, 25.
M. Bæbius Tamphilus, triumvir coloniæ deducendæ, 34, 45. prætor, 35, 10. ex Bruttiis ad Tarentum et Brundusium legiones promovere jubetur, 23. jubetur transire in Epirum, 24. proprætor, 36, 8. in Thessalia quasdam urbes capit, 13. præest parti castrorum in obsidione Heracleæ, 22. ad disceptandum inter Philippum et Eumenem legatas mittitur, 39, 24. legationem renunciat, 33. creatur consul, 40, 18. ei prorogatum imperium, 36. exercitum in Apuanos Ligures inducit, 38. nullo bello gesto, triumphat, *ibid.*
Q. Bæbius Tamphilus, legatus ad Annibalem missus, 21, 6. iterum ad Carthaginienses, 18.
Q. Bæbius Herennius, tribunus plebis, criminatur senatum et augures, 22, 34. ejus oratio in nobiles, *ibid.*
Q. Bæbius, tribunus plebis, 31, 6.
Q. Bæbius Sulca, legatus, 42, 6.
Bæcula, urbs Hispaniæ, 27, 18. 28, 13.
A. Bæculonius, signifer notæ fortitudinis, 41, 8.
Bætica, 28, 2.
Bætis, fluvius, 28, 16. incolæ amnem hunc Certim appellant, 22.
Bagrada, fluvius, et ad eum pugna Reguli cum serpente, 30, 25.
Balanos, regulus Gallorum, Romanis auxilia pollicetur ad bellum Macedonicum, 44, 14.
Balari, Sardiniæ populi, 41, 10. cæduntur a Romanis, 16.
Balbus mons herbidus aquosusque, 29, 31.
Baleares, insulæ duæ, major et minor, 28, 37. *vid. et* 22, 20. 23, 40. unde appellati, Epit. 60.
Baleares peritissimi funditores, 21, 21. 55. 22, 37. 28, 37.
Balearica funda, 38, 29.
Balista, mons Liguriæ, 39, 2. 40, 41. 41, 22.
Ballistis et scorpionibus instructæ naves Tarentinorum, 21, 11. 24, 4.
Balneis inclusos Romanos Campani fervore et æstu suffocant, 23, 7.
Bantia, 27, 25.
L. Bantius Nolanus, juvenis acer, propensus in Annibalem, Romanis a Marcello conciliatur, 23, 15.
Baphyrus, amnis, 44, 6.
Barbam omnibus olim Romanis promittere mos fuit, 5, 41.
Barbam et capillum promittere, pars et signum doloris, 6, 16. 27, 34. 44, 29.
Barbana, fluvius, 44, 31.
Cornelius Barbatus, *vid.* Cornelius.
T. Quintius Barbatus, *vid.* Quintius.
Barbosthenes, mons, 35, 27. *et* 30.
Barcina familia, 23, 13.
Barcina factio, 21, 2. *et* 9. *vid. et* 30, 7. *et* 42.
Barcinorum in bello præstantia, 28, 12.
Bardo, urbs Hispaniæ, 33, 21.
Bargulum, 29, 12.
Bargusios, Hispaniæ populos contra Pœnos sollicitant legati Romani, 21, 19. subiguntur ab Annibale, 23.
Bargyliæ, oppidum, 32, 33. 33, 18. 30. 35. *et* 39.
Bargylicticus sinus, 37, 17.
Barium, oppidum, 40, 18.
Basilica post argentarias novas, 40, 51.
— Porcia, 39, 44.
— Sempronia, 44, 16.
Bassania, urbs, 44, 30.
Bassanitæ, 44, 30.
Bassus, *vid.* Cæcilius.
Bastarnæ, 40, 5. a Philippo evocati, 57. tempestate opprimuntur, 58. vincunt Dardanos, 41, 23. absorbentur Istro, *ibid.*
Bato, Longari filius, deficit ad Romanos, 31, 28.
Begorritis, lacus, 42, 53.
Belbinates ager, 38, 34.
Belgæ pop. Epit. 104.
Belligeni, per quem ad transitionem Mericus Hispanus illectus erat, quadringenta agri jugera decreta, 26, 21.

Bellona Dea, 8, 9. Victrix, 10, 19. Bellonæ in medio pugnæ discrimine templum vovet Ap. Claudius, *ibid.*
— in ejus æde senatus datus, 26, 21. 28, 9. *et* 38. 30, 21. *et* 40. 31, 47. 33, 22. *et* 24. 39, 29. 42, 21.
Bellovesus, filius sororis Ambigati, Celtarum regis, 5, 34. ejus expeditiones, *ibid.* favet Cenomanis, Alpes transcendentibus, 35.
Belli indicendi ritus, 1, 32. *vid. et* 31, 8. *et* 36, 3. bellicæ cærimoniæ ab Anco institutæ, 1, 32. de bello semper prius relatum ad Patres, quam rogatio ad populum ferretur, 45, 21.
Bellovaci victi, Epit. 108. 114.
Bellus, legatus Gentii, 44, 31.
Bendidium, templum, 38, 41.
Beneventum urbs, olim appellata Maleventum, 9, 27. *vid. et* 24, 16. 25, 13. Beneventum colonia deducta, 15, 8.
Beneventani a Romanis laudati, 27, 10.
Beneventanus ager, 22, 13. 25, 17.
Bergistanorum civitas a Catone subacta, 34, 16. *et* 17.
Berœa deditur Romanis, 44, 45. *vid. et* 45, 29.
Berœæus, 23, 39. 42, 51. *et* 58.
Besasides, imperator Hispanus, 33, 44.
Besidiæ, oppidum Bruttiorum, a Pœnis deficit ad Romanos, 30, 19.
Bessi, populus Thraciæ, 39, 53.
Bestia, *vid.* Calpurnius.
Beturia, 39, 30.
Beudos vetus, 38, 15.
Bevus, flumen, 31, 33.
Bianor, princeps Acarnanum, 33, 16.
L. Bibulus, M. Bibulus, *vid.* Calpurnius, *vid. et* Epit. 103. 108.
Bigatum argentum, 33, 23.
Bigati quingenti et equus eximius strenuo militi dantur honoris ergo, 23, 15.
Bigerra, urbs, 24, 41.
Bilistages, regulus Ilergetum, auxilium petit a Romanis, 34, 11.
Bisaltæ, populi, 44, 45. trans Nessum amnem incolunt, et circa Strymonem, 45, 30. viri fortissimi, *ibid.*
Bitœtus vel Bithocus miles, Epit. 102.
Bithynia, 27, 30. 42, 29. *vid.* Attalus, Nicomedes, Prusias.
Bitis, Cotyis regis Thracum filius, ductus in triumpho ante currum Æmilii Paulli, 45, 39. remissus ad patrem, 42.
Bituitus, Avernorum rex, Epit. 61.
Bituriges, populi summam imperii Gallorum tenuerunt, 5, 34. *vid.* Epit. 107
Blandæ, urbs in Lucanis, 24, 20.
Blasius, Salapiæ princeps, favet Romanis, Dasiumque, Annibali faventem, appellat de proditione, 26, 38. Salapiam tradit Marcello, *ibid.*
Blosii fratres, apud Campanos conjurantes adversus Romanos, opprimuntur, 27, 3.
Boarium forum, *vid.* Forum.
Bocchar, rex Maurorum, 29, 30.
Bocchar, ex præfectis regis vir acer et impiger, mittitur a Syphace contra Masinissam, 29, 32.
Bocchus, Epit. 66.
Bœbe, palus, 31, 41.
Bœbeïs, 27, 32.
Bœotia, 27, 30. 28, 8. 33, 1.
Bœotiæ motus, 42, 43.
Bœoti adscripti a Philippo fœderi, cum Romanis inito, 29, 12. jungunt societatem cum Romanis, 33, 2. efferati odio in Romanos, per latrocinia multos interficiunt, 29. mulctantur a T. Quintio, *ibid.* eos sibi adjungit Antiochus, 36, 6. eorum concilium discussum a Romanis legatis, 42, 44.
Bœotius, 44, 43.
Bœotarchæ, 33, 27. 42, 43.
Boii, Gallicus populus, Etruscos et Umbros agro pellunt, 5, 35. in Italia rebellant, 21, 25. Boiorum agrum invadit C. Oppius, quem cædunt, 31, 2. duce Amilcare Pœno, invadunt Placentiam, 10. jungunt se Insubribus et Cenomanis, 32, 30. eorum agros urunt consules, *ibid. et* 31. cædunt Romanos, 33, 36. eorum agros populantur Romani, 37. vincuntur, ita ut vix nuncius cladis relictus sit, *ibid.* cæduntur a L. Valerio, 34, 22. *et* 46. oppugnant castra Romana, *ibid.* ingressi repelluntur, 47. in eorum agrum exercitum inducit L. Cornelius Merula consul, 35, 4. Boii vincuntur, 5. se dedunt Romanis, 40. pugna magna vincuntur a P. Cornelio Scipione, 36, 38. datis obsidibus, mulctantur agri parte fere dimidia, 39.
Boiorum mos ex calva hostilis capitis pocula faciendi, 23, 24.
Boiorix, regulus Boiorum, 34, 46. *vid. et* Epit. 67.
Bolæ, *vid.* Volæ.
Bomilcar, 21, 27.
Bomilcar, præfectus classis Carthaginiensis, Locros accedit, 23, 41. magnum portum Syracusarum cum classe ingreditur, 24, 36. *vid. et* 25, 25. *et* 27.
Bona post domini supplicium publicata, 4, 15.
Bona ejus, cujus caput sacrum esset, et ipsa quoque Cereri sacrata, 3, 55. *vid. et* 2, 8. *et* 41.
Bona sequentia domini deditionem, 8, 39. 9, 2.

Bonis vendendis, cur bona Porsenæ regis vendi dicerentur, 2, 14.
Bononia, Latina colonia, 3, 57. a Bononia viam perduxit Arretium Flaminius consul, 39, 2.
Bononiensis ager vastatur ab Apuanis Liguribus, 39, 2.
Bora, mons, 45, 29.
Boreas, ventus, 31, 45.
Bos insignis magnitudinis, in Sabinis nata, immolatur Dianæ, 1, 45.
— eximius immolatur Marti, 7, 37.
Bovis sescenaris, quem consul immolaverat, jecur defluxit, 41, 19.
Bove aurato Apollini sacrum factum, 25, 12.
— femina aurata Latonæ sacrum factum, *ibid.*
Boves trecenti voventur Jovi, 22, 10.
— albi voventur multis Divis, *ibid.*
— feminæ duæ albæ immolantur Junoni Reginæ, 27, 37.
Bobus centum, in Hispania votis, Jovi sacrificat Scipio, 28, 38.
Bove aurato donatur L. Minucius, præfectus annonæ, 4, 16.
Bobus decem donatur M. Valerius Corvus, 7, 26.
— centum, eximioque uno albo opimo, auratis cornibus, donatur P. Decius, 7, 37.
— triginta donatur Lælius, 26, 48.
Boves Herculis a Caco abducti, 1, 7.
Boum cornibus præligati ab Annibale virgarum fasces accenduntur, 22, 16. *et* 17.
Boum fimus uritur pro lignis, 38, 18.
Boves Lucæ, *vid.* Elephanti.
Bostar, præfectus Sagunti, 22, 22.
Bostar, legatus Pœnorum ad Philippum, 23, 34.
— Capuæ præest præsidio Punico, 26, 5. *et* 12.
Bottiæa, 26, 25.
Bovianum, oppidum, 9, 28. 25, 13. caput Pentrorum Samnitium, 9, 31. capitur a Romanis, *ibid. vid. et* 9, 44. 10, 12.
Bovillæ, 10, 47. Epit. 107.
Brachyllas Bœotarcha occisus, 33, 27. *et* 28. *memoratur etiam* 35, 47. 36, 6.
Brancus, Allobrogum regulus, contendit cum fratre de regno, 21, 31. ei imperium restituit Annibal, *ibid.*
Brennus, regulus Gallorum, 5, 38. inter Brennum et Q. Sulpicium colloquium, 5, 48.
Brennus, Gallorum dux, 38, 16.
Briniates, populi, 39, 2. 41, 23.
Brixia, urbs, 5, 35. caput Cenomanorum gentis, 32, 30.
Brixiani Galli auxilio sunt Romanis, 21, 25.
Brundusium, oppidum, colonia deducta, 31, 13. 34, 52. 42, 17. *et* 18. 45, 14.
Brundusini a Romanis laudati, 27, 10.
Brundusinus portus, 23, 33.
Bruttiæ legiones fusæ ab Alexandro Epirensi, 8, 24.
Bruttii populi omnes deficiunt ad Pœnos, 22, 61. apud Bruttios res gestæ Pœnorum, 24, 1. Bruttii capiunt Crotonem, excepta arce, 2. Bruttii, extremus Italiæ angulus, 27, 51. per latrocinia militiam exercere solent, 28, 12. 29, 6. conjurationes in Bruttiis adversus rempublicam, 32, 1.
Bruttiorum ager, 25, 1. 26, 12. 27, 41. in Bruttios colonia deducta, 34, 53.
Brutus, *vid.* Junius.
Brutulus Papius, nobilis et potens Samnis, induciarum ruptor, 8, 39. jussus dedi Romanis, sibi ipse mortem consciscit, *ibid.*
Bryanium, 31, 39.
Bubulcus, *vid.* Junius.
Bucculæ, 44, 34.
Budares, imperator Hispanus, capitur a Romanis, 33, 44.
Bullini, populi, auxiliantur Romanis adversus Gentium, 44, 30.
Bullinus sive Byllinus ager, 36, 7.
Bulla, 26, 36.
Busa, mulier Apula, juvat Canusii fugientes Romanos frumento, veste, viatico, 22, 52. ei ab senatu honores habiti, *ibid.*
Busta Gallica, 5, 48. 22, 14.
Butrotus, amnis, 29, 7.
Buxentum, 32, 29. eo colonia deducta, 34, 45. *vid. et* 39, 23.
Bylazora, Pæoniæ locus, 44, 26.
Byrsa, arx Carthaginis, 34, 62.
Byzantium tenent Galli, 38, 16.
Byzantii, 32, 33.

C.

Cacus aversos boves Herculis caudis in speluncam trahit, et ab illo occiditur, 1, 7.
Cadavera in peste per vias Romæ jacentia, 41, 26.
Caddusii, populi, 35, 48.
Caduceator ab Asdrubale ad Neronem missus, 26, 17. a Philippo ad Romanos, 31, 38. 32, 32. 33, 11. ab Antiocho ad Scipionem, 37, 45.
Caduceum præferentes dedunt se Privernates, 8, 20.
Cæcilius Bassus, Epit. 114.
Cæcilius Pinna, Epit. 76.
A. Cæcilius, ædilis plebis, 38, 35.
L. Cæcilius Denter, prætor creatur, 39, 56. sortitur Siciliam, 40, 1.
L. Cæcilius Metellus, auctor deserea-

dæ Italiæ post Cannensem cladem, 22, 53. quæstor, notatur a censoribus, 24, 18. tribunus plebis, 43.
L. Cæcilius Metellus Dalmatas subigit, Epit. 62.
M. Cæcilius præfuit legionibus in exercitu L. Furii adversus Gallos, 31, 21.
M. Cæcilius, decemvir agro dividundo, 42, 4. legatus ad frumentum coëmendum in Apuliam mittitur, 27.
M. Cæcilius Denter, legatus in Macedoniam et ad Ptolemæum Ægypti regem, 42, 6.
M. Cæcilius Metellus, ædilis plebis, 27, 36. prætor urbanus, 28, 10. ad Attalum legatus, 29, 11.
Q. Cæcilius, tribunis plebis, 4, 16.
Q. Cæcilius Metellus, pontifex, 28, 21. ædilis plebeius, 27, 21. ædilis curulis, 36. legatus, 51. *et* 28, 9. magister equitum, 10. consul, *ibid.* proconsul, 45. dictator, 29, 11. decemvir agro dividundo, 31, 4. adversatur L. Cornelio consuli, triumphum petenti, 35, 8. ad disceptandum inter Philippum et Eumenem legatus missus, 39, 24. renunciat legationem, 33. ejus ad censores oratio, 40, 46.
Q. Cæcilius Metellus, nuncius victoriæ de Perseo, mittitur Romam, 44, 45. *vid. et* Epit. 50. 53. 65.
T. Cæcilius, inter primos tribunos militum consulari potestate, 4, 7. sed lege *T. Cœlius.*
Cædicius, centurio, 5, 45. *et* 46.
L. Cædicius, tribunus plebis, diem dicit Sp. Servilio, 2, 52.
M. Cædicius audit silentio noctis vocem clariorem humana de adventu Gallorum, 5, 32.
Cælius, *vid.* Cœlius.
Cæni, Thraciæ populi, 38, 40.
Cæninenses Romam ad ludos proficiscuntur, 1, 9. bellum parant ob raptum filiarum, 10. vincuntur, *ibid.*
Cænomani, *vid.* Cenomani.
Cæpio, *vid.* Servilius.
Cære oppidum, 1, 2. sacrarium populi Romani ac diversorium sacerdotum, 5, 40. *et* 50. 7, 20.
Cærites, populi, 5, 50. cum iis hospitium publice factum, *ibid.* iis bellum indictum, 7, 19. eorum legati deprecantur bellum, 20. impetrant pacem, *ibid.* Scipionem juvant in ornanda classe, 28, 45.
Cærimoniarum cultu Roma crevit, 6, 41. neglectus Reipublicæ noxius, 22, 9.
Cæsar, *vid.* Julius.
L. Cæsar, Epit. 80. 120.
Sextus Cæsar, Epit. 114.
Cæso, *vid.* Duilius, Fabius, Quintius.
Cætrati, *vid.* Cetrati.
Caicus, amnis, 37, 18.
Calabria, 23, 34. 42, 48.
Calagurris, oppidum Celtiberorum, 39, 21. Epit. 93.
Calathana, vicus, 32, 13.
Calatia, 9, 2. *et* 28. 28, 14. 42, 20. 45, 16. expugnatur a Samnitibus, 9, 43. Calatiam migrare jubentur Atellani, 27, 3. Calatiæ muros reficiunt censores, 41, 32.
Calatini deficiunt ad Pœnos, 22, 61. dedunt se Romanis, 26, 16.
Calatinus ager, 22, 13.
Novius Calavius Campanus, 9, 26.
Ofilius Calavius Campanus, 9, 7.
Ovius Calavius Campanus, 9, 26.
Pac. Calavius senatum Campanum sibi et plebi obnoxium facit, 23, 2. *et* 3. filium Perollam absterret ab occidendo Annibale, 9.
Calaviorum fraude incendium Romæ ortum, 26, 27.
Calendis Quintilibus magistratum occipiunt tribuni militum consulari potestate, 5, 31. *vid. et* 8, 20.
dies a. d. 15. Calendas Sextiles, duplici cladè insignis, 6, 1.
Calendis Octobribus magistratus initus, 5, 9.
Calendæ intercalares, 43, 13.
Caleni, populi, 10, 20.
Calenus ager, 10, 20. 22, 13.
Cale, urbs, 8, 16. 22, 15. 23, 31. 24, 45. 26, 9. 15. *et* 16. 27, 9. capitur a Romanis, 8, 16. eo deducitur colonia, *ibid. vid. et* 27, 9. de Calibus, quod pecuniam militesque Romanis negarant, senatusconsultum, 29, 15.
Caletranus ager, 39, 35.
Calidæ aquæ, locus, 30, 24.
Caligo tam densa, ut neque signifer viam, nec signa milites cernerent, 33, 7.
Callicinus tumulus, 42, 58.
Callicrates, 45, 31. ejus contra Perseum oratio, 41, 28.
Callicritus Thebanus, civitatis princeps interfectus a Perseo, 42, 13. *et* 40.
Callicula, mons, 22, 15. *et* 16.
Callidromon, cacumen montis Œtæ, 36, 15. *et* 16.
Callifæ, oppidum, 8, 25.
Calligenes, medicus Philippi, 40, 56.
Callipeuce, saltus, 44, 5.
Callipolis Chersonesi, 31, 16.
Callipolis Ætoliæ, 36, 30.
Callippus, præfectus classis Macedonicæ, 44, 28.
Callithera, oppidum, 32, 13.
Calor, fluvius, 24, 14. 25, 17.
Calpurnius Bestia cos. Epit. 64.
C. Calpurnius, 22, 61.
C. Calpurnius Piso prætor creatur, 25, 41. prætor urbanus, 26, 10. 15. *et*

rogato imperio, mittitur in
a, 28. Capuæ et exercitui
ir, 27, 6. iterum præficitur
, 7. proprætor ad senatum de
defectione scribit, 21.
ius Piso creatur prætor, 39,
tur Hispaniam ulteriorem,
ejus in Hispania res gestæ,
l. de Lusitanis et Celtiberis
at, 42. creatur triumvir coeducendæ, 40, 29. consul,
itur, 37. ejus mors suspecta,

ius, legatus Romanus ad conichæorum, 32, 19.
nius Flamma, 22, 60.
. Boii.
s, promontorium, 38, 38.
16, 11.
montes, 42, 53. 44, 2.
uos dromadas vocant, ante
m Antiochi, 37, 40.
Tarquinio Prisco capta, 1, 38.
, *vid.* Sulpicius.
id. Clusium.
Umbri, 9, 36. 28, 45.
vid Furius.
m lucus, 1, 21.
legio, pœnas dat, 28, 28.
, 2, 52. provincia evenit C.
Rutilo, 7, 38.
juncti Sidicinis, compellunamnitibus intra mœnia sua,
is petentibus auxilium a Ronegatur, *ibid. et* 30. *et* 31.
nt Romanis, *ibid. et* 8, 11.
itur agro, *ibid.* iis civitas
iffragio data, 14. Campani
obsequium in plebem, et
icentia, 23, 2. *et* 4. mittunt
ad Varronem consulem, *ibid.*
oratio consulis, 5. deficiunt
nibalem, 7. suffocant Romabalneis, *ibid.* vocant Anni-
25, 15. obsessi a Romanis,
questribus prœliis victores,
deliberant de deditione, 13.
Virio suadente, septem et
senatores venenum sumunt,
t 14. urbe dedita, senatus
ni supplicium, 15. *et* 16.
ido venumdatur, *ibid.* Cam-
m querelæ de Fulvio, et su-
re senatusconsulta, 33. *et*
mpanorum conjuratio indi-
7, 3. agri Campani pars vendi
storibus jubetur, 28, 46. a-
Campanum censores fruendum
42, 19. *vid.* Capua.
petunt, ut sibi cives Romanas
uxores liceat, 38, 36.
givorum, 34, 25.
ctani, 8, 12.
i, 41, 22.

Campi Magni, 30, 8.
— Stellates, 9, 44.
— Thessaliæ, 31, 41. 42, 54.
— Veteres, 25, 16.
Campus Ægestæus, 27, 33.
— Diomedis Argivi, 25, 12.
— Hyrcanus, 37, 38.
— Martius, 3, 27. in eo instructus exercitus, et lustratus, 1, 44. ager Tarquiniorum, consecratus Marti, Martius deinde campus fuit, 2, 5. in eum populus centuriatim citatus, 6, 20. in eo comitia habita, 31, 7. in eum senatus evocatus, 3, 63.
— Metropolitanus, 38, 15.
— Priaticus, 38, 41.
— Sceleratus, unde nomen habeat? 8, 15.
— Thebes, nobilitatus carmine Homeri, 37, 19.
Canæ, oppidum, 36, 45. 37, 8.
Canastræum, promontorium Pallenes, 31, 45. 44, 11.
Caniculæ ortus, 40, 22.
C. Caninius Rebilus creatur prætor, 42, 28. sortitur Siciliam, 31. M. Caninius Rebilus, legatus in Macedoniam, 43, 13. reducit obsides in Thraciam, 45, 42.
Canis sectio in lustratione exercitus Macedonici, 40, 6.
Canna, flumen, 25, 12.
Cannæ, vicus, 22, 43. prœlium ad Cannas, et Romanorum clades, 47. *et seqq.*
Cannensis cladis occasione multi socii a Romanis deficiunt, 22, 61. reliquiæ in Siciliam relegantur, 23, 31. legatis ad Marcellum consulem missis, offerunt operam suam ad bellum, 25, 6. constans in eos senatus severitas, 7. eos minime aspernatus Scipio, secum trajicit in Africam, 29, 24.
Cannenses equites notati, 27, 11.
Cantabri, Epit. 48.
Cantherium in fossa, 23, 47.
L. Cantilius, scriba pontificis, qui cum virgine Vestali stuprum fecerat, virgis in comitio cæsus, inter verbera expirat, 22, 57.
M. Cantius, tribunus plebis, L. Postumium accusat, 10, 46.
C. Canuleius, tribunus plebis, rogationem promulgat de Patrum cum plebeiis connubio, 4, 1. invehitur in consules, 3.
L. Canuleius, legatus missus ad Ætolos, 41, 30.
L. Canuleius Dives, creatur prætor, 42, 28. sortitur Hispaniam, 31. recuperatores dare jubetur in eos, quos Hispani accusarent, 43, 2.
M. Canuleius, tribunus plebis, 4, 44.

Canusini, populi, veniunt in Romanorum ditionem, 9, 20.
Canusium fugiunt superstites, post prœlium ad Cannas, Romani, 22, 50. *et* 52.
Capena, urbs, 5, 10. 22, 1.
Capena porta, 1, 26. 7, 23. 10, 23. 23, 32. 25, 40. 26, 10. 33, 26. *vid.* Porta.
Capenates auxilio veniunt Veientibus, 5, 8. eorum ager vastatur, 12. vinceuntur prœlio a Romanis, 13, bellum instaurant, et subiguntur, 24.
Capenus Sequanus, Epit. 120.
Capetus Silvius, Albæ rex, 1, 3.
Capillus promissus, *vid.* Barba.
Capitolium adscendit Romulus, templumque primum Jovi Feretrio dedicat, 1, 10. sedes datur Sabinis, 33. ab Herdonio Sabino cum exsulibus et servis occupatur, 3, 15. recuperatur et lustratur, 18. etiam prodigii caussa lustratur, 29. militaris juventus occupat Capitolium, illud contra Gallos defensura, 5, 39. obsidetur a Gallis, 43. servatur ab anseribus, 47. liberatur ab obsidione, 49. latum ad populum, ne quis patricius in Capitolio habitaret, 6, 20. senatus in Capitolio habitus, 8, 5. 24, 10. fœdus ictum, 37, 55. in eo consules vota nuncupant, antequam in provincias proficiscantur, 21, 63. 41, 32. 42, 49.
in Capitolio aream ædi Jovis exstruendæ Tarquinius Priscus occupat fundamentis, 1, 38. ædem exstruit Tarquinius Superbus, 53. 55. dedicat Horatius Pulvillus, 2, 8. substructum saxo quadrato Capitolium, 6, 4.
in Capitolio Herculis simulacrum positum dedicatumque, 9, 44.
— Limina ænea posita, 10, 23.
— Fornix cum signis septem auratis, duobus equis, et marmorea duo labra, 37, 3.
— Quadrigæ aureæ, 29, 38.
— Signa tria ex mulctaticio argento posita, 30, 39.
Capitolini ludi, *vid.* Ludi.
Capitolinus, *vid.* Manlius, Quintius, Sestius.
Cappadocia, 37, 31. 42, 29.
Capræ palus, 1, 16.
Captivi sub corona venditi, 2, 17.
— non minus decem pondo compedibus vincti, in publici carceris custodia servantur, 32, 26.
Captivorum commutandorum ratio, 22, 23.
Captivorum redimi cupientium oratio, 22, 59. eos redimi non vult senatus, 61.
Captivi Romani, vel plurium captivorum fraus, justa pœna castigata, 22, 58. *et* 61.
Captivi Romani, apud Achæos servitutem servientes, liberantur, 34, 50. idem fit in Creta, 37, 60.
Capua urbs, olim Vulturnus, unde dicta? 4, 37. dolo occupatur a Samnitibus, *ibid. et* 7, 38. Capuæ deliciæ corrumpunt milites, *ibid.* de Capua capienda militum consilia, *ibid.* eluduntur arte, 39. Capuæ præfecti creati, 9, 20. Capuæ conjurationes adversus Romanos factæ, 25. *et* 26, Annibal it Capuam in hiberna, 23, 18. corrumpitur illic ejus exercitus, *ibid.* Capua laborat inopia, 25, 13. sublevatur ab Hannone, *ibid.* obsidetur a consulibus Romanis, 20. cingitur operibus, 22. *et* 26, 1. *et* 4. *vid.* Campani.
Capusa, filius Œsalcis, Numidarum [illegible] regis, accipit paternum imperium, [illegible] 29, 29. dimicat cum Mezetulo de [illegible] regno, et cadit, *ibid.*
Capita Sari fluminis, 33, 41.
Capita hostium lanceis infigunt, aut [illegible]t in equorum pectoribus pendentia [illegible] gestant Galli Senones, 10, 36.
Capitibus rasis sequuntur currum T. [illegible] Quintii triumphantis, qui servitute [illegible]e ab eo exemti fuerant, 34, 52.
Capitis velandi mos fecialibus usurpatus, 1, 32.
Capita hostium præcidenda, libertati [illegible]tis præmium, volonibus proposita, 24 [illegible] 4, 15.
Capite anquisitum de imperatore nul[illegible]llo, ob rem male gestam, 8, 33. cap[illegible]pitis anquirit in Fulvium tribunu[illegible]us, 26, 3.
Caput humanum integra facie in fod[illegible]diendis templi Jovis Tarpeii fund[illegible]damentis inventum, 1, 55.
Caput Jovi sacrum, 3, 55. 10, 38.
Capys Silvius, rex Albæ, 1, 3.
Capys dux, unde Capua dicta, 4, 37.
Carabis, urbs Hispaniæ, 41, 3.
Carales, 23, 40. 30, 39.
Caralitanus ager vastatur a Puni[illegible]ica classe, 27, 6.
Caralitis, palus, 38, 15.
Caranus, primus Macedoniæ rex; [illegible] vicesimus ab eo Perseus, 45, 9.
Caravantis, Caviorum in Illyrico ur[illegible]bs, 44, 30.
Caravantius, frater Gentii, Illyrior[illegible]um regis, 44, 30. captivus Romam m[illegible]ittitur, 32. in triumpho L. Anicii p[illegible]ætoris ducitur ante currum, 45, 43.
Carbo, *vid.* Papirius.
Carcer ædificatur media urbe, 1, 33.
— inferior, 34, 44. alio nomine T[illegible]ullianum, 29, 22.

Carcer lautumiarum, 32, 26.
Carcer privatus in singulis patriciorum domibus, 6, 36.
Carceres in circo, 8, 20, 41, 32.
Cardo, urbs Hispaniæ, 33, 21.
Caria, 33, 19. 37, 16.
Cares, 33, 18. jubentur liberi esse, 44, 15.
Caria Hydrela, 37, 56.
Carinæ, regio urbis Romæ, 26, 10. 36, 27.
Carmelus, *vid.* Catmelus.
Carmen exsecrationis, 10, 38.
— rogationis, 3, 64.
— sollemne precationis consulum, 39, 15.
— triumphale, 3, 29.
Carminis horrendi lex, 1, 26.
Carmina Marcii vatis, 25, 12.
Carmen de Idæa matre, Pessinunte advehenda, in Sibyllinis libris repertum, 29, 10.
Carmen ab ter novenis virginibus per urbem cani jussum, 27, 39. 31, 12.
Carmina militaribus jocis jactata in consules triumphantes, 28, 9. 39, 7.
Carmina Sibyllæ, 10, 8.
Carmenta fatiloqua ante Sibyllæ in Italiam adventum habita, 1, 7.
Carmentalis porta, 2, 49. 24, 47. 25, 7.
Carmentis saxum, 5, 47.
Carni, populi, queruntur de C. Cassii consulis crudelitate, 43, 7.
Carnis in feriis Latinis dandæ mos, 32, 1. legati ab Ardea queruntur, sibi Latinis non datam esse carnem; inde instauratæ Latinæ, *ibid. vid. et* 37, 3.
Carnuntem, munitam urbem, occupare nituntur Romani, 43, 1.
Carnutes, populi Galliæ, 5, 34.
Carpentis ut festo profestoque uti possent, matronis concessum, 5, 25. *vid. et* 34, 1. *et* 3.
Carpesii, 23, 26.
Carpetania Hispaniæ, 39, 30. 40, 30. *et* 33.
Carpetani, populi, cum Vaccæis aliisque populis, vincuntur ab Annibale, 21, 5. *et* 11.
Carris essedisque superstantes Galli pugnant in Romanos, 10, 28.
Carrinas, *vid.* Albius.
Carseoli, colonia, 10, 3. *et* 13. negat consulibus milites et pecuniam, 27, 9. de ea re senatusconsultum, 29, 15.
Carteia, *sive potius Althea*, urbs opulenta, capta et direpta ab Annibale, 21, 5.
Carteia in ora Oceani, 28, 30. cum portu, *ibid.* colonia, 43, 3.
Carthaginis judicum ordinis potentia, 33, 46.
Carthago Nova; eo exercitum in hiberna deducit Annibal, 21, 5. ejus situs et portus, 26, 42. oppugnatur a P. Cornelio Scipione, *ibid.* capitur, 46. præda ingens capta, et obsides totius Hispaniæ, 47. *vid. et* 49. *et* 50. Carthaginis captæ annus dubius, 27, 7.
Carthaginienses exercitum trajiciunt in Siciliam, 4, 29.
cum iis fœdus ictum, 7, 27. legatos Romam mittunt gratulatum cum corona aurea, 38. cum iis fœdus renovatum, 9, 43.
secundi inter Carthaginienses et Romanos belli magnitudo et caussæ, 21, 1. hujus belli eventa describuntur decem libris, *a* 21. *ad* 30. pacis conditiones, 30, 37. quingentæ naves Carthaginiensium incensæ, 43. *vid.* Punicum.
primum tributum solvunt Romanis, 32, 2.
legatos Romam mittunt, pollicentes frumentum et hordeum, 36, 4.
cum Masinissa contendunt de agro, 40, 17. iis a Romanis centum obsides redditi, et pax cum Masinissa facta, 34.
noctu in æde Æsculapii senatum dant legatis Persei, 41, 27.
legatos Romam mittunt questum de Masinissa, 42, 23. legatos Romam mittunt, pollicentes triticum et hordeum, 43, 6.
Carthaginienses cruce mulctant consilio pravo gesta, etiamsi prospere evenerint, 38, 48.
Carthalo summam imperii equestris in exercitu Annibalis obtinet, 22, 15. nobilis Carthaginiensis Romam cum captivis proficiscitur, 58. ei obviam lictor mittitur, qui eum finibus Romanis excedere jubet, *ibid.*
Carthalo mittitur ad castra Romana, 25, 17.
Carthalo, Punici præsidii præfectus, in Tarenti expugnatione obtruncatur, 27, 16.
Carventana arx, 4, 53. *et* 55.
C. Carvilius Spoletinus, 43, 20. *et* 21.
L. Carvilius, tribunus plebis, 25, 3.
Sp. Carvilius C. F. Maximus, ædilis curulis, 10, 9. consul, in Samnium profectus, vi capit Amiternum, oppidum, 39. et Cominium, 43. et alia in Samnio oppida, 44. *et seqq.* ejus res gestæ in Etruria, 46. triumphat, *ibid.*
Sp. Carvilius, consul, suadet, ut ex Latinis populis senatus suppleatur, 23, 22. moritur augur, 26, 23.
Sp. Carvilius, tribunus plebis, 25, 3.
Sp. Carvilius, a Cn. Sicinio ex Græcia Romam remissus, 42, 36.
Caryæ, 34, 26. 35, 27.

Carystus, urbs Eubœæ, capitur a Romanis, 32, 16. *et* 17. libertatem a Romanis accipit, 33, 24.
Carystus, urbs in Ligurum agro Statiellati, 42, 7.
Carystiorum in Eubœa agri vastantur, 31, 45. 32, 16.
Casæ textæ ex arundinibus, 35, 27.
Casander, minister Philippi crudelitatis in Maronitas, veneno creditur ab eo sublatus, 39, 34.
Casilinum, urbs, Falernum a Campano agro dividit, 22, 15. nobilis obsidio Casilini, 23, 17. *et* 20. recipitur Casilinum a Romanis, 24, 19.
Casinas ager, 22, 13. 26, 9.
in Casini et Casilini nominibus error, 22, 13.
Casinum, colonia, 9, 28.
Cassander, rex, 44, 11.
Cassandrea, urbs, 28, 8. 31, 45. 43, 23. 44, 28. 45, 10. condita a Cassandro rege, 44, 11. ejus situs, *ibid.* oppugnatur a Romanis, *ibid.* relinquitur, 12.
Cassandrenses, 44, 10.
Cassignatus, dux Gallorum, cadit in prœlio, 42, 57.
C. Cassius, tribunus militum, 44, 31.
C. Cassius Longinus, prætor, 41, 26. decemvir agro dividundo, 42, 4. consul, 28. sortitur Italiam, 32. Galliam sortitus in Macedoniam per Illyricum ducere exercitum vano incepto conatur, 43, 1. de ejus crudelitate queruntur Galli, 7.
Q. Cassius Longinus, creatur prætor, 45, 14. sortitur jurisdictionem urbanam, 16.
Sp. Cassius, consul, Pometiam capit, 2, 17. triumphat, *ibid.* magister equitum primus, 18. consul iterum, 33. consul III. legem agrariam primus promulgat, 41. regni crimine damnatus, necatur, *ibid.*
Castellani agrestes, sive Ilotæ, apud Lacedæmonios, 34, 27.
Castellani, sive domini castellorum, 38, 45.
Castori ædes vota, 2, 20. dedicata Idibus Quintilibus, 42. *vid. et* 8, 11. 9, 43.
Castra Numidarum descripta, 30, 3.
— Punica, quæ ferme tota lignea, *ibid.*
— Pyrrhi, quibus captis, Romani metationem castrorum postea perfectam habuere, 35, 14.
— Claudiana, locus, 23, 31.
— Pyrrhi, locus, 32, 13. 35, 27.
— Telmissium, 37, 56.
Castrorum portæ, 40, 27.
— usus, 44, 39.
Castrum Mutilum, 31, 2. 33, 47.
— Novum, colonia, 36, 3.
Castrum Salerni, 32, 29.
— Altum, locus insignis cæde magni Amilcaris, 24, 41.
Castulo, urbs Hispaniæ valida ac nobilis, unde Annibali uxor erat, deficit ad Romanos, 24, 41. redit ad Pœnorum societatem, 28, 19. eam deditione recipit Scipio, 20.
Castulonensis saltus, 22, 20. 26, 20. 27, 20.
Catana, 27, 8.
Cataphracti equites, 35, 48. 37, 40.
Catapultæ, 21, 11. maximæ et minoris formæ, 26, 47.
Catellis donati equites, 39, 31.
Catilina, *vid.* Sergius.
C. Catilina, Epit. 103.
L. Catilina, Epit. 102.
Q. Catius, ædilis plebis, 27, 6. legatus Neronis consulis, 43. ad donum ex præda Asdrubalis Delphos portandum mittitur, 38, 45.
Catmelus, Gallorum regulus, 41, 5.
Cato, *vid.* Porcius Cato.
Catulus, *vid.* Lutatius.
Caudium, 9, 2. 14, 19. *et* 27.
Caudinæ Furcæ, earumque descriptio, 9, 2.
Caudina pax facta non fœdere, sed per sponsionem, 9, 5. ejus sponsores per feciales deduntur, 10.
Caudini Samnites, 23, 41. devastantur, 24, 20.
Caveæ ferreæ in circo, per quas intromitterentur feræ, 41, 31.
Caviorum gens, 44, 30.
Caularis, amnis, 38, 15.
Caulonia urbs, oppugnatur, 27, 12. solvitur obsidio, sub adventum Annibalis, 15.
Caunum a Ptolemæo emerunt Rhodii, 46, 10.
Caunei sive Caunii, 33, 20. desciscunt ab Rhodiis, 45, 25. rediguntur in officium, *ibid.*
Caunus, mons in Hispania, 40, 50.
Caussarii milites, 6, 6.
Celænæ, urbs, ubi Mæandri amnis fontes oriuntur, 38, 13. quondam caput Phrygiæ, *ibid.* ei nomen Apameæ inditum, *ibid.*
Celelates, populi, se dedunt Romanis, 32, 29.
Celeres trecentos ad custodiam corporis instituit Romulus, 1, 15. eorum tribunus L. Brutus, 59.
Celetrum, oppidum, captum a Romanis, 31, 40. ejus situs, *ibid.*
Cella Fortis Fortunæ, 27, 11.
— Jovis, 5, 50. 35, 41. 44, 14.
— Minervæ, 6, 29.
Cellam unam pontifices negant amplius, quam uni Deo, rite dedicari, 27, 25.

Celoces piraticæ, 37, 27.
Celtiberia, 28, 1. subigitur a Ti. Sempronio Graccho, 40, 47. 50. *vid. et* 41, 3.
Celtiberiæ montes, 21, 43.
Celtiberi excutiunt jugum Pœnorum, 22, 21. eos eadem mercede, quam pacti cum Carthaginiensibus erant, imperatores Romani ad se perducunt, 24, 49. deserunt Scipionem, 25, 33. vincuntur a M. Silano, 28, 2. ingenti agmine ad oppidum Illiturgi M. Helvio occurrunt, 34, 10. cædunturr, *ibid.* Celtiberûm decem millia mercede conducunt Turduli, 17. funduntur et fugantur a M. Fulvio, 35, 7. duodecim millia cæsa a Romanis, 39, 21. de iis triumphat C. Calpurnius Piso, 42. eorum oppida aliquot expugnata, 56. adoriuntur Q. Fulvium Flaccum, Urbicuam oppugnantem, 40, 16. fessi prœliis variis abscedunt, *ibid.* vincuntur, 31, 32. eorum maxima pars in deditionem vehit, 33. insidiantur Fulvio Flacco, eumque in saltu Manliano invadunt, 39. cædûntur, 40. de iis triumphat Q. Fulvius Flaccus, 43. mira eorum simplicitas, 47. de iis triumphat Sempronius Gracchus, 41, 11.
Cenæum Eubœæ, 36, 20.
Cenchreæ, 28, 8. 32, 19. Corinthiorum emporium, 32, 17. capitur, 23.
Cenomani transcendunt Alpes, et in Italia considunt, 5, 35. in fide populi Romani manent, 21, 55. duce Amilcare Pœno, invadunt Placentiam, 31, 10. conciliantur Romanis, 32, 30. de iis triumphatur, 33, 23. iis arma demit M. Furius prætor, 39, 3. conquerentibus Romæ apud senatum arma reddita, *ibid.*
Cenon, oppidum, ab A. Virginio consule captum, 2, 63.
Censennia, urbs, 9, 44.
Censor, a censu dictus, 4, 8.
— alius numquam sufficitur defuncto, 5, 31. 6, 27.
— post mortem collegæ abdicat, 9, 34.
— primus e plebe fit C. Marcius Rutilus, 7, 22.
— alter alterum notat, 29, 37.
Censores Mam. Æmilium tribu movent, octuplicatoque censu ærarium faciunt, 4, 24.
— qui nondum consules fuerant, creati, 27, 11.
— recitant senatum, 29, 37. 40, 51.
— senatu movent aliquot senatores, 34, 44. 39, 42.
— notas adscribunt senatu motis, 39, 42.
Censores equitibus adimunt equos publicos, 24, 18. *vid. et* 27, 11.
— in campo ad aram Martis sellis curulibus considerent, 40, 45.
Censorum opera publica, in quæ iis vectigal annuum decretum, 40, 46. 41, 32.
— de delectu edicta, 43, 16.
Censoria potestas per dictatorem exercita, 23, 22. *et* 23.
Censura, ejusque initium, et potestas, 4, 8.
Censura, insignis, 9, 29. 39, 42-44.
Censuræ tempus minutum, et ex quinquennali annua et semestris facta, 4, 24. 9, 33.
— severitas, 24, 18. 39, 44.
Census instituitur, 1, 42. *et* 43. census actus, 3, 3. 22. *et* 24. 10, 47. 27, 36. 29, 37. 35, 9. 38, 36. 42, 10. *vid.* Lustrum.
— populi primum in villa publica actus, 4, 22.
— equitum, 29, 37.
— Idibus Decembribus habitus, 44, 16.
C. Centenius, proprætor, 22, 8.
M. Centenius, cognomento Penula, insignis inter primipili centuriones, 25, 19. ejus clades, *ibid.*
Centunculi mulorum, 7, 14.
Centuriæ tres equitum a Romulo conscriptæ, 1, 13. in iis, regnante Tarquinio Prisco, mille et octingenti equites, 36. geminantur a Ser. Tullio, ita ut sex numero fiant, adjectis duodecim novis centuriis, 43.
in Centurias describitur a Ser. Tullio populus Romanus, 1, 42. *et* 43. ordo suffragiorum per Centurias, *ibid.* prærogativa Centuria, 5, 18. 10, 22. 24, 7. 26, 22.
Centuria, sive ordo in legione, 42, 34.
Centuriata comitia, *vid.* Comitia.
Centuriatus, sive descriptio modo lectorum militum in Centurias, 22, 38. *vid. et* 10, 21. 25, 15.
Centuriati libertini, 10, 21.
Centurio primus, Primipilus appellatus, 7, 41. *vid. et* 8, 8. ubi acies Romana describitur, *vid. et* 25, 19. 34, 46.
— primus princeps, 25, 14. 42, 34.
— primus hastatus, *ibid.*
Centurionis vox pro omine accepta, 5, 55.
Centuriones et Duplicarii, securi percussi, 2, 59.
Centurionibus quantum diviserint triumphantes imperatores, 34, 52. 36, 40.
Cephalus, princeps Epirotarum, suam gentem Perseo adjungit, 43, 5. pugnans cadit, 45, 26.

Cephallenia insula, 37, 13. *et* 50. 38, 9. *et* 28.
Cerræ ducena millia pondo Romanis dare coguntur Corsi, 42.
Cercetius, mons, 32, 14.
Cercina, insula, 32, 31. 33, 48.
Cercinium, oppidum, captum et incensum, 31, 41.
Cercuri, navigii genus, 33, 19.
Cerdiciates, populi, se dedunt Romanis, 33, 29.
Cerdubellus, Hispanus, prodit Romanis Castulonem urbem, 28, 20.
Cerealia, ludos, dictator et magister equitum ex senatusconsulto faciunt, 30, 29.
Ceres, 2, 41.
Cereris sacrum anniversarium qua occasione intermissum, 22, 56.
— ædes, 3, 55. 28, 11. 40, 2.
Cereris templum Athenis ingressi duo juvenes Acarnanes, imprudentes religionis, interficiuntur, 31, 14.
— Initia, 31, 47.
Cereri peculium Sp. Cassii consecrat pater, 2, 41.
— institutum jejunium ob prodigia, 36, 37.
— signum æneum ex mulctaticio argento positum, 33, 25.
Cerrinus Jubellius, *vid.* Jubellius.
Certima, prævalida urbs Celtiberiæ, deditur Romanis, 40, 47.
Certimensium legatorum rudis simplicitas, *ibid.*
Certis, fluvius, idem qui Bætis, 28, 22.
Cerva, Dianæ sacra, 10, 27.
Cervi objecti viæ intercludendæ, 44, 11.
Cestrosphendonæ descriptio, 42, 65.
Cethegus, Epit. 102. *vid. et* Cornelius.
Cetra peltæ haud dissimilis, 28, 5.
Cetrati, 31, 36. 33, 4. *et* 8. 35, 30. 42, 51.
Cetrati, 21, 21. 44, 41. Peltastæ vocati, 31, 36. 33, 4.
Chærea, 40, 55.
Chæronea, 35, 46. 36, 11. 42, 43.
Chalcaspides, milites, 44, 40.
Chalcedon, 42, 56. Epit. 93.
Chalcis Euboïca, 8, 22. 27, 30. 28, 5. 6. *et* 8. ab Chalcide Euboïca originem trahunt. Cumani, 8, 22.
Chalcidis situs, 28, 7.
Chalcidem occupant Romani, et direptam relinquunt, 31, 23. eam tentat frustra Thoas, Ætolorum princeps, 35, 37.
Chalcidenses colloquuntur cum Ætolis, 35, 38. *et* 46. portas aperiunt Antiocho, 51. et mox consuli M'. Acilio Glabrioni, 36, 21. queruntur de injuriis sibi illatis, 43, 9. urbs eorum diruta, Epit. 52.
Chalcidensis hospitis cœna, 35, 49.
Chalciœcon, templum Minervæ æreum, 35, 36.
Chaones, 43, 25.
Chaonia, 32, 5.
Charax, locus præsidio Persei circa Tempe occupatus, 44, 6.
Chariclitus, præfectus Rhodiorum classis, 37, 23.
Charilaus, princeps civitatis Palæpolis, tradit urbem Publilio Philoni, imperatori Romano, 8, 25.
Charopus, princeps Epirotarum, Villio et Quintio consulibus utilem operam præbet, 32, 6. *et* 11.
Charopus, superioris nepos, missus ab avo Romam, ut linguam Romanam literasque perdisceret, 43, 5. principes gentis suæ criminatur apud Romanos, et cogit ad Persei amicitiam confugere, *ibid.*
Chatti pop. Epit. 138.
Chaus, amnis, 38, 14.
Chelidonium promontorium, 33, 41.
Chersonesus, 31, 16. 36, 41.
Cherusci pop. Epit. 138.
Chimarus, miles Persei Cretensis, 44, 24.
Chius, 44, 28. insula et oppidum, 37, 27.
Chii, 44, 28. mittunt legatos ad dirimendum bellum, Philippum inter et Ætolos, 27, 30. donantur agro, 38, 39.
Cia, 31, 15.
Ciani, 31, 31. 33, 30.
Cibyra, oppidum, 38, 14.
Cibyratæ, populi, 45, 25.
C. Cicereius Africani, cujus scriba fuerat, filio ad præturam consequendam adjumento est, 41, 26. fit prætor, 33. vincit Corsos, et in Sardiniam transit, 42, 7. de Corsis triumphat in monte Albano, 21.
C. Cicereius, legatus ad Gentium, Illyriorum regem, 26. *vid. et* 45, 17. ædem votam dedicat, 45, 15.
Cicero, *vid.* C. Claudius, *et* Tullius.
Q. Cicero, Epit. 106.
Cilicia, 33, 19. Cilices maritimi, 38, 18.
Cilnium genus in Etruria præpotens, 10, 3.
Cimbis, locus non procul a Gadibus, 28, 37.
Cimetra, urbs, capta, 10, 15.
Ciminiam silvam penetrat exercitus Romanus, 9, 36.
Ciminius mons, 9, 37.
Cincibilus, Gallorum rex, legatos mittit Romam questum de crudelitate C. Cassii consulis, 43, 7.

Cincinnatus, *vid.* Quintius.
Cincia lex de donis et muneribus, 34, 4.
Cincius, diligens vetustorum monumentorum auctor, 7, 3. *idem qui*
L. Cincius Alimentus, captus ab Annibale, 21, 38. prætor, 26, 23. ei ad obtinendam Siciliam Cannenses milites dati, 28. in annum prorogatur imperium, 27, 7. legatus, 29.
M. Cincius Alimentus, tribunus plebis, ad Scipionem mittitur, 29, 20.
M. Cincius, præfectus Pisis, de Ligurum conjuratione ad senatum scribit, 34, 56.
Cimbri, Epit. 63. 68.
Cimbricum bellum, Epit. 67. 68.
Cinctus Gabinus, 5, 46. 8, 9.
Cingilia, oppidum Vestinorum, capitur a Romanis, 8, 29.
Cinna, *vid.* Cornelius, *et* Helvius.
Circe, Dea, a qua oriundus Octavius Mamilius Tusculanus, 1, 49.
Circeii, 1, 56. 2, 39. colonos Romanos inde expellit Marcius Coriolanus, et urbem Volscis tradit, *ibid. vid. et* 27, 9. 29, 15. de Circeiis, quod pecuniam militesque Romanis negarant, senatusconsultum, *ibid.*
Circeienses moliuntur defectionem, 6, 12. *et* 21.
Circense ludicrum, 44, 9.
Circensium ludorum crescens magnificentia, 44, 18.
Circus Apollinaris, 3, 63.
— Flaminius, 3, 54. 27, 21. in eo ara Neptuni, 28, 11.
— Maritimus apud Hernicos, 9, 42.
— Maximus, a Tarquinio Prisco ædificatus, 1, 35. foros in eo facit Tarquinius Superbus, 56. in eo factus fornix de manubiis, et fornici imposita signa aurata, 33, 27. signa in eo, cum columnis, quibus superstabant, evertit atrox tempestas, 40, 2.
in Circo carceres quando primum statuti, 8. 20. ova, 41, 32. in eo ludi per quatriduum facti, 30, 27. Circo inundato, ludi Apollinares extra portam Collinam parati, 30, 39.
Cirrha, 42, 15.
Cirta, 29, 32. caput regni Syphacis, 30, 12. se dedit Masinissæ, *ibid.* eam Masinissæ donat Scipio, 44. obsessa, Epit. 64.
Cistophori nummi, 37, 46. 39, 7.
Circumpadani campi, 21, 35.
Cirta, caput regni Syphacis, Romanis deditur, 30, 12.
Cisalpina Gallia, *vid.* Gallia, *et* Galli.
Cithæronis saltus, 31, 26.
Citium, Macedoniæ oppidum, 42, 51.
Citius, mons, 43, 23.
Civica corona, *vid.* Corona.
Cives novi censi, 8, 17.
Civium Romanorum in centurias distributio, 1, 43, numerus tempore Servii Tullii, 44.
Civile jus, in penetralibus pontificum repositum, C. Flavius Cn. filius, scriba, evulgat, 9, 46.
Civismarus, regulus Gallorum, cadit in prœlio, 24, 42.
Civitas in duas partes discedit, 9, 46.
Civitatis forma mutatur, a consulibus ad decemviros translato imperio, 3, 33.
Cius, urbs, funditus eversa, 32, 33. *et* 34,
Clamor in prœlio, 8, 16. *et* 38. 25, 21. *et* 41. 30, 34.
Clamor initio pugnæ, index eventus, 4, 37.
Clampetia, in Bruttiis, capitur a Romanis, 29, 38. 30, 19.
Clarigatio, 8, 14.
Classico milites ad concionem convocati, 7, 36. 8, 7. *et* 32.
Classis Achæorum, 35, 26.
— Attali, 32, 16.
— Græcorum, ad Italiæ litora appulsa, 10, 2.
— Nabidis, 35, 26.
— Punica, 21, 22. vastat Sardiniam, 27, 6. vincitur a Romana, 29. *et* 28, 4.
— Rhodiorum, 32, 16.
— Romanorum, 9, 30. *et* 38. classis die quadragesimo quinto, quam ex silvis materia detracta erat, in aquam deducitur, 28, 45. proficiscitur, duce Scipione, in Africam, 29, 25. *et* 26.
Classibus pugnatum ad Fidenas, 4, 34.
Classium a Servio Tullio instituta distinctio, 1, 43. 4, 4.
Clastidium, vicus, proditur Pœnis, 21, 48. fuit horreum Pœnis, *ibid.* se dedit Romanis, 32, 29. incenditur, 31.
Claudia Quinta, matrona, ab sacerdotibus Idæam Matrem accipit, 29, 14. ejus pudicitia, *ibid.*
Claudia gens omnis, cur, et quando sordidata, 6, 20. majestatis Patrum propugnatrix, 41. inimica plebi, 9, 34.
Claudia tribus ab Ap. Claudio appellata, 2, 16.
Claudiana castra, 23, 31. 39. *et* 48. 25, 22.
Claudius historicus, 8, 19. 9, 5. 33, 10. annales Acilianos ex Græco in Latinum vertit, 25, 39. 35, 14.
Claudius Asellus pugnat cum Jubellio Taurea Campano, 23, 46. *et* 47.
Ap. Claudius, magna clientium comitatus manu, ab Regillo Romam transfu-

git, 2, 16. iis datur civitas et trans Anienem ager, *ibid.* inter Patres legitur, *ibid.* consul, 21. in ejus consulatu turbæ, 28. *et seqq.* ejus sententia de dictatore creando, 29. *et* 30. auctor est dissolvendæ potestatis tribunitiæ per intercessionem, 44.

Ap. Claudius consul, infectus plebi, 2, 56. atrox ejus certamen adversus tribunos de magistratibus plebeiis, tributis comitiis creandis, *ibid.* mittitur in Volscos, 58. exercitum nequidquam domare tentat, *ibid.* vinci volunt ejus milites, 59. in exercitum animadvertit, *ibid.* ei dies dicitur, 61. moritur, *ibid.*

Ap. Claudius creatur decemvir, 3, 33. ejus ambitio, 35. violentia, 36. libido, 44. foro pellitur, 49. abdicat decemviratum, 54. ei dies dicitur, 56. ducitur in carcerem, 57. sibi necem conscivit, 58.

Ap. Claudius, filius decemviri, tribunus militum, 4, 35. a collegis relinquitur præfectus urbis, 36.

Ap. Claudius, nepos decemviri, avitum consilium de intercessoribus parandis refert, 4, 48. tribunus militum consulari potestate, 5, 1. ejus oratio pro hibernaculis ad Veios, 3. *et seqq.* ejus sententia de præda Veiorum, 20.

Ap. Claudius, nepos decemviri, dissuadet legem de consulatu plebeio, 6, 40. dictator, 7, 6. consul, in ipso apparatu belli moritur, 25.

Vestæ pulvinar in lectisternio, 22, 10. ejus ædes ab incendio servata opera servorum, 26, 27. in ædis penetrali conditum fatale pignus imperii Romani, *ibid.*
Vestæ penetralis ignis exstinctus, 28, 11. 41, 2. supplicatio ad Vestæ, 28, 11.
Vestalis Rhea Silvia, mater Romuli, 1, 3. *et* 4.
Vestales virgines a Numa Pompilio lectæ, 1, 20. iis stipendium de publico statutum, *ibid.* virginitate aliisque cærimoniis sanctæ factæ, *ibid.*
Vestales virgines sacraque in plaustrum imponit L. Albinius, et Cære pervehit, 5, 40.
Vestalium hospitium a Cæritibus religiose cultum, 7, 20.
Vestalis virgo incestus rea absolvitur, sed jubetur abstinere jocis, coliqne sancte potius, quam scite, 4, 44.
Vestalis virgo, incesti comperta, viva defoditur, 8, 15. 22, 27.
Vestalis, cujus custodia ejus noctis fuerat, qua ignis in Vestæ æde exstinctus, jussu pontificis cæsa est flagro, 21, 11. 41, 2.
Vestia Oppia, Attellana mulier, quæ quotidie sacrificarat pro salute et victoria populi Romani, in possessionem bonorum libertatemque restitutur, 26, 33. *et* 34.
Vestimenta ad exercitus missa, 32, 27. 44, 16.
in Vestimentum petitionis caussa album addi vetitum, 4, 25.
Vestem mutare solent rei et eorum propinqui, 2, 61. 6, 20.
Vestes stragulæ pretiosæ ex Asia Romam advectæ, 39, 6.
Vestina cohors, 44, 40.
Vestinus populus conjungit se Samnitibus, 8, 29. iis bellum indictum, *ibid.* vincuntur uno prœlio, *ibid.* cum iis fœdus ictum, 10, 3.
Vesuvius, mons, 8, 8.
Veterani donantur agris, 31, 4.
Veteres campi, 25, 16.
Veto, vox tribunorum intercedentium, 6, 35.
Vettii, gens Macedonica bellicosa, 45, 30.
Veturia, mater Coriolani, proficiscitur in filii castra, ejusque flectit animum, 2, 40.

Veturia, centuria juniorum, 26, 22.
— seniorum, *ibid.*
C. Veturius, consul, 3, 31. ei ab Allieno dies dicta, *ibid.* in locum C. Horatii Pulvilli augur legitur, 32.
C. Veturius, tribunus militum consulari potestate, 6, 32. secundum, 36.
L. Veturius, decemvir, 3, 33.
L. Veturius, tribunus militum consulari potestate, 6, 38.
L. Veturius Philo, dictator comitiorum habendorum caussa. 22, 23. censor, 27, 6. moritur, *ibid. vid. et* 34.
L. Veturius Philo, ædilis curulis, 27, 6. prætor, *ibid.* sortitur jurisdictionem pegrinam et Galliam, 7. proprætor Galliæ, 22. legatus, 28, 9. a M. Livio dictatore consul creatur, et Bruttii, provincia, ipsi decernuntur, 10. ejus res gestæ, 11. habet comitia consularia, 38. magister equitum, 29, 11. a Scipione ex Africa mittitur Romam, 30, 38. exponit victoriam Scipionis, 40.
M. Veturius, tribunus militum consulari potestate, 5, 13.
T. Veturius Calvinus consul creatur, 8, 16. iterum, 9, 1. sub jugum mittitur, 6. deditur Samnitibus, 10.
T. Veturius Geminus, consul, Volscos fundit fugatque, 3, 8. ovans urbem ingreditur, 10.
T. Veturius Gracchus Sempronianus augur, in locum Sempronii Gracchi, sufficitur, 41, 26.
Ti. Veturius Philo creatur flamen Martialis, in locum M. Æmilii Regilli, 29, 38.
C. Vetusius, consul, 2, 19.
T. Vetusius, consul, 2, 28. contra Æquos, qui agrum Romanum invaserant, proficiscitur, 30.
Vexillarius, 8, 8. 35, 5.
Vexillum, 8, 8.
Vexillum in hostes jactum, 25, 14. *vid.* Signum.
Ufentina tribus addita, 9, 20.
Uffugum, oppidum, deficit a Pœnis ad Romanos, 30, 19.
Via Æmilia, a M. Æmilio Lepido munita, 39, 2.
— Appia, 7, 39. quando munita, 9, 29. *vid. et* 22, 1. *et* 55.
— Flaminia, C. Flaminii censoris opus, 22, 11.
— a C. Flaminio consule perducta a Bononia ad Arretium, 39, 2.
— per Formianum montem, 39, 44.
— Gabina, 2, 11. 3, 6. 5, 49.
— Latina, 2, 39. 10, 36. 26, 8.
— Lavicana, 4, 41.
— a Martis silice ad Bovillas, perstrata, 10, 47.
Via Nomentana, eademque Ficulnensis, 3, 52.
— Salaria, 7, 9. 3, 32.
Via Fornicata Romæ, 22, 36.
— Sacra, 2, 13.
Viæ per agros a censoribus publica impensa factæ, 9, 43.
Vias sternendas silice in urbe, glarea extra urbem subternendas marginendasque censores locant, 41, 32.
Viator mittitur a tribuno ad consulem, 2, 56. a consulibus ad matronas, 8, 18.
Viatores ædilitii, 30, 39.
Vibius Accuæus, præfectus cohortis Pelignæ, arreptum vexillum trans vallum hostium trajicit, 25, 41. ob strenuum factum donatur, *ibid.*
Vibius Virrius, unus e legatis Campanis, ad Varronem consulem missis, suadet suis defectionem ab Romanis, 23, 6. desperatis Capuæ rebus, senatores Campanos ad mortem sibi consciscendam adhortatur, 26, 13. cum septem et viginti senatoribus Campanis venenum bibit, 14.
Vibius et Pactius fratres, *vid.* Pactius.
Vibonem colonia deducta, 35, 40.
Vibonensis ager, 21, 51.
Vibulanus, *vid.* Fabius.
Vicæpotæ ædes, 2, 7.
de Vicesima manumissorum lex in castris lata, 7, 16.
Vicesimarium aurum, *vid.* Aurum.
Vicilini Jovis templum in agro Compsano, 24, 44.
Victimæ cæduntur ad averruncandam Deûm iram, 8, 6.
Victimæ majores cæsæ, 30, 21. 36, 38.
Victimæ aliaqne, quæ ad sacrificium pertinent, magistratibus e publico præbita, 45, 44.
Victimarius, 40, 29. 41, 19.
Victoria aurea pondo trecentûm viginti, ab Hierone senatui Romano dono missa, in Capitolio locatur, 22, 37.
Victoria in culmine ædis Concordiæ fulmine icta, 26, 23.
Victoriæ ædes, facta ex mulctaticia pecunia, dedicatur a L. Postumio, consule, 10, 33.
Victoriæ ædes in Palatio, 29, 14.
Victoriæ Virginis ædicula prope ædem Victoriæ, 35, 9.
Victoriæ mons, 24, 41.
Victoriati nummi, 41, 17.
Q. Victorius, primipili centurio, signum ademtum signifero jacit in hostem, 34, 46.
Victumviæ, emporium, 21, 45. Victumviæ captæ, fusis et truciddtis oppidanis, 57.
Vicus Cyprius, 1, 43.

Vicus Jugarius, 24, 47. 27, 37. 35, 21.
— Longus, 10, 23.
— Mælius, 33, 26.
— Tuscus. 2, 14. 27, 37. 33, 26.
Vicos cur non direxerint Romani, 5, 55.
Viduæ equitibus, qui equos alerent, attributæ, 1, 43.
Viduarum pecuniæ in ærarium conlatæ, 24, 18.
Vigil, quem Galli scandentes fefellerant, de saxo dejectus, 5, 47.
Vigilibus scutum aufert Æmilius Paullus consul, 44, 33.
Vigiliis quatuor distincta nox quælibet: hinc
Vigilia prima, 5, 44. 9, 36. 10, 34. 21, 27. 23, 35. 27, 15. 30, 6. 35, 13.
— secunda, 7, 35.
— tertia, 9, 44. 10, 20. *et* 40. 25, 38. 27, 42. 28, 7. 35, 1. 36, 19. 40, 4.
— quarta, 9, 37. 21, 47. 24, 46. 25, 13.
Vigiliæ vicatim Romæ exactæ, 10, 4. 32, 26.
Vigiliæ nocturnæ per urbem minoribus magistratibus mandatæ, 39, 14. *et* 16.
Vigiliarum munus a senatoribus obitum, 3, 6.
Vigiliæ militares, 44, 33.
Vigiliæ ab exercitu Annibalis per quatriduum et tres noctes toleratæ, 22, 2.
Villa publica in campo Martio ædificata, 4, 22. ibi primum census populi actus, *ibid.* reficitur et amplificatur, 34, 44. in ea hospitium legatis hostium præbetur, 30, 21. 33, 24.
L. Villius, tribunus plebis, legem annariam fert, 40, 44. inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur, *ibid.* creatur prætor, 42, 28. sortitur jurisdictionem inter peregrinos, 31.
L. Villius Tappulus, ædilis plebeius, aliquot matronas probri accusat, 25, 2.
L. Villius Tappulus, prætor, 31, 49. ei evenit Sardinia, 32, 1.
P. Villius, tribunus plebis, 3, 54.
P. Villius Tappulus, ex ædilitate plebeia prætor, 29, 38. sortitur Siciliam, 30, 1. decemvir agris dividundis, 31, 4. consul, 49. proficiscitur in Macedoniam, 32, 3. nihil memorabile ab eo actum, 6. legatus sub T. Quintio, 28. jubetur esse in numero decem legatorum, ex quorum consilio pacis leges Philippo daret T. Quintius, 33, 24. it ad Antiochum, 35. ejus et collegarum congressus cum rege, 39. *et* 40. rursum mittitur ad Antiochum, 34, 59. Elæam venit, 35, 13. congreditur cum Annibale, 14. cum Antiocho, 15. legatus in Græciam mittitur, 23. tentat Magnetas frustra, 39.
Viminalis collis additus urbi a Ser. Tullio, 1, 44.
Vincula demta Romæ vinctis in celebritate primi lectisternii, 5, 13.
Vindalium, oppidum, Epit. 61.
Vindiciæ secundum libertatem, 3, 44.
Vindicius, servus, conjurationem ad revocandos reges initam prodit, 2, 4. ei pecunia ex ærario, libertas et civitas datur, 5. quidam Vindictæ nomen ab illo tractum putant, *ibid.*
Vinearum usus in oppugnationibus, 5, 7. 10, 34. 21, 61. 23, 18. 32, 4. 35, 22.
Vinum publice in sacrificiis præbitum, 10, 23.
— in Galliam invectum illiciendæ gentis caussa, 5, 33.
Vini avidi tibicines, *vid.* Tibicines.
Vir factus ex muliere, *vid.* Prodigium.
Vir virum legens, 9, 39. 10, 38.
Viri majoris species, quam pro humano habitu, augustiorisque, in quiete visa utrique consuli, 8, 6.
Virorum omne genus in insula Lemno conjuratione muliebri sublatum, 34, 2.
Virorum inter sese plura stupra in Bacchanalibus, quam feminarum, 39, 18.
Virbius clivus, 1, 48.
Virdomarus, Insubrium Gallorum dux, Epit. 20.
Virga circumscribitur Antiochus rex a Popillio, legato Romano, 45, 12.
Virga lictor Sulpicii, tribuni militum domum intrantis, forem percutit, 6, 34.
Virgis cædi civem Romanum, vetuit lex Porcia, 10, 9.
Virgis cæsi, et securi percussi in medio foro trecenti quinquaginta octo delecti nobiles Tarquinienses, 7, 19.
Virgis sese cædunt mutuo quidam Lucanorum in invidiam Romanorum, 8, 27.
Virginia, Auli filia, patricia, nupta Volumnio, consuli plebeio, 10, 23. exclusa sacris Pudicitiæ patriciæ a matronis patriciis, dedicat aram Pudicitiæ plebeiæ, *ibid.*
Virginiæ infelix forma, mors miserabilis, et ultio, 3, 44—48. *et* 58.

A. Virginius, consul, 2, 28. contra Volscos proficiscitur, eosque fundit, 30.
A. Virginius, consul, 2, 51.
A. Virginius, consul, 2, 63. contra Æquos proficiscitur, *ibid.*
A. Virginius, triumvir agro dando, 3, 1.
A. Virginius, tribunus plebis, Cæsoni Quintio capitis diem dicit, unde magnæ contentiones, 3, 11—13.
A. Virginius, postquam tribunatu plebis abierat, accusatur, et denis millibus gravis æris condemnatur, 5, 29.
L. Virginius, Virginiæ pater, 3, 44. ejus de filia cum Ap. Claudio contentio, 47. filiam suam occidit, 48. orta inde certamina in urbe, 49. et motus in castris, 50. consilium ab eo militibus datum, de creandis decem tribunis militum, quorum in numero esse recusat, 51. creatur tribunus plebis, 54. Appio diem dicit, 56. et eum in carcerem duci jubet, 57. remittit ultimam pœnam M. Claudio, assertori Virginiæ, 58.
L. Virginius, consul, 4, 21. iterum, 23.
L. Virginius, tribunus militum consulari potestate, 5, 8. invisus infestusque collegæ Sergio, ei non fert auxilium, *ibid.* ante diem ipse et collega abdicare coguntur, 9. accusatur a tribunis plebis, 11. decem millibus æris gravis condemnatur, 12.
L. Virginius, tribunus militum consulari potestate, 6, 1.
L. Virginius, tribunus militum, 27, 43.
Opiter Virginius, consul, cum collega Pometiam primo vi, deinde operibus oppugnat, 2, 17. triumphat, *ibid.*
Opiter Virginius, consul, 2, 54.
Proc. Virginius, consul, 2, 41. ejus cum collega de lege agraria contentiones, *ibid.*
Sp. Virginius, consul, 3, 31.
T. Virginius, consul, 2, 21.
T. Virginius, consul, 2, 48.
T. Virginius Rutilus, augur, moritur, 3, 7.
T. Virginius Cœlimontanus, consul, 3, 65.
Virgines ter novenæ, per urbem euntes, carmen canunt in Junonem Reginam, 27, 37. 31, 12.
Virgines decem, et decem ingenui pueri, patrimi omnes matrimique, ad sacrificium adhibiti, 37, 3.
ob Virginem excitatum Ardeæ bellum, 4, 9.
Virginem captivam parentibus reddit Scipio, 26, 50.
Virginem Chalcidensem in medio ardore belli ducit uxorem Antiochus, 36, 11.
Virgo Vestalis incesti damnata, *vid.* Vestalis.
Virilis toga, 26, 19.
Virtute, non dolo, superare hostes, pulchrum ducebant Romani veteres, 42, 47.
Virtutis et Honoris ædes votæ a M. Marcello, et exstructæ, 27, 25. a filio ejus dedicata Virtutis ædes, 29, 11.
Visceratio populo data a M. Flavio in funere matris, 8, 22. *vid. et* 39, 46. 41, 33.
Visus nocturni, 2, 36. 8, 6.
Vitellia, oppidum, 2, 39. 5, 29.
Vitruvius Vaccus, Fundanus, vastat Setinum Norbanumque agrum, 8, 19. in potestatem venit Romanorum, 20. asservatur in carcere, *ibid.* verberatus necatur, *ibid.* ædes ejus diruuntur, et bona Semoni Sanco consecrantur, *ibid.*
Vitulus jam ictus e manibus sacrificantium sese proripuit, multosque circumstantes cruore respersit, 21, 6.
Ultrotributa, 39, 44. 48, 18.
Ulysses, 1, 49. ab eo et Circe Dea oriundus Octavius Mamilius, *ibid.*
Umbilicus orbis terrarum Delphi, *vid.* Delphi.
Umbilicum Græciæ incolunt Ætoli, 35, 18.
Umbo, 9, 41. 30, 34.
Umbri, populi, 5, 35. 9, 37. agro pulsi a Boiis, 5, 35. eorum exercitus funditur, 9, 39. deficiunt, 41. se oppugnaturos Romam jactant, *ibid.* adoriuntur Romanos, vincuntur, et defectionis auctores dedunturur, *ibid.* instaurant bellum, juncti cum Etruscis, Samnitibus, Gallis, 10, 21. *vid. et* 27.
Umbria, 10, 1. 22, 9. 27, 43.
Umbriæ pars, plaga Materina, 9, 41. tribus Sappinia, 31, 2.
Unciarium fœnus, 7, 16. ex unciario semunciarium fœnus factum, 27.
Unimanus, *vid.* Claudius.
Vocanus ager in Africa, 33, 48.
Q. Voconius Saxa, tribunus plebis, legem fert de hæreditatibus mulierum, 41, 34.
Vocontii, 21, 31.
Volæ, urbs Æquorum, 4, 49. eadem quæ Bolæ, 6, 2.

cum Volanis bellum, 4, 49.
Volanus ager, 4, 51.
ad Volaterras cum Etruscis incerta victoria pugnatum, 10, 12.
Volaterrani interamenta navium et frumentum pollicentur Scipioni, 28, 45.
Volcæ, 21, 26.
Volcentes ab Annibale deficiunt ad Romanos, 27, 15.
Volero Publilius, *vid.* Publilius.
Volerones ab Ap. Claudio tribuni plebis vocati, 2, 57.
Volones, id est, servi in militiam conscripti, 22, 57. 23, 32. 24, 11. libertatem tacitis votis expostulant, 24, 14. iis libertatem promittit Ti. Gracchus, referentibus capita hostium, *ibid.* capita hostium abscindunt, quæ abjicere jubentur, 15. iis datur libertas, 16. segniores ex iis notantur, *ibid.* Beneventi in publico pileati epulantur omnes, *ibid.* simulacrum celebrati ejus diei Gracchus Romæ pingi jubet in æde libertatis, *ibid. vid. et* 25, 20. *et* 22. Volones in undevicesimam et vicesimam legiones scripti, 27, 38. *vid. et* 28, 46.
Volsci petuntur bello a Tarquinio Superbo, 1, 53.
in Volscos missi ad frumentum comparandum, 2, 9. Volsci comparant auxilia, quæ mittant Latinis, 22. obsides dant trecentos principum liberos, *ibid.* occultum parant bellum, *ibid.* veniunt ad oppugnandam urbem, 24. vincuntur, 25. Volsci Romanis bellum inferunt, 30. vincuntur, *ibid.* iis Veliternus ager ademtus, 31. Volsci Antiates victi, 33. ad ludos Magnos magna Volscorum vis Romam venit, 37. exacti urbe, *ibid.* concitati ab Att. Tullo, deficiunt a Romanis, 38. *et* 39. retro abducuntur a Coriolano, 40. redeunt in agrum Romanum, *ibid.* rebellant, 42. castra ponunt in Latino agro, sed vincuntur, et nullum genus calamitatis contumeliæque non editum in Volscos, 53. iis induciæ in annos quadraginta datæ, 54. Volsci instaurant bellum, 58. vincunt Romanos, 59. oppugnant castra Romanorum, 64. vincuntur, 65.
prædantur agros Hernicorum, 3, 6. pergunt in agros Romanos, sed cæduntur magno numero, et nomen eorum prope deletur, 7. *et* 8. Volsci et Æqui bellum instaurant, 10. vincuntur, 22. *vid. et* 60.
obsident Ardeam, 4, 9. a Romanis obsidentur, *ibid.* victi, dedito duce, sub jugum mittuntur, 10. cum Æquis denuo Romanis bellum inferunt, 26. oppugnant castra consulis, 27. castra Volscorum capiuntur, 29. captivi, præter senatores, venumdantur, *ibid* denuo bellum inferunt Romanis, 37, 55. *et* 56. vincuntur, 57. capiunt Verruginem, oppidum, 58. eorum agros depopulantur Romani, 59. vincuntur Volsci, 61.
præsidium obsident ad Anxur, 5, 16. pacem impetrant, 23.
iterum capiunt arma adversus Romanos, 6, 2. eorum castra capit Camillus, *ibid.* ad deditionem subiguntur, *ibid.* renovato bello, vincuntur, 6—8. rebellant, 11. unde Volscis et Æquis toties victis suffecerint milites, 12. vincuntur, 13. Prænestinis conjuncti, expugnant Satricum, 22. vincuntur, 23. *et* 24. populantur agrum Romanorum, 31. eorum agri devastantur a Romanis, *ibid.* funduntur, 32.
vincuntur, 7, 27.
eorum exercitus consedit ad Satricum, 8, 1. cum Volscis dubio Marte pugnatum, *ibid.* fugiunt nocte, *ibid.*
Volsci Antiates, 2, 33.
Volsci Ecetrani, 2, 25.
Volscus ager, 10, 1.
Volscus, *vid.* Publilius.
Volsciani, Hispaniæ populi, 21, 19. eos contra Pœnos sollicitant legati Romani, *ibid.* eorum celebre per Hispaniam ad legatos Romanos responsum, *ibid.*
M. Volscius Fictor, qui tribunus plebis fuerat, testis in Cæsonem Quintium existit, 3, 13. ei diem dicunt A. Cornelius et Q. Servilius, quæstores, quod falsum pro testimonio dixisset, 24. damnatus et in exsilium ire jussus, 29.
Volsinienses, vel Volsinii, gens Etrusca, incursant agros Romanos, 5, 31. vincuntur, 32. iis induciæ in viginti annos datæ, *ibid.* apud Volsinios clavi fuere indices annorum, fixi in templo Nortiæ, Etruscæ Deæ, 7, 3. Volsiniensium aliquot castella vi capit P. Decius, consul, 9, 41. eorum ager vastatur ab L. Postumio, consule, 10, 37.
Volsinii, urbs, 10, 37. 27, 23.
Voltumnæ fanum, 4, 23. 5, 17. ad Voltumnæ fanum concilium omni Etruriæ indictum, 4, 23. 25, 61. *et* 5, 17. fit ibi conjuratio adversus Romanos, 6, 2.

Volucres supervolantes ad terram delapsas clamore militum, Cœlius ait, 29, 25.
Volumnia, uxor Coriolani, 2, 40.
L. Volumnius, consul, cum Sallentinis prospere bellum gerit, 9, 42. iterum consul, 10, 15. in Samnium profectus, relinquit provinciam, ut Ap. Claudio collegæ opem ferat, 18. et, post aliquam adversus eum altercationem, egregiam cum eo victoriam reportat, *ibid. et* 19. redit in Samnium, et opprimit Samnites prædatores Campaniæ, 20. prudentia ejus et moderatio in comitiis consularibus, 20. *et* 21. ex senatusconsulto et plebiscito ei prorogatum in annum imperium, 22. in Samnio feliciter res gerit, 30. *et* 31. ejus uxor Virginia. *vid.* Virginia.
P. Volumnius creatur consul, 3, 10. legatus ab Æquorum duce Graccho Cœlio spernitur, 25.
Voluntaria collatio senatorum ad levandam ærarii inopiam, 26, 36. *vid. et* 5, 60.
Voluntariam militiam professis jubentur æra procedere, 5, 7.
Voluntarii milites, 5, 16. 27, 46. 28, 45. 29, 1. 37, 4.
Volustana, jugum Cambuniorum montium vocant, 44, 2.
Vorago in foro Romano nequit conjectu terræ expleri, 7, 6. Curtius se devovet, et, equo insidens, armatus se in specum immittit, *ibid.*
Vortumnus, Deus, 44, 16.
Vota quinquennalia, 27, 33. 30, 27. 31, 9. decennalia, 42, 28.
Vota nuncupant consules in Capitolio, antequam in provincias proficiscantur, 41, 32. 42, 49.
Vota valetudinis populi caussa, 42, 2.
Voti, quo consul ludos magnos Jovi vovet, formula, 36, 2.
Votum præeunte pontifice factum, 4, 27.
Votum incertæ pecuniæ an possit suscipi? 31, 9.
ad Votum, inconsulto senatu conceptum, pecunia de publico negatur, 36, 36.
Vox noctu audita humana clarior de adventu Gallorum, 5, 32.
Vox noctu audita ex delubro Proserpinæ Locris, 29, 18.
Urbanæ tribus, *vid.* Tribus.
Urbanæ legiones, *vid.* Legiones.
Urbium primordia, miscendo humana divinis, augustiora facta, *Præf.*
Urbium veteres conditores natam sibi e terra prolem ementiebantur, 1, 8.
Urbes dirutæ, ne venirent in hostium potestatem, 31, 28.
Urbes captæ diripi solent, non deditæ, 37, 32.
Urbes orbis terrarum maximæ Roma et Carthago, 38, 50.
Urbibus parcebant veteres Macedones, quo haberent imperium opulentius, 32, 33.
Urbicua, oppidum Hispaniæ, capitur a Q. Fulvio Flacco, 40, 16.
Urinatores, 44, 10.
Urites, Italiæ populus, 42, 48.
C. Ursanius, tribunus plebis, 33, 22.
Ursi et elephanti in ludis Circensibus, 44, 18.
Uscana, oppidum, 43, 12. 20, 21. *et* 23. ab Uscanensibus cæditur Ap. Claudius, 12.
Utens fluvius, 5, 35.
Uticam T. Otacilius cum classe trajicit, 25, 31. alia in Uticensem agrum exscensio, 27, 5. circa ipsa mœnia Uticæ prædas agunt Romani, 28, 4. Uticam mittit classem Scipio, 29, 28. Uticam frustra oppugnat Scipio, 35. rursus obsidet, 30, 3. 5. *et* 8. classem Scipionis ad Uticam invadunt Carthaginienses, 9. *et* 10.
Utrarii, 44, 33.
Vulcanus, 1, 37. 8, 18. ei sacrata arma et spolia hostium succenduntur, 1, 37. 30, 6. 41, 16. in lectisternio pulvinar Vulcano et Vestæ, 22, 10.
Vulcani caput ardet, *vid.* Prodigium.
— area, 9, 46. 39, 46. 40, 19.
— ædes in Campo, 24, 10.
— insulæ, 21, 49. *et* 51.
Vulsinienses, *vid.* Volsinienses.
Vultures sex, augurium Remo, duodecim Romulo, 1, 6.
Vulturii et canes intacta relinquunt cadavera absumtorum pestilentia hominum boumque, 41, 26.
Vulturnus, urbs Etruscorum, capitur a Samnitibus dolo, et Capua appellatur, 4, 37.
Vulturnus, fluvius, 8, 11. 10, 20. *et* 31. 22, 14. *et* 15. 23, 14. 19. *et* 36. 32, 29.
ad Vulturni ostium castellum communitum, ubi postea urbs fuit, 25, 20. *et* 22. Vulturnum colonia deducta, 34, 45. *vid. etiam* 36, 37.
Vulturnus ventus, 22, 43. prospectum, in prœlio cum Annibale, multo pulvere in ora volvendo, adimit Romanis, 46.
Uxoris corruptæ ira maritum stimulat, ut alienigenas in regionem induceat, sui ulciscendi caussa, 5, 33.
Uxores suas liberosque cædunt viri, ne veniant in manus hostium, 28, 23.

X.

Xanthippus Lacedæmonius: ei insidias pro beneficio reddunt Pœni, 28, 43.
Xenarchus, prætor Achæorum, quærit privatæ gratiæ aditum apud Perseum, 41, 28.
Xenoclides, Chalcidensis princeps, amicus Romanis, 35, 38. 50. *et* 51.
Xenophanes princeps legationis a Philippo missæ ad Annibalem, in præsidia Romana incidit, 23, 33. astu elapsus, fœdus facit cum Annibale, *ibid.* rursum captus a Romanis, ad consulem, ac deinde Romam deportatur, 34. *et* 38.
Xenophon, Achæus, 32, 32.
Xychus ordinem facinoris, quo Demetrius circumventus fuerat, aperit Philippo, 40, 55.
Xyline Come, 38, 15.
Xyniæ, oppidum, 32, 18. 33, 3. 39, 29.

Z.

Zacynthus, insula propinqua Ætoliæ, 21, 7. 26, 24. eam capit Lævinus, 26, 24. quum Philippi fuisset, mox Amynandri, ac deinde Achæorum, ab Achæis eam repetit T. Quintius, et Romanis tradi jubet, 36, 32.
Zama, urbs, quinque dierum iter abest a Carthagine, 30, 29.
Zama, *sive fortasse* Same, insula, 32, 16.
Zelasium, promontorium, 31, 46.
Zeno, princeps Magnetum, vir magnæ auctoritatis, T. Quintium Magnetibus placat, 35, 31.
Zeno, Sardibus ab Antiocho præfectus, 37, 44.
Zeno, præfectus Philippi, cæditur ab Athamanibus, 38, 1. *et* 2.
Zephyrium, oppidum, 33, 20.
Zerynthii Apollinis templum, 38, 41.
Zeuxidas, Acarnanum prætor, 33, 16.
Zeuxippus, princeps Bœotorum, auctor Romanæ societatis, ob hanc caussam non creatur Bœotarcha, 33, 27. Brachyllam Bœotarchen tollendum curat, 28. accusatur cædis, *ibid.* fugit Tanagram, deinde Athenas, *ibid.*
Zeuxis, præfectus Antiochi, præest mediæ aciei in pugna adversus Romanos, 37, 41. legatus mittitur ad Scipionem, 45. ejus oratio de pace. *ibid.*
Zoïppus, gener Hieronis, tutor Hieronymi, 24, 4. *et* 5. legatus ad regem Ptolemæum, voluntarium sibi consciscit exsilium, 26. ejus uxor Heraclea et filiæ a Syracusanis interficiuntur, *ibid.*
Zybœa devictus a Nicomede, 38, 16.

PRÆFATIO
IN LIVIUM.

M huic novæ T. Livii editioni adornandæ da-
›peram, quædam nobis inter legendum subiere
ɜm, vel ad Livium ipsum, vel ad ejus interpretes
ıentia, quæ non ingrata, aut omnino inutilia
que legentium fore sperabamus. Sed et ii qui
nos in eadem palæstra multa cum laude sese
uere doctissimi viri, non pauca annotavere, qui-
nstructior paratiorque ad Livium lector acce-
. Hæc omnia, sive nostra, sive ab aliis mutuata
:onferre visum est. Primo de Livio; tum de
ditoribus et interpretibus; denique de instituti
i ratione agemus.

CAPUT PRIMUM.
DE LIVIO.

Livii vita juvaret aliquammulta disserere, si Artic. I. De vita Livii.
via ad eam accuratius cognoscendam inquiren-
ɜrret. Natura enim omnes cupimus illos cele-
ni nominis viros, quorum scripta manibus teri-
penitus pernoscere; et, quibuscum scribenti-
amice familiariterque colloquimur, iis quoque
ɜe domesticas res civilesve, privatas publicasve
ıtibus. Sed plerisque scriptorum hoc contigit,
um ceterorum dicta factaque magna cura colli-

gunt et immortalitati commendant, ipsorum, præter nomen, reliqua fere omnia interire sinerentur: malo sane exemplo, nec satis grata posteritate adversus eos quibus tantum deberet.

Hoc et Livii fatum fuit, ut fama ejus scriptaque toto orbe notissima, vita in obscuro esset. Ex qua hæc paucula ad notitiam nostram pervenerunt: illum Patavii ortum, Pisone et Gabinio Coss. anno a. C. 58. Romæ magnam egisse ætatis partem, sed in patria denique supremum diem obiisse, anno principatus Tiberii quarto, ætatis suæ sexto et septuagesimo; filium ei fuisse, cui quadam in epistola hanc legendi brevissimam eamdem sapientissimamque legem scripserat, *legendos Demosthenem atque Ciceronem, tum ita ut quisque esset Demostheni et Ciceroni simillimus;* filiam ei itidem fuisse, nuptam L. Magio rhetori, quem declamantem homines aliquamdiu, non in ipsius honorem laudaverint, sed in soceri tulerint; scripsisse eum, præter historias, etiam dialogos, quos non magis philosophiæ annumerare possis, quam historiæ, et ex professo philosophiam continentes libros; eo auctore, Claudium, qui postea imperavit, ad historiam scribendam animum appulisse; denique ipsi datum esse, ut vivus gloria sua perfrueretur, Gaditanumque quemdam, ejus nomine famaque commotum, ad visendum eum ab ultimo terrarum Orbe venisse, statimque ut viderat abiisse[a].

Voss. de Histor. Lat. I. 59. Euseb. Chron.

Quintil. Instit. X. 1.

Sen. Procem. l. V. Controv.

Sen. ep. 100.

Sueton. in Claud. c. 41. Plin. l. II. ep. 3.

[a] Quæ de æmulatione inter T. Livium et Cornutum habet Suidas in voce Κορνοῦτος, ea nobis non videntur quadrare in hunc nostrum historiarum scriptorem, tum ob alia, tum vel maxime quod Cornutus ibidem dicitur sub Nerone floruisse, quum Livius noster initio principatus Tiberii septuagenario major obierit. Ratio temporum ad eam nos conjecturam deduceret magis, ut suspicaremur æmulationem Cornuto fuisse cum Livii nostri filio, et illum scriptorem a Suida exscriptum, errore non inusitato, ea de patre narrasse quæ ad filium pertinuerint.

Quo tempore historias suas scripserit Livius, ex ipso opere apparet. Testatur ipse l. 1. cap. 19. bis omnino post Numæ regnum, Jani templum clausum fuisse: *semel*, inquit, *T. Manlio consule, post Punicum primum perfectum bellum: iterum, quod nostræ ætati dii dederunt ut videremus, post bellum Actiacum, ab Imperatore Cæsare Augusto, pace terra marique parta.* At constat ex Dione, quinto post anno iterum ab Augusto clausum esse Jani templum devictis Cantabris. Hinc recte colligetur, ut observavit Vossius, medio tempore inter bellum Actiacum perfectum, et Jani ædem iterum ab Augusto clausam, primos Livianæ historiæ libros in lucem prodiisse.

Artic. II. Quæ spectant ad historiam operis Liviani.

Quo tempore scripserit Livius.

Dio, l. LIII.

Voss. ibid.

Dubitari non potest, quin multos annos in absolvendo tantæ molis opere consumpserit. Et vero, quum ex epitome ultimi libri appareat memoratam fuisse eo libro Drusi mortem, quæ uno et vicesimo post Actiacum triumphum anno contigit, sequitur Livium ante id tempus ultimam suis historiis manum non imposuisse.

Quot libros dederit Livius, inter doctos ambigitur. Epitomas librorum CXL. habemus: sed duas, nempe librorum CXXXVI. et CXXXVII. deperditas fuisse contendit Sigonius. Fuerint ergo vel CXL. vel CXLII. libri. Ut ut sit, magno litterarum damno, soli nunc quinque et triginta supersunt: ceteri omnes interiere, aut certe ignoti adhuc in nocte ac tenebris jacent.

De numero librorum historiæ Livianæ.

Sigon. not. ad Epit. lib. CXXXVI.

Quin etiam non universæ simul orbi litterato innotuere illæ pulcherrimi operis reliquiæ. Primæ Livii editiones exeunte XV. sæculo et ineunte XVI. excusæ, exhibent tantummodo primam, tertiam, et quartam decades; quartam quidem non integram, sed hiulcam et mutilam, quum abesset totus trigesi-

Qui supersunt, diversis temporibus detecti. J. Frid. Gronov. Præf. in Liv.

mus tertius liber, et magna pars quadragesimi, qui finiebatur in his verbis cap. 37. *per omnia fora conciliabulaque edixerunt.* Anno MDXVIII. Magontiæ ex membranis bibliothecæ in æde ibidem maxima et Metropolitana, D. Martini appellata, addita est pars libri tertii et trigesimi ab his verbis cap. 17. *arctis faucibus cohærens Acarnaniæ*, (etsi illic legitur, *iis partibus cohærens*) et quod deerat libro quadragesimo usque ad finem. Annus ejusdem seculi primus et trigesimus novo rursum nos proventu beavit. Tum in Helvetiis Simon Grynæus ultimos quinque libros repertos in membranis apud monasterium Laurissenum, vulgo Lorssense, e regione Borbetomagi trans Rhenum, per Joannem Frobenium publici juris fecit. Denique anno MDCXV. J. Horrion, societatis Jesu sacerdos, Bambergæ dum singulos bibliothecæ publicæ codices excutit, incidit in membranas, quæ complures T. Livii libros, in his partem priorem tertii et trigesimi adhuc desideratam servabant, quem duobus post annis Paderbornæ vulgavit.

Hæc ad nos ex Liviana historia pervenerunt, vix quarta pars totius operis: quæ animos quidem et fructu honestissimæ voluptatis perfundit, et utilissimorum documentorum bona fruge pascit, sed ita ut desiderium quoque et luctum incendat tot amissorum voluminum, quæ tempus edax absumpsit et præcedentium ætatum incuria. Nam quod aut Livium totum, aut certe magnam eorum quæ desideramus partem, alii Constantinopoli, alii apud extremos hominum in Hiona, sive Iona insula supra Scotiam delitescere jactitarunt, hæc, falsi utinam vates simus! somnia esse existimamus optantium. Nec meliore nos spe solatur id quod Colomesius ab homine candidioris pectoris, quam felicioris ingenii

Ceteros reperiri posse frustra speratum.

Dujat. Præfat. in Liv.

Morhof. de Patavin. Liv.

Colomiez, Recueil de particularités, p. 320.

Capellano sibi dictum in litteras retulit: quemdam Capellani amicum, virum non illiteratum, quum pila luderet, animadvertisse in ea palmula quæ sibi esset ad manum, fragmenta quorumdam Livii librorum qui hodie non exstent; quumque rem sibi ulterius inquirendam putasset, comperisse eas esse reliquias aliquot similium membranarum, quæ a monialibus domus Fontebraldensis pharmacopolæ cuidam donatæ, ab hoc ignaro qualis sibi thesaurus obvenisset venditæ forent operario ignobili, qui iis abusus esset ad tegendas illas palmulas quibus pila luditur. Vanis hujusmodi sine certo auctore rumoribus fidem habeat, cui placuerit sese inani spe lactare.

De partitione operis in decades.

Partitio operis in decades utrum a Livio sit, dubitavit Petrarcha, qui eam potius ortam esse putat a fastidiosa legentium ignavia. Idem adstruit Sigonius ex perpetuo veterum Grammaticorum, Prisciani, Diomedis, Censorini, denique auctoris epitomarum silentio, qui omnes librorum semper, nunquam decadum mentionem faciunt. Frustra quidam, ut contrariam opinionem tueantur, objiciunt Livium ei ipsum videri quodammodo suffragari, dum suas vigesimo primo et trigesimo primo libris præfationes præmittit. Etenim recte observat Dujatius Livium non absimilibus velut proœmiis extra decadum quoque principia identidem usum esse ad renovandam lectoris longo in opere attentionem, vel si quando scribenti major rerum ordo nasceretur, ut patet ex libri sexti ingressu, et cap. 29. lib. VII. Contendit ergo Sigonius germanam operis Liviani inscriptionem hanc fuisse: T. LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB URBE CONDITA LIBRI CXLII. Quæ nobis opinio etsi probabilior videtur, tamen non semper abhorruimus ab decadum appellatione, quæ et usu recepta

Sigon. Proœm. ad scholia in Liv.

Dujat. ibid.

est, nec sine circuitu verborum vitari interdum poterat.

De epitomis.

Epitomarum, quæ singulis libris præfiguntur, auctor ignoratur. Eas enim aut Livio ipsi, aut L. illi Floro, cujus exstant rerum Romanarum libri quatuor, adscribi non patitur dispar ab utroque styli color. Quisquis ille fuerit, quem nosse haud sane multum interest, ejus certe breviaria, tanquam exanguia quædam et leviter adumbrata pulcherrimi corporis simulacra, non omni prorsus cura indigna sunt; eo quidem magis, quod eorum aliqua est ad historiam, ubi Livius deficit, illustrandam utilitas.

Atque hæc sunt, quæ sive ad Livii vitam, sive ad ejus operis formam, descriptionem, casusque pertinentia, non ignorare operæ pretium sit.

Artic. III. De operis Liviani virtutibus et vitiis.

Jam de ipso opere agamus, et ejus virtutes quæ sunt eximiæ, tum etiam vitia, si qua fuerint, ita expendamus, ut et quid clarissimi scriptoris famæ, et quid veritati debeatur, pariter meminerimus.

§. 1. Livii Eloquentia.

Ac primo quidem eloquentiam tanti viri laudare supervacuæ operæ sit. Quem enim non statim legentem allicit inaffectata illa narrandi jucunditas, et limpidus nitor, qui et claritati serviat, nec careat, ubi opus est, nervis; non inepto tumidæ orationis fastu inflatus, sed simul simplicitatis, simul munditiarum memor; qui æquabili velut filo deductus, res gestas ita naturali quodam ordine explicet paulatim et aperiat, ita exhibeat omnia locis temporibusque distincta, ita suos allinat rebus et personis colores, ut coram agi cernique, non describi res auribusque accipi videantur? Quid dicere opus est de incredibili illa concionum ejus et orationum eloquentia, in quibus eximius scriptor nullam non expressit dicendi laudem? In iis sententiæ, tum gravitate, tum acu-

mine commendatæ, egregio vestiuntur optimorum lectissimorumque splendore verborum. Jam pro argumentorum varietate, modo exultat audacius oratio, et grande aliquid ac sublime sonat, modo summissiore quodam et modestiore cursu, semper tamen cum quadam dignitate, fertur. Nihil vero mirabilius, quam quomodo versatile pariter ad omnia scriptoris ingenium, eorum omnium quos loquentes facit, senum ac juvenum, privatorum magistratuumve, Romanorum et hostium, sensus, animos, habitus ita induit, ut illi ipsi non melius modo aut venustius, sed ne aptius quidem decentiusque dicere potuerint. Itaque jamdiu docti omnes magno consensu iere in Quintiliani sententiam, qui Livium esse judicat, *quum in narrando miræ jucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem.* Lib. X. c. 1.

Ex illis tamen orationibus crimen in eum oritur, tanquam in iis et fidem historiæ neglexerit, et excesserit modum. Nec levibus sane auctoribus hæc criminatio nititur, a Pompeio Trogo olim conjecta in Livium, et hodie quoque a doctissimis ingeniosissimisque viris renovata, et, quod majus est, unanimi fere historicorum hujus ævi consensu comprobata, qui omnes ab ejusmodi concionibus, præsertim quas vocant directas, inserendis in narrationem suam abstinuere. Livio criminidatæ orationes et conciones. Justin. l. XXXVIII. c. 3. P. Daniel préf. Hist. de France.

Neque ego receptum hodie morem reprehendere ausim, quem fortasse etiam historicæ gravitati convenientiorem esse non frustra jactatur. Attamen si auctores in utramque partem, si rationum momenta diligenter perpendantur, erit sane cur Livium præpropere damnare vereamur.

Si gravitate auctorum exemplorumque res dijudi-

Defenditur Livius exemplis.

cetur, tot se patronis tuebitur Livius, quot fere apud Græcos Latinosque in historia maxime claruere scriptores, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Polybio, Sallustio, Tacito, Curtio. Dionysium Halicarnasseum omitto, apud quem non immerito fortasse reprehendi possit nimia orationum prolixitas, quæ et fatigat lectorem, et ingratam interdum narrationi moram injicit. Sed ceterorum quos modo nominavi eadem quæ Livii causa est. Apud omnes et crebræ orationes reperiuntur, et, si quando opus fuerit, longiusculæ, et omnibus dicendi virtutibus, omni cultu expolitæ, si tamen Polybianas excipias, quæ tinctæ sensu comptiorem ornatum neglexere. Omnibus igitur aut laus tribuenda est, aut venia deneganda. Durum sane in tot tam illustres reos gravem ferre sententiam, et in magna illa nomina, quæ omnis per tot retro secula mirata est vetustas, quæ qui carpere ausit, facilius sibi quam illis noceat, censorium stylum exerere.

Et quidem, si res ipsa inspiciatur, quid tandem deliquere summi scriptores, dum præter eam quæ debebatur, narrandarum jucunde, graviter, distincte, dilucideque rerum voluptatem, etiam alteram indebitam nobis ex luculentissimis orationibus paravere?

Fidem historiæ non lædunt Livii orationes.

Fides, inquiunt, historiæ violatur, dum ea nobis tanquam dicta obtruduntur, quæ tamen nunquam revera dicta sunt. Quasi vero cuiquam innocens ille dolus imponat, aut periculum sit, ne quis illas Livii tam diligenter elaboratas, tam severe castigatas, tantis verborum sententiarumque munditiis excultas orationes ab horridis illis primorum urbis Romæ temporum aratoribus esse existimet.

Unum excipio. Si scriptori licuit eorum quos dicentes facit referre verba, et orationes, quemad-

modum pronunciatæ sunt, alicunde nancisci, nihil dubium esse potest, quin illæ totidem verbis lectori reddendæ sint, neque in ipsarum locum ludentis ingenii fœtus supponendi. Itaque non negabimus peccasse Tacitum, qui in l. XI. Ann. c. 24. Claudio Imperatori alienam et fictitiam tribuerit orationem, quum vera exstaret, cujus etiamnum fragmenta habemus. Sed si verarum copia non sit, non video sane, cur vetetur is qui historiam scribit, suas et ad excolendum animum, et ad acuendum ingenium sæpe profuturas orationes offerre lectori, quum præsertim et in eas conjici commode possint sapientissima quædam monita ac præcepta ex ipsis factorum visceribus nascentia, quæ tamen inter narrandum attexere minime decuerat; et ingenia, mores, animi ducum ac populorum propius ad naturæ veritatem exprimi; et vero causæ illæ quibus bellorum origo, et celeberrimi quique eventus continentur, atque etiam consilia ex quibus facta fluxere, liberius copiosiusque tractari. Ad hæc tot commoda illud quoque accedit, quod in iisdem velut in amœnis quibusdam diverticulis, perpetua narratione defatigatus interdum lectoris animus suavissime conquiescit. Lips. comment. in Tac.

Id tantum cavendum est lectori, ne ex orationibus facta se sincera et incorrupta haurire posse existimet, quæ in iis in majus aucta, vel extenuata verbis, ad invidiam gratiamve decurtata, depravata plerumque reperiuntur. Orationes non tanquam ex scriptoris persona accipi debent, sed ex ejus, quisquis ille est, quem scriptor loquentem facit. Ipse narrationi fidem, orationibus præstare debet eloquentiam. Si quando tamen hac libertate abuti visus est Livius, id observare in notis non negleximus.

At enim qui directas conciones operi suo inse-

Historiæ modum non magis directæ orationes egrediuntur, quam obliquæ. Trogus apud Justin. l. XXXVIII. c. 3.

runt, *historiæ modum*, id enim secundum erat, *excedunt:* id est, si recte assequimur accusatoris mentem, ultra terminos legibus præfinitos evagantur, nec jam historicos se esse volunt, sed oratores. Id quam convenienter in Sallustio et Livio reprehendat Trogus Pompeius, ipse viderit, qui obliquas orationes historiæ suæ non dubitaverat intexere, quarum unam nobis servavit Justinus, plerisque Livianis prolixiorem. Quis enim non videat eamdem plane et obliquarum, et directarum concionum esse rationem? Præclarum vero commentum! mirum artificem! qui pro *indicativis modis infinita* subjecerit, et loco *primæ personæ tertiam.* Eos qui nihil omnino, ac ne orationes quidem ipsas in historiam inseri debere contendunt, nisi ex vetustorum monumentorum fide, etsi paulo severiores sunt, aliquid tamen secutos esse video. Verum ii nos profecto ludibrio habent, qui quum directas conciones reprobent, jus sibi esse existimant obliquas, quantumlibet prolixas, in opus suum includendi. Nihil ergo videtur afferri, cur Livio suas orationes vitio ac culpæ dari debere pronuntiemus.

Justin. l. XXXVIII. c. 4. et seq.

De Patavinitate Livii.

At circa formam loquendi elegantiamque sermonis litem ei dudum movit vir ingenio et eloquentia clarissimus, Asinius Pollio, qui in eo putabat inesse quamdam *Patavinitatem*, sive locutiones quasdam quæ Patavinum, ut ita dicam, solum saperent, nec essent quadam urbanitate coloratæ[a]. Hoc crimen

Quintil. Instit. l. I. c. 5. et l. VIII. c. 1.

[a] Aliter multi docti viri interpretati sunt illam *Patavinitatis* criminationem, et intellexere alii studium partium Pompeianarum, alii odium in Gallos, aut similia commenta: quæ quum satis vel ipsis Quintiliani verbis evertantur, in illis refellendis immorari non operæ pretium esse visum est. Si quis tamen eas interpretationes operose excussas et refutatas videre voluerit, adeat Dan. Morhofii libellum densa eruditione refertissimum, *de Patavinitate Liviana.*

hodie, nec dilui, nec comprobari omnino posse facile crediderimus. Fieri sane potuit, ut homo Patavinus patriam plane dediscere non quiverit, et levia quædam retinuerit loquendi vitia, quæ principis inter Romanos viri teretes et religiosas aures offenderent. At nos, quibus Latina lingua peregrina est, qui eam ex libris tantummodo cognoscere possumus, quomodo tantum nobis arrogaremus, ut illos nævos, qui plerorumque Romanorum oculos fortasse fallebant, deprehendere et assignare auderemus? Id sane tentaverit Dujatius, homo non ita a Latinitate instructus, ut Livianæ orationis censuram ageret. Nobis consultissimum videtur ea de re silere. Bene profecto nobiscum ageretur, qui Latinam linguam balbutire conamur, si Livii orationem cum sua quoque *Patavinitate* daretur effingere. Præf. in Liv.

Nec vero eloquentia tantum claruit Livii, sed laudatur et fides, quæ prima virtus ab historiarum scriptore requiritur. Ausum esse eum vera etiam cum offensionis periculo dicere, veritatisque studiosiorem fuisse, quam gratiæ imperantis, ex eo patet quod, referente Tacito, ita Cn. Pompeium laudibus extulerat, ut Pompeianum eum Augustus appellaret. Sæpe Brutum, Cassium, Scipionem, Afranium, ut insignes viros nominaverat. Neque id, eodem teste Tacito, amicitiæ ipsius cum Augusto offecit: quod quidem dubito utrum patientissimis Principis auribus, an scribentis libertati fuerit honorificentius. §. 2. Livii Fides: Gratiam aspernata. IV. Ann. 34.

Sed et in iis quæ hodie supersunt, nulla apparet assentationis erga eum qui rerum potiretur suspicio. Semel aut iterum in totis quinque et triginta libris Augustum appellat: sed ipsa re poscente, sed breviter et cursim, modicis cum laudibus et veris. Libro primo, cap. 19. templum Jani, occasione data,

memorat ab eo clausum fuisse: quo quum Augustus magnopere gloriaretur, ipse tamen rem uno verbo tangit, gratulatus tantum ætati suæ raram felicitatem. Rursus, ubi de spoliis opimis Cossi disserit, l. IV. c. 20. testem allegat *Augustum Cæsarem, templorum omnium*, inquit, *conditorem, aut restitutorem:* quod quam vere, quam non ambitiose dictum sit, testimonio est illa ipsius Augusti notissima vox: *marmoream se relinquere* urbem, *quam lateritiam accepisset*. Jam vero in narranda insigni illa de Asdrubale victoria quam Livius et Nero reportavere, quam bella sese scriptori nostro materies offerebat demerendæ Liviæ Augusti uxoris, quæ ad alterum e victoribus originem referebat, in alterius domum fuerat adoptata? quam facile ibi sese jactare poterat adulatio? Livius rem quidem ipsam ornate, ut par erat, magnificeque describit; in victores ipsos plena manu laudes cumulat: de eorum posteris, de Livia, Tiberio, Druso, ne verbulum quidem.

Suet. Aug. c. 29.

L. XXVII. sub finem.

Verum, quoniam non laudationem Livii quamdam exornamus, sed ipsius imaginem suis expressam lineamentis conamur effingere, fateri cogimur ejus fidem, quæ adversus gratiam potentiorum inconcussa stetit, amore patriæ aliquoties fuisse labefactatam.

Amore in patriam labefactata.

Inprimis igitur ubique apud nostrum sese prodit nimia quædam Romanæ magnitudinis admiratio, nec satis cauta semper aut consulta, quæ et ipsi inscio fortasse et imprudenti fucum fecerit. Itaque de Roma tenui adhuc et cum finitimis colluctante magnifice tamen interdum loquitur. *Spes unica*, inquit lib. III. cap. 26. *imperii populi Romani L. Quintius.* Emphatice dictum. At tunc *imperii populi Romani* fines nondum ad vicesimum fortasse ab urbe lapidem promoti fuerant. Nec multis annis post Canuleius

Nimia in eo Romanæ magnitudinis admiratio.

L. IV. c. 4.

tribunus plebis *urbem in æternum conditam et in immensum crescentem* jactat. Ubi quis non videt obversatum esse scribentis animo superbum illum Romæ rerum dominæ splendorem, et ad obscura Romæ nascentis initia audacius quam verius esse translatum?

Sed et hostibus quoque populi Romani Livius eos venerationis in eum admirationisque sensus affingit, quibus ipse imbutus erat. Annibal ille Romam apud nostrum vocat *Orbis terrarum caput*, quum nondum tota Italia plane jugum accepisset, nec quidquam extra eam Romani tenerent, præter Siciliæ partem et Sardiniam; quum staret Carthago, atque etiam Hispaniæ majorem partem imperio amplecteretur. Rursus idem, dum milites ad bene pugnandum hortatur, *dempto*, inquit, *hoc uno fulgore nominis Romani*. Quasi vero Carthaginem debere Romæ fasces summittere ultro agnovisset acerrimus ille Punicæ magnitudinis vindex, et Romanæ pene eversor, aut tunc temporis minus Punico nomini *fulgoris* quam Romano circumdari.

L. XXI. c. 30.

XXI. 43.

Idem impetus nimii amoris in patriam Livium abstulit, quum non dubitavit affirmare Romanos *nunquam ab equite hoste, nunquam a pedite, nunquam aperta acie laborasse*. De peditatu silemus. At nonne *ab equite hoste* laboraverunt Romani, quum adversus Annibalem bellum gererent, quem equitatu longe superiorem fuisse et ipse Livius passim fatetur, et prudentissimi Romanorum duces sensere, atque ob id magnopere cavere ne in campis patentibus ab eo deprehenderentur? Nonne *aperta acie* laboraverunt, quum ad Cannas ab eodem Annibale prope ad internecionem cæsi, quum ad Alliam ab Gallis fusi sunt?

Falso laudati a Livio Romani. IX. 19.

XXI. 47. XXVI. 38. &c.

Sed hæc quidem utcumque condonari possunt, in

quæ incogitantem Livium rapuit instinctus quidam studii in Romanam laudem vehementioris, ita ut ipsum scribentem falleret pietas in patriam, blanda conciliatrix sui. Illa non video quonam colore defendi possint, quæ sedulo et dedita opera silentio tramisit, propterea quod parum honorifica sive Romanæ genti, sive quibusdam celeberrimi nominis viris viderentur. Hujus generis aliquot exempla referre operæ pretium est.

Quædam parum honorifica Romanis a Livio dedita opera omissa.

Primum exemplum: causæ secundi Punici belli.

Polybius, acerrimo judicio et incorrupta fide commendatus scriptor, magna cura perpendit initio lib. III. quænam causæ belli Punici secundi fuerint, et uter populus violatæ amicitiæ ruptique fœderis culpam sustineat. Postquam multa de hoc argumento disputavit, et hinc atque inde momenta rationum diligenti trutina ponderavit, rem ita concludit, ut statuat, si origo belli a Sagunti tantum exscidio repetatur, Pœnos injuste omnino arma movisse; sin ratio habeatur Sardiniæ a Romanis, stipendio etiam superimposito, interceptæ, pia et justa fuisse Annibalis arma, quum Pœni data occasione eos ultum irent, qui per occasionem temporum ipsis nocuerant.

XXI. 19. Quid Livius? Nempe ille ex Polybiana disputatione ea eligit et accurate exponit quæ Romanorum causæ favebant: quæ pro Pœnis dicta ab scriptore Græco fuere, de iis omnino silet: malo sane consilio, et cui apud lectorem veritatis studiosum nulla possit esse venia.

Neque enim hoc saltem dici posset, errasse eum, et imprudentem fecisse. Siquidem quisquis Polybium cum eo contulerit, non poterit dubitare quin ea omnia quæ disserit noster de Lutatii et Asdrubalis fœdere, e scriptore Græco exscripserit, et verbum verbo pene reddiderit. Fugere igitur illum

non potuerunt ea quæ ad hujus ejusdem loci calcem a Polybio pro causa Pœnorum adjecta sunt.

Una defensio occurrit, si nempe Livius in lib. XX. qui intercidit, ita narraverat ea quæ ad subactam a Romanis Sardiniam pertinent, ut illos interceptæ per fraudem hujus insulæ culpa liberaret: unde sequeretur eum, quæ a Polybio in contrariam partem disputata sunt, non tanquam adversa Romanis, sed tanquam falsa, suppressisse. Verum eo elevaretur fortasse crimen, non plane purgaretur. Magna est enim Polybii auctoritas, qui et propior illis temporibus fuit, et diligentissimus talium rerum indagator, et Romanis sane amicus, quos passim laudibus cumulat. Quum igitur gravissimus judex, sine ulla cunctatione aut dubitatione, causa cognita, clare certumque pronuntiet Romanos contra jus, contra fœdera fecisse, dum Sardiniam invasere, minime profecto dubium est, quin Livius, si aliter senserat, aut scripserat, cæco in patriam amore præoccupatus a vero aberraverit.

Neque nos quisquam arguat severius agere cum Livio, et sequiore interpretatione ea illi vitio vertere, quæ clementius a benigno lectore accipi possint. Nemini concedimus, ut majore quam nos amore aut admiratione eximium scriptorem prosequatur: sed vincat veritas. Si uno tantum apud eum, aut altero in loco obscura aliqua delitesceret suspicio propensioris in Romanos animi, inhumane faceret, qui crimen urgeret, ac non potius rem mollire interpretando conaretur. At erumpentia undique hujus nimii affectus certissima argumenta nec nobis ipsi dissimulare, nec ceteris, possumus.

Secundum exemplum: in Scipione Africano.

Velut in Scipione Africano manifeste tenetur Livius. Hunc inter eos omnes, quorum res gestæ in

iis qui supersunt libris memorantur, noster præcipua quadam et admiratione, et effusa velut caritate complexus esse videtur: unde minus mirum est, quod ejus amori plusculum, quam concedit veritas, largitus sit. Fuit sane Scipio non solum victoriis triumphisque clarus, sed et ob egregias animi virtutes plane amabilis, comitatem, munificentiam, moderationem. Quin et negari non potest eum voluptates, ubi usus reipublicæ postularet, aspernari solitum esse, et frenare libidines, ne rebus gerendis essent impedimento. Cujus animi insigne specimen edidit, quum ad eum post novam Carthaginem captam adducta a militibus est adulta virgo, eximia forma, quam statim parentibus et sponso reddidit. Sed Livius eum Stoica quadam continentia libidinum mirabilem efficere voluit, ne quis scilicet nævus egregium corpus deformaret. Itaque ubi agit de illa captiva, cujus modo mentionem fecimus, quædam omittit, quædam alio detorquet, quæ a Polybio simpliciter et ingenue memorata docent Scipionem non contemsisse plane voluptates, sed eas bono reipublicæ posthabuisse.

Juvenes quidam Romani, inquit Polybius lib. X. virginem ætatis flore et formæ bonitate præstantem ad Scipionem adducunt, quum observassent eum cupidum esse voluptatum, φιλογύνην ὄντα. hoc supprimit omnino Livius. Respondet illis juvenibus apud Polybium Scipio se, si privatus viveret, nullum aliud gratius accipere potuisse munus; nullum, quum imperator esset, minus gratum. Quod responsum, licet per se haud obscurum, explicat apertius tamen Polybius: et, dum explicat, satis testatur se ipsamet Scipionis verba attulisse. Hoc nimirum dicto, inquit, innuebat Scipio, ejusmodi res per quietis et

otii intervalla, suaves interdum juvenibus delectationes præbere, et levamenta curarum; easdem vero, si quis, ubi rem gerere opus est, iis utatur, et corpori, et animo magna afferre impedimenta.

Apud Livium Scipio in oratione ad Allucium hoc modo loquitur: *quia ipse, si frui liceret ludo ætatis, præsertim recto et legitimo amore, et non respublica animum nostrum occupasset, veniam mihi dari sponsam impensius amanti vellem.* Ipsa sese prodit similitudo, sed detorta aliquantum et deflexa: ut dubium esse non possit, quin Livius hæc scribens Græcum scriptorem intuitus sit, sed ab eo prudens et sciens recesserit, et quibusdam additis lineamentis, quibusdam, quæ parum decora erant, in melius ac pulcrius mutatis, ei quem omni laude cumulandum susceperat viro mirandæ castimoniæ famam sartam tectamque voluerit asserere. Quæ quidem laus quam non ex vero in Scipionem conferatur, testimonio quoque est Valerius Max. qui l. VI. c. 7. laudat Æmiliæ ejus uxoris comitatem et patientiam, quod, *quum sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulaverit, ne domitorem Orbis Africanum*[a] *femina impudicitiæ reum ageret.* XXVI. 50.

Unum adhuc truncatæ a Livio ad gratificandum Romano nomini narrationis exemplum subjungemus: non criminandi prurigine, a qua longe absumus, sed ut nosmet impetiti temere tanti viri crimine absolvamus; simul quod non leve negotium agimus, aut in quo nobis sine plurimis firmissimisque argumentis vel debeat credi, vel possit. Tertium exemplum: Brachyllæ mors.

Brachyllæ, Bœotarchæ, sive summi Bœotorum ma-

[a] In iis quas vidimus Valerii Max. editionibus legitur *Africani:* mendose. Et, si victoriam de Antiocho respicias, erit unde dicatur Orbis domitor Scipio.

gistratus, mors narratur a Livio lib. XXXIII. capp. 27. et 28. Eamdem narrationem apud Polybium habemus in Excerpt. Legat. n. 8. Bello Macedonico, Bœoti societatem cum T. Quintio Romanisque metu magis quam voluntate inierant. Itaque plerique veteres socios respectabant, et ne devicto quidem ad Cynoscephalas Philippo, destiterunt Macedonum rebus studere. Tunc temporis Brachyllas electus est Bœotarches, non aliam ob causam magis, quam quod propenso in Philippum animo esse crederetur. Hæc et alia quædam eodem pertinentia quum animadverterent principes eorum qui Romanis partibus studebant, Zeuxippus et Pisistratus, metum ceperunt, quum ad portas prope sedente exercitu Romano ea fierent, quidnam se futurum esset, profectis in Italiam Romanis. Itaque ut timore injecto adversarios comprimerent, Brachyllam e medio tollere statuerunt. Hucusque perbene inter utrumque scriptorem convenit: seu potius exscribit cum fide Polybium Livius.

Ad id reticuit quod apud Græcum historicum sequitur, Zeuxippum et Pisistratum de suo consilio cum T. Quintio collocutos esse; illum respondisse sese ad hoc facinus adjutorem quidem esse nolle, ceterum, si quis rem exequeretur, nihil in se moræ futurum: denique jussisse eos totam rem communicare cum Alexamene Ætolorum prætore, qui quidem revera sex illis sicarios subministraverit, a quibus Brachyllas interfectus est. Hæc, inquam, omnia, præter ipsam Brachyllæ necem, supprimit Livius. Quo consilio, nihil sane argumentari opus est. Ipsa res clamat eum noluisse infamiam Quintio, et per eum Romano nomini aspergere, si Romanus impera-

tor, cujus facinoris ultor esse debuisset, ejus conscius fuisse nosceretur, atque etiam viam ad id perpetrandum quodammodo aperuisse.

Ab eodem animi affectu eum iniquum fuisse in Romanorum hostes, ac præcipue Gallos, quidam arguunt. Inter quos Dujatius sese passim in notis Gallici decoris assertorem ac vindicem jactat: quasi vero quidquam ad splendidissimi hujus Francorum imperii laudem dedecusve pertineant priscorum illorum Gallorum virtutes ac vitia, bene aut secus facta; qui a Romanis primum, deinde a Francis, Burgundionibus, Gothis domiti, jam a multis seculis nulli sunt, et in victricium gentium nomen simul, et leges, instituta, moresque transierunt. Sed iis quoque Livius nusquam negat Martios animos fuisse, et feroces, et inter pericula impavidos. Eorum vim impetumque terribilem ubique verbis extollit. Quod eosdem parum firmos animis corporibusque, si diutius hostis resisteret, fuisse ait, et, quemadmodum prima eorum prælia plusquam virorum essent, ita postrema minus quam fœminarum esse, id quidem commune omnium Barbarorum, quales tum Galli fuere, vitium est, qui etiamsi impetu valent, mora certe languescunt. Nec absimilia Cæsar, eadem plane non uno loco Polybius de Gallis tradunt: prorsus ut immerito videatur suspicio malevolentiæ in Gallos Livio affingi.

Suspicio malevolentiæ in Gallos, haud satis ex vero, Livio afficta.

Dujat. in not. ad V. 37. et 49. VII. 11. &c.

V. 44.

X. 28.

Cæs. lib. III. de bello Gall.

Pol. libb. II. et III.

Non negaverimus tamen fieri potuisse, ut interdum ea mallet noster vera esse quæ Romanis laudi, quam quæ Gallis erant. Polybius Gallos capta urbe Romana avocatos ad sua tuenda, quod Veneti ipsorum fines cum infesto exercitu ingressi erant, pace cum Romanis quibus conditionibus voluere facta, urbeque reddita abiisse memorat: Livius, eos a Ca-

Propensior tamen fuit in Romanos, quam in Gallos.

Libb. I. et II.

Lib. V. sub finem.

millo victos et ad internecionem cæsos esse. Hoc fictum esse a Livio nemo sanus dixerit. Sed nimirum, quum duplex fama esset, et auctores in utramque partem essent, suspicari sane licet illum maluisse ad illos accedere, qui Romani nominis laudi favebant. Quod quidem nec certum plane est, et etiamsi non suspicionibus, sed argumentis teneretur, ejusmodi peccatis esset annumerandum, quæ humana plerumque natura parum cavet. Ex eo sane non recte colligeretur præcipuum aliquod et iniquum in Gallos odium.

Voss. de Histor. Lat. Quod legitur in supposititio Antonini Itinerario, Fani Volturnæ, sive Voltumnæ, urbis Etruscæ, claris gestis invidisse Livium, ei crimini auctor fidem derogat. Nemo enim est qui ignoret spurium esse hoc opus, in quo illa criminatio reperitur, mendacem audacis nebulonis fœtum, qui informi et perituro alioquin partui speciem antiquæ originis circumdare voluerit.

Ex iis quæ diximus satis jam apparere arbitramur, Livium quod difficillimum videtur præstitisse, ut ab indecoro in potentiores obsequio liberum se integrumque servaret; sed non perinde firmum fuisse adversus amorem patriæ, cujus laudibus interdum servierit magis quam veritati. Unde fateri necesse est, eum culpam commeruisse, quæ ab honestissima quidem causa proficisceretur, sed culpam tamen, in eo negotio ac munere, cui hæc prima sit dicta lex, ne quid falsi dicere scriptor audeat, altera, ne quid veri non audeat.

Cic. l. II. de Or. n. 62.

Livius in historia negligens. Suet. in Cal. n. 34. Minor est negligentiæ culpa, sed eadem minus habet excusationis. Negligentem autem in historia fuisse Livium, utinam falso Caligula jactasset! furiosus princeps, sed quem non usquequaque spernendi

fuisse in litteris judicii, documento est Seneca, cujus stylum et orationem ille ingeniose et vere descripserat, quum eum diceret arenam esse sine calce. Id. ibid. n. 53.

Nec vero illa leviuscula urgemus, quod in parvis interdum rebus Livium memoria fefellerit: ut quum in Pleminii morte narranda postquam lib. XXIX. cap. 22. duas diversas opiniones exposuit, quarum quidem priorem videtur potiorem habuisse, rursus lib. XXXIV. cap. 44. alteram, tanquam veram et indubitatam, sine ulla prioris mentione refert; quum duobus diversis lib. XXXVI. locis, nempe capp. 21. et 38. M. Fulvii Nobilioris triumphum totidem fere utrobique verbis memorat. Hæc et similia multa annotavit et collegit vir eruditione, diligentia, ingenii sagacitate præstantissimus, Jac. Perizonius in Animadversionibus Historicis. Sed hi quidem minuti errores difficillime præcaveri possunt, et in eos recte cadit illa excusatio; *Operi longo fas est obrepere somnum.* Memoria interdum lapsus.

Illa graviora sunt, quod res quoque maximas, quas ab eo operis suscepti ratio, et lectoris utilitas postulabat, aut omnino prætermisit, aut verbo tetigisse satis habuit; quod in iis quæ ex aliis scriptoribus, ac præsertim ex Polybio exscripsit, auctorum illorum aliquoties mentem nec assecutus est, nec proinde accurate repræsentavit. Hæc duo nobis tractanda et probanda sunt. Res sæpe maximas aut omittit, aut verbo tangit.

Ac primo quidem, quis non et miretur, et etiam stomachetur, quum videat leges Romuli et Numæ circa religionem ac cultum deorum, circa civilem militaremque reipublicæ administrationem, circa regis, senatus, populique jura, ita exiliter et jejune indicatas, ut Dionysium Halicarnasseum postea Plutarchumque in manus sumentibus nova fere omnia Ut leges Romuli et Numæ:

et ignota occurrant? Atqui profecto cujuslibet populi historia, non res tantum bello gestas, sed leges institutaque gentis complectitur, quæ et delectationem habent, et pluribus sæpe lectoribus utilitati esse possunt quam præliorum victoriarumque narratio.

Sunt qui Livium eo colore defendant, quod illa omnia quæ in eo nunc requirimus, Romanis quibus scribebat notissima esse sciret: Græcos autem, quum suis ignota scriberent, necesse habuisse cuncta sigillatim recensere.

Sed ex priscis illis institutis multa sane vetustate exoleverant, multa novis legibus abrogata mutatave fuerant: quæ proinde parum nota vulgo Romanis essent. Jam vero Livius in tanto opere non suæ modo ætatis homines, sed et posteros intueri debebat, ad quos illa transmitti non poterant, nisi historicis monimentis consignarentur. Non ægre in eorum sententiam descendimus, qui existimant illum explicandæ eloquentiæ cupidum maluisse in præliis enarrandis tanquam libero campo exultare, quam legibus exponendis cum angusta et arida materia luctari.

Contentiones de Coriolani judicio, de Aventino publicando, &c. Plut. in Marcio. Dion. lib. VII. Liv. II. 35.

Sunt tamen quæ ille silentio tramiserit, in quibus magna sese aperiebat ostentandi ingenii facultas. Quam fuse, quam luculenter contentiones de Marcii Coriolani judicio, tum apud Plutarchum, tum maxime apud Dionysium explicantur? Dionysius quidem etiam modum fortasse justæ narrationis egreditur: sed Livius in alteram partem peccat, dum ea quæ plus satis apud Græcum scriptorem dilatata occurrunt, ipse nimis in angustum cogit, et monstrata potius quam exposita lectori relinquere properat. Discordiæ de Aventino publicando, et anno sequenti de delectu ac de lege Agraria a Dionysio lib. X.

memoratæ turbulentissimas in republica tempestatum moles excitavere. Legem Agrariam suasit, et postea egregiam in bello operam præstitit Siccius Dentatus, vir sane memorabilis, et inter Romanos quoque fortitudinis miraculum; cujus postea mors nefaria maximam Decemviris invidiam conflavit, et una e præcipuis causis fuit, cur illorum tyrannidi finis imponeretur. Tribunorum actiones de Aven- L. III. c. 31.
tino Livius vix uno verbulo dignatur attingere: de lege Agraria, de Siccii oratione ad populum, de ejusdem et egregio in rempublicam animo, et incredibili in bello virtute omnino silet. Quid? nonne in his omnibus sese jactare poterat eloquentia? Nonne multas harum similes discordias actionesque tribunorum pluribus interdum persecutus est Livius, et omnibus dicendi ornamentis excoluit? Non est profecto verisimile, ut ille hæc consulto omiserit. Meram hic agnoscimus oblivionem et incuriam, quæ et ubique fere in primis illis tenuis reipublicæ temporibus apud eum deprehenditur ex collatione Græcorum scriptorum qui eamdem historiam scripsere: ut profecto videatur noster ad majora et illustriora festinans, origines urbis proximaque originibus, contra quam ipse professus in totius operis procemio fuerat, quam citissime licuerit transcurrisse.

Hinc ille, dum conditam urbem a Romulo narrat, L. I. c. 7.
ne sustinuit quidem annotare, quot annos ab Romæ primordiis ad suam ætatem lapsos esse crederet: hinc quoque de secessione plebis agens, observare II. 32.
neglexit plebem Romanam tres menses, et quidem eos in quibus agros conseri opus est, in monte Sacro II. 33.
consedisse; conditiones quibus illa secessio composita est, incuriose admodum, et indiligenter exposuit. Quid multa? Si hinc Livius, inde Plutarchus et Dio-

Plut. in Romulo, Numa, Poplic. Marcio.

nysius studiose et cum cura pervolvantur, plura multo per se curiosus lector inveniet, quam nos hoc loco dicere aut volumus, aut possumus.

Livius, quæ exscripsit ex aliis auctoribus, non semper intellexit.

Quod spectat ad auctorum loca parum a Livio intellecta, primum exemplum afferemus ex lib. IV. c. 34. ubi sic habet noster: *Classibus...ad Fidenas pugnatum cum Veientibus quidam annales retulere: rem æque difficilem atque incredibilem, nec nunc satis lato ad hoc amne, et tum aliquanto, ut a veteribus accepimus, arctiore. Nisi in trajectu forte fluminis prohibendo aliquarum navium concursum in majus, ut fit, celebrantes, navalis victoriæ vanum titulum appetivere.* Magnæ sane ambages. Difficilis visus est Livio nodus: quem tamen facillime solvere potuerat, si attendisset vocem *classis* antiquitus usurpatam esse pro *multitudine hominum:* imo *vetustius fuisse*, ut ait Festus, *multitudinem hominum, quam navium*, classem *appellari*. Id notum Virgilio: unde apud eum *Hortinæ classes* pro *equestribus copiis*, Servio interprete. Sic et *procincta classis* sumitur pro *acie instructa*. Hoc semel intellecto, nulla jam remanet difficultas, nec aliud profecto veteres illi annales memorati a Livio voluere, quam, exercitibus instructis, vel, ut maluit Tan. Faber, cui debetur hujus nodi dissolutio, equestribus copiis ad Fidenas cum Veientibus pugnatum esse.

Primum exemplum. Classibus pugnatum ad Fidenas.

Æn. l. VII.

Festus in hac ipsa voce, et Gell. l. I. c. 11.

In nota ad hunc Livii locum.

Secundum exemplum. Ἐπὶ τὴν τῶν Θερμικῶν σύνοδον. Legat. 9.

Nec minus in Polybio interdum vertendo Livius hallucinatus est. Sic lib. XXXIII. c. 35. quum reperiret apud Polybium, Cornelium legatum Romanum venisse ἐπὶ τὴν τῶν Θερμικῶν σύνοδον, id est, ut dubitanter quidem, sed vere exponit Henr. Valesius, ad concilium Ætolorum, quod quotannis in urbe Ætoliæ Thermo agebatur, ipse intellexit Thermopylas, *ubi*, inquit, *frequens Græciæ statis diebus solet esse*

In nota ad Liv. XXXIII. 35.

conventus: Pylaicum vocant. Quod quantum a vero abhorreat, ex ipsa narratione facile deprehenditur. Ibi enim Ætolos solos alloquitur Cornelius; soli respondent Ætoli: et eorum responso audito Cornelius abit: quæ quidem omnia magis congruunt in concilium Ætolorum gentis, quam in totius Græciæ conventum. Idque optime sensit ipse Livius, qui, ut illi incommodo obviam iret, tradit Romanum cum Ætolis *præcipue* egisse. Sed illud *præcipue* apud Polybium nusquam est: atque adeo errorem Livii detegit, dum velat.

III. Exemplum. Καταβαλοῦσι τὰς σαρίσσας. XXXIII. 8.

In illustri illa ad Cynoscephalas pugna, qua Philippus debellatus a Quintio est, occurrit apud nostrum aliquid quod lectorem attentum morari debeat. Philippus dum in hostem ducit, *Macedonum phalangem, hastis positis, quarum longitudo impedimento erat, gladiis rem gerere jubet.* Norunt omnes præcipuum phalangis Macedonicæ robur positum fuisse in sarissis ante ipsos porrectis, quæ et inexpugnabili velut vallo illos sepirent, et multum valerent ad perrumpendos hostium ordines. Quis igitur crediderit, jussos esse ab rege Macedonas suam ipsos vim solvere et infringere? Si Polybium adeas, ex quo exscripta est a nostro tota hujus prælii narratio, non modo nihil tale reperies, sed etiam facile agnosces unde error Livii natus sit. Nempe hæc sunt Polybii verba. Τοῖς μὲν φαλαγγίταις ἐδόθη παράγγελμα καταβαλοῦσι τὰς σαρίσσας ἐπάγειν. Verbum καταβαλοῦσι videtur in fraudem induxisse Livium. Græci καταβάλλειν dicunt, quod Latine dicitur *abjicere*, itemque *demittere.* Priore sensu accepit Livius, quum posteriore debuisset, ut et vertit Casaubonus, qui in illo Thermici concilii loco a Livio deceptus, hic cautior fuit. *Phalangitis* L. XVII.

data est tessera, ut demissis *sarissis*, id est versis in hostem sarissarum cuspidibus, *hostem invadant*.

Frustra igitur Livius, ut narrationi suæ verisimilitudinem conciliaret aliquam, et quod in ea hiulcum et mancum erat expleret, duplicem ei assuit pannum, dum et *longitudinem* sarissarum *impedimento* ait futuram fuisse pugnantibus, et Macedonas jussos esse *gladiis rem gerere*. Nimirum rationem reddere primo voluit, cur sarissas ponere juberentur: tum, postquam eis sarissas ademerat, ne scilicet inermes eorum dextræ essent, gladiis illas armavit. Sed nihil aliud inde colligi potest, nisi eum ex ingenio corrigere haud sane feliciter tentasse quod in Polybio minus intellexerat.

Quartum exemplum. Decretum senatus de legibus pacis cum Philippo.

Sed nusquam se manifestius ejus prodit incuria, quam in decreto senatus de legibus pacis cum Philippo, quod ita deformatum ab eo exhibetur, ut nec decretum ipsum intelligi, nec ea quæ postea narrantur, ullo modo queant: quum tamen apud Polybium plana omnia et liquida sint. Polybii locum primo afferemus ex interpretatione Casauboni, ut negotio semel clare percepto, facilius intelligat lector, quid in eo a Livio peccatum sit. *Senatusconsulti præcipua capita erant hæc: ut ceteri omnes Græci, et qui in Asia degunt, et qui in Europa, liberi sint suisque legibus utantur: ut qui in Philippi ditione sunt, et si quas ille urbes Græcorum præsidiis tenet, eas ante celebrationem ludicri Isthmiorum Romanis Philippus tradat: Euromum, Pedasa, Bargylia, Jassum, item Abydum, Thasum, Myrinam, Perinthum, deductis inde præsidiis, liberas esse sinat.* Cetera hujus decreti nihil huc attinent. Sed ex iis quæ attulimus apparet duplicem Græcarum civitatum a Romanis conditionem

Polyb. in Excerpt. Legat. 5.

distingui: unam earum quæ Philippo non parerent; alteram, earum quæ essent in ejus ditione. Prioris generis omnes liberæ jubentur esse. Quæ Philippo parent, ex iis itidem omnibus præsidia deduci jubentur, sed ita ut aliæ, quæ non nominantur, tradantur Romanis; aliæ, quæ nominantur, liberæ sint. Nec vero sine causa decretum suum Romani Patres in hunc modum concinnaverant. Nondum enim eis certum erat Corinthum, et Chalcidem, et Demetriadem liberare, quas *compedes Græciæ non contumeliosius, quam verius* Philippus appellare solitus erat. Liv. XXXII. 37. Metuebant igitur invidiam, si eas urbes nominatim sibi tradi juberent, dum palam liberatæ Græciæ titulum affectabant.

Livium nunc audiamus. *Pax data Philippo in has leges est: Omnes Græcorum civitates, quæ in Europa, quæque in Asia essent, libertatem ac suas leges haberent. Quæ earum sub ditione Philippi fuissent, præsidia ex his Philippus deduceret: his quæ in Asia essent, Euromo, Pedasisque, et Bargyliis, et Jasso, et Myrina, et Abydo, et Thasso, et Perintho. Eas quoque enim placere liberas esse.* XXXIII. 30. In paucis his versibus quater peccasse Livium, sive detrahendo, sive addendo quæ opus non esset, facile animadverti potest.

Primo quidem, *omnes Græcorum civitates* in libertatem restitui ait, quum scribere debuisset *ceteras omnes Græcorum civitates*, τοὺς μὲν ἀλλοὺς Ἕλληνας πάντας. Vox enim illa *ceteras* otiosa non est, sed indicat exceptum iri postea quasdam civitates, quarum diversa ab iis quæ priores appellantur conditio futura sit, ac proinde quæ libertatem ac suas leges non sint habituræ.

2°. Nullam mentionem facit urbium quæ Romanis tradi jubeantur.

3°. Illud additamentum, *eas quoque enim placere liberas esse*, totius decreti sensum pervertit. Non enim illæ *quoque* urbes, sed solæ illæ ex iis quæ Philippo parerent, nominatim liberæ esse jubentur.

4°. Denique in illis urbibus, quas Asiæ Livius attribuit, duæ reperiuntur, quæ ad Europam pertinent, Thasus et Perinthus.

Quod si culpandos esse hoc loco librarios, non Livium, aliquis contenderet, nec nihil fortasse, nec tamen omnia dicere videretur. Fieri potuit, ut, quemadmodum sæpe alias, ita et hic quoque Livio nocuerit exscriptorum negligentia. Suspicemur sane excidisse ea quæ de urbibus tradendis Romano scripserat, quarum mentio occurrit cap. sequenti, quanquam haud profecto quidquam satis firmum est, quo illa suspicio nitatur. Cetera quonam modo in librarios rejici possint, non videmus: quumque nullum in ipsa oratione vulnus, ac ne cicatrix quidem appareat, sed omnia rotunda, integra, sana, si liceat huic loco suspicionem affingere corruptionis, et eo argumento Livium defendere, nihil jam superest, quod non eodem possit colore purgari. Ne dubitemus igitur agnoscere illum hic aliquid humani passum esse, ut et quibusdam aliis in locis, quæ sedulo in notis nostris observata reperientur.

Quod si tanto viro accidisse mirabimur, cogitemus etiam illos celeberrimi nominis scriptores, summos esse; homines tamen: Livium vero ad eloquentiam natum, et ad grandia impetu quodam abreptum, haud facile potuisse in iis immorari, quæ horridioris et jejunioris disputationis essent, et in auctore interpretando omnes syllabarum apices religiose dimetiri: denique id illi contigisse, quod omnibus. Semper

Quintil. Institit. l. X. c. 1.

enim humana aliqua parte claudicant, nec ullum fere in quoquam homine eximium bonum est, quod non aliquo incommodo pensetur. Livius valuit ingenio, curam non semper præstitit: quemadmodum contra raro assurgunt ii quorum anxia diligentia est, propterea quod vim ingenii frangit caloremque restinguit operosa animi circa res minutas intentio. Sed pergamus ad reliqua.

Perutilis sane et ad gustum eruditi lectoris prorsus accommodatus hoc nostro ævo mos viget, ut qui historias scribunt, magna cura indicent eos fontes unde viridaria sua irrigavere, et acta, monumenta publica, scriptores eos quibus nituntur auctoribus in singula appellandos esse sibi existiment. Eo fit ut facta posteris semper ipsa primorum testium quodammodo voce tradantur, et, si quid a secunda manu interpolatum, additum, detractumve est, id illico, inspecta rei origine, possit deprehendi. Id a Livio factum non esse, mirari fortasse aut magnopere queri non debemus, quum hic mos a nullo fortasse veterum accurate servatus sit.

Livius auctores illos quibus usus est, diligenter indicare neglexit.

Verum ubi quis scriptor alium quemlibet auctorem non modo intuetur animo, sed plane vestigiis premit, nec paucula quædam excerpit ex eo, sed totas rerum maxime memorabilium narrationes et ingentes operis partes exscribit; tum vero eum cui tantum debeatur cum honore appellare, non moris cujusdam est, sed juris prope naturalis, quo jubemur suum cuique reddere. Hic quoque Livii diligentiam desiderari, negare omnino non licet. Multa ille in III^a^. IV^a^. et V^a^. decadibus e Polybio ita mutuatus est, ut verbum pene verbo fidus interpres reddat; transitum Alpium, Carthaginis novæ expugnationem, Scipionis in Africa de Syphace, de Asdrubale,

In Polybio non potest excusari.

de Annibale victorias, ejusdem Scipionis et Annibalis alternas orationes, pugnam ad Cynoscephalas, et innumerabilia alia, quæ sigillatim persequi longum esset, et præterea supervacuum, quum unusquisque nullo negotio possit ex utriusque scriptis rem per se ipse inspicere. Nec dubium est, quin plurima a Livio indidem desumpta nos ideo fallant, quod Polybiani operis longe minima pars ad nos pervenerit. Adeo ut vere dici possit Livius eam operis sui partem quæ in eodem cum Polybii historia argumento versabatur, totam pene ex solo illo auctore contexuisse. Ejus tamen raro admodum mentionem facit, nec usquam fere, nisi in minutis rebus, et ubi variant auctorum sententiæ. Nusquam profitetur se ei permulta debere, se libros ejus integros vertere, iisque pro suis uti.

Addunt quidam, ut Livii causam onerent, id omnium minime ferendum esse, quod ubi Polybius ab eo honorificentissime appellatur, vocetur tantummodo *haudquaquam spernendus auctor;* et alibi, *non incertus auctor, quum omnium Romanarum rerum, tum præcipue in Græcia gestarum.* Sed optime a doctissimis viris repositum est has locutiones *haudquaquam spernendus auctor, non incertus auctor*, intelligendas esse κατὰ λιτότητα, id est, ita ut plus multo valeant sensu, quam quantum ipsa per se verba sonant; ut proinde *non spernendus auctor* idem sit ac *gravissimus auctor, non incertus* idem ac *certissimus.* Id quidem frequentissimo optimorum scriptorum usu comprobatum est: et perfacile consimilium exemplorum ingens multitudo ad legentis fastidium hic congeri posset. Hanc ergo defensionem libenter amplectimur, et cupimus ingrati animi suspicionem a Livio nostro amoliri.

XXX. 45. XXXIII. 10.

Casaubon. ad Fragmenta Polyb. Voss. de Hist. Lat.

Verum enimvero pertinax illud ejusdem de mutuatis a Polybio opibus silentium, non videmus quam excusationem habere possit. Atque ut id planum faciamus, fingamus non maximam Polybianæ historiæ partem, sed totam eam, quanta quanta fuit, intercidisse. Cui nostrum Livii scripta pervolventi veniret in mentem suspicari, eum tot ac tanta ex Polybio in suam rem vertisse, nec fere quidquam alicujus momenti in bello Annibalico, ac præcipue in bellis adversus reges Philippum, Antiochum, Persen, habere, quod non inde haustum sit? Per illum ergo non stetit, quominus Polybii in eum merita longa nocte urgerentur: atque adeo, etiamsi fraus abfuerit, nec eo consilio tacuerit Livius ut sese furtivis coloribus ornaret, videtur tamen non satis liberali in Polybium animo fuisse, nec obtemperasse illi quam omnes boni in cordibus insculptam gerunt beneficiorum legi, ut qui beneficium accepit, palam illud et ubique prædicet, et in ejus notitiam cupiat omnium mortalium, si fieri possit, et detur occasio, conscientiam advocare.

Erunt tamen fortasse qui potius quam Livium damnare hoc nomine sustineant, malint suspicari, eum, ubi primum Polybio uti duce potuerat, id est, circa tempora primi Punici belli, quæ pars Liviani operis intercidit, testificatum fuisse, se multa deinceps ab eo mutuaturum, et ex illo potissimum auctore deprompturum ea quæ in parte non pœnitenda reliquæ jam historiæ persecuturus erat.

Sed observemus primo, Polybium belli Punici primi, et eorum quæ bellum Annibalicum præcessere, non justam historiam, sed breviarium quoddam contexuisse. Unde merito colligitur eam quæ a Livio adornata fuerat illorum temporum narrationem, Po-

lybiana pleniorem et uberiorem fuisse. Num igitur verisimile sit Livium, ubi parce et tenuiter a Polybio juvabatur, ibi effusissimum grati erga eum animi testimonium explicasse; ubi omnia fere illi debet, siluisse?

Deinde vero, etiamsi id semel fecisse Livium concederemus, tamen erat profecto tanti, hanc testificationem, non Polybio magis, quam ipsi honorificam, identidem renovari; præsertim quum in iis qui supersunt libris aliquoties Polybius appelletur, cujus vel nuda mentio hoc reposcere videbatur memoris erga tam benemeritum scriptorem animi benevolentiæque vectigal.

Si quis igitur hac excusatione Livium defendere conetur, non magnopere repugnabimus. Nobis tamen illa nec satis verisimilis, nec idonea videtur. Statuimus ergo duplici eum negligentiæ crimine vix absolvi posse, tum circa res ipsas, tum circa fontem originemque rerum, quas in magna historiæ parte memoravit.

§. 3. Livius recti honestique amans.

Sed minime miremur tamen, his maculis, quascumque in Livio notavimus, non obsolefactam fuisse gloriam ejus ad posteros. Etenim præter eximium illud perfectæ eloquentiæ decus, de quo initio diximus, hoc quanti est, quod vir bonus et recti honestique amans Livius, suam ubique virtuti laudem, suam vitio reddit ignominiam; neque nudam ac jejunam dictorum factorumque proponit seriem legentibus, sed iis instructam judiciis ac præceptis, quæ ad omnem vitæ officiique rationem egregia possint esse documenta?

Pietas ejus in numina.

Ac primo quidem pietatem in numina quæ apud suos colebantur, et quamdam religionis patriæ reverentiam ubique profitetur: infelix, qui temporum

vitio et communis exempli imperiosa lege abreptus futilem religionis umbram pro re amplecteretur; laudandus, qui umbram retineret tamen, seseque multum ab insanientis sapientiæ audacia et temeritate sejungeret, quæ bellum falsis indictum diis cum vero gerebat, et dum impios vulgi circa divina pro fligaret errores, ipsam tollebat divinam vim, eademque opera maximum justitiæ et societatis humanæ vinculum dissolvebat. Sacrilegam hanc, quæ suo ævo Romæ vigebat, opinionum licentiam, non semel increpat, et cum intimi doloris sensu deflet Livius. Quam gravis, quantæ severitatis et sanctimoniæ plena est hæc quæ lib. III. cap. 20. occurrit novæ illius impietatis castigatio? *Nondum hæc, quæ nunc tenet seculum, negligentia deûm venerat: nec interpretando sibi quisque jusjurandum et leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat.* Et alibi, de juvene eo qui consulem monendum sibi esse existimabat pullarium auspicia ementitum esse, *juvenis*, inquit, *ante doctrinam deos spernentem natus.* Sed X. 40.
quid plura opus est? Qui sedulo perpenderit, quonam modo Livius, si quid pie in deos factum est, id commemoret et prædicet; contra, si in aliquo contemptor religionis animus appareat, quam is invidiose describatur, et in odium vocetur, facile animadvertet prioribus illis exemplis nostrum maximopere delectatum esse, hæc vere et ex animo detestatum. Sufficiat hic indicare lectori capp. 40. et 46. lib. V. ubi de Albinio, et Fabio Dorsone agit, et initia lib. XXII. ubi de consule Flaminio.

Neque vero crediderimus, id quod multi Livio objecere, illam quam in eo laudamus cœlestis numinis reverentiam, in anilem superstitionem degenerasse. Huic criminationi maxime ansam præbuere prodigia Immerito ei objicitur superstitio.

illa, quæ plurima in singulos fere annos colligit, partim incredibilia et omnino vana, partim ab imperitis hominibus falso habita pro monstris, quum tamen nihil in iis esset, quod non ex vi ipsa rerum et naturæ legibus flueret. Sed non recte judicant de Livio, qui hæc omnia ab eo aut pro veris memorata, aut in religionem versa esse existimant. Ipse se multis locis defendit: ut quum lib. XXI. cap. 62. prodigiorum enarrationem sic orditur: *Romæ, aut circa urbem multa ea hieme prodigia facta, aut (quod evenire solet motis semel in religionem animis) multa nunciata et temere credita sunt.* Rursus lib. XXVII. c. 23. *Cumis (adeo minimis etiam rebus prava religio inserit deos) mures in æde Jovis aurum rosisse nunciatum est.* Ubi etsi rei prorsus incredibili fidem potius derogare debuerat, absurdæ certe superstitionis crimen a se repellit. Sed nusquam suum de his rebus judicium aut apertius, aut fusius explicat, quam lib. XLIII. c. 13. *Non sum nescius,* inquit, *ab eadem negligentia qua nihil deos portendere vulgo nunc credant, neque nunciari admodum ulla prodigia in publicum, neque in annales referri. Ceterum et mihi vetustas res scribenti nescio quo pacto antiquus sit animus: et quædam religio est, quæ illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint, ea pro indignis habere quæ in meos annales referam.* Ex his profecto patet plura eum, quod Curtius de se testatur, transcribere, quam credere, et sola antiquitatis veneratione adductum ea in annales suos retulisse, quæ etsi futilia esse intelligeret, illis tamen prudentissimis viris gravissima visa esse, et, tanquam missa a diis, publice suscepta meminerat.

Livii de prodigiis judicia.

Curt. lib. IX. c. 4.

Quin etiam illud affirmare non dubitabimus, pertinuisse ad historiæ fidem, ut prodigia illa, quemad-

modum in publicis monumentis tradita reperiebat, ita ad nos scripto transmitteret. Quis negaverit historiæ cujuslibet populi non pœnitendam esse partem eam quæ ad ejus sacra ritusque religiosos et cultum numinis spectet? Quem nostrûm non juvat nosse, quantopere mentes priscorum illorum Romanorum occæcaret stolida, et multum, irridendane dicam, an deflenda, circa divina superstitio et credulitas? Quæ cognitio tantum abest ut veræ religioni officiat, ut contra hoc quoque nomine gratias Deo immortales et habere, et agere debeamus, quod nos veteribus illis neque prudentiores neque ingeniosiores, a tam supinis tamque exitialibus erroribus, per divinam Evangelii lucem, liberaverit. Non continuo igitur, si Livius perabsurda prodigia memoriæ mandavit, id ei in crimine ponendum, aut nota superstitionis injungenda est: ac proinde nihil jam obstat quominus eum multum amemus de sua in eos quos solos colere didicerat deos pietate. Multum ergo ab eo absumus, ut Gregorio Magno, acris ingenii, et eruditi in Religionem Christianam studii pontifici, tam lævam fuisse mentem putemus, ut, quod legitur in Antonini Summa, ob illam prodigiorum commemorationem infensus Livio, quoscunque nancisci potuisset ejus libros igni traderet. Id nec libet credere, et licet, ubi rei tam absurdæ tanto posterior ætate testis unus citari potest.

Livius ex historiæ fide prodigia narrare debuit.

Fabric. Biblioth. Lat. l. I. c. 11.

Sed et ceterarum virtutum, justitiæ, abstinentiæ, comitatis, munificentiæ, castimoniæ, amoris in patriam, summa ubique apud eum elucet admiratio, quæ in earum æmulationem ipsum quoque lectorem rapit. In re manifestissima non operæ est diutius immorari. Sed tamen quis non ardore quodam ca-

Livius virtutum omnium præco et hortator.

ritatis in patriam succendi se sentiat? sive audit Lentulum consules ad Caudium hortantem, ut communem salutem non morte tantum, sed et ignominia sua bene emptam putent; sive hanc velut ex oraculo missam vocem excipit: *Respublica incolumis et privatas res facile salvas præstat. Publica prodendo tua nequicquam serves.* Quem non ad temperantiam contemtumque voluptatum incitet et inflammet Scipio ille, qui dum Masinissæ intempestivum et præcipitem in Sophonisbam amorem castigat, non dubitat, et juvenis, et victor, omnibus triumphis anteferre frenatarum libidinum decus?

IX. 4. XXVI. 36. XXX. 14.

Quod si a vitiis quoque dehortantur aliena opprobria, Tarquinii superbiam et crudelitatem, Appii decemviri libidinem et impotentiam, Manlii Capitolini spes ambitiosas et seditiosa consilia, Flaminii Varronisque temeritatem iis coloribus depingit Livius, ut tantam fœditatem nemo non laudis cupidus exhorrescat. Sic ergo ex ejus opere hic colligitur fructus, quem ipse ex historia uberrimum utilissimumque capi posse existimarit. Sic *omnis exempli documenta in illustri posita monumento intueri* datur. *Inde tibi tuæque reipublicæ quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.*

Liv. Præf.

Livii historia ad mores informandos utilior, quam omnes philosophorum disputationes.

Fremant philosophi licet: audacter profitebimur animi nostri sententiam. Omnes illorum disputationes una nobis videtur Livii historia, si quis et honesti amore sibi pectus imbui velit, et salubri quodam antidoto adversus vitiorum contagia muniri, sive auctoritatis pondere, sive utilitatis ubertate superare. Quidquid apud illos præceptis adstruitur, hic firmatum videmus exemplis. Illi cassam sæpe et vacuam fingunt animo virtutis imaginem: hic ipsa sese virtus

præsentem sistit ob oculos, et vivam quodammodo ac spirantem exhibet. Illorum suspecta interdum est otiosa loquacitas: hic nos frangit auctoritas ineluctabilis onustorum triumphis ducum, et maximi post hominum memoriam imperii conditorum. Denique illorum præceptiones non modo aridæ ac jejunæ nihil habent lenocinii, nihil voluptatis, sed etiam ipsa præcipiendi professione absterrent ac fugant indociles plerumque hominum animos; Livius et omni eloquentiæ cultu salutaria monita vestit et exornat, et ita præcipit ut prorsus lateat præcipiendi voluntas. Nullum in eo magisterii supercilium; nulla doctoris persona: fallitque disciplina virtutis ante insinuata mentibus, quam ipsi qui discunt doceri sese intelligant.

Hoc artificium callide deprehendit vir exculti multa humanitate ingenii Corbinellus, qui sententias e Livio collectas contulit in libellum, editum Parisiis anno 1694. In monito quod huic libello præfixum est, observat editor, mirum quibusdam fortasse videri posse, quod qui tam non sententiose scripserit Livius, tam multas ex suo opere excerpendas sententias præbuerit. Sed nempe egregius dicendi artifex, non, Polybiana simplicitate, tanquam purpureos pannos, narrationi sententias assuit. Longe illi major est venustatis et æquabilitatis in scribendo cura. Dat itaque operam, *ne*, quod postea Petronius monuit, *sententiæ emineant extra corpus orationis expressæ, sed intexto vestibus colore niteant.*

Les Anciens Historiens reduits en maximes. Premier volume. Tite Live.

Satyr. c. 118.

Jam igitur æquam de Livio videmur ferre posse sententiam. Tres præcipuæ sunt historiæ dotes, ut vera, ut jucunda, ut utilis sit. Atque adeo tria sunt historici officia, ut res gestas cum fide repræsentet, ut iis tractandis eloquentiam adhibeat, ut hausta ex

Judicium de Livii historia.

iisdem morum informandorum monita et præcepta narrationi inspergat. Duo ita præstitit Livius, ut si minus ceteris omnibus dicendus est præripuisse palmam, certe nulli secundus haberi possit: ac si historiarum scriptori sufficeret utile dulci miscere, frustra quidquam perfectius quæreretur. Sed quum adversus fidem triplici modo peccare quis possit, nimirum vel sciens et volens, vel amoris aut odii cæcis insidiis deceptus, vel negligentia lapsus; harum culparum nullam esse a qua se semper immunem Livius servaverit, idoneis, ut putamus, argumentis probavimus.

Artic. IV. Criminationes ad animum moresque Livii pertinentes.

Antequam ad alteram institutæ disputationis partem transeamus, ne quid a nobis, quod alicujus sit momenti, prætermissum dicatur, duo nobis expendenda sunt, a Seneca patre et Plinio majore objecta Livio, non ad opus ipsius, sed ad mores animumque pertinentia.

Livium iniquum Sallustio fuisse Seneca arguit.

Seneca, lib. IV. Controv. 24. hanc Thucydidis sententiam refert. Δειναὶ γὰρ αἱ εὐτυχίαι συγκρόνειν καὶ συσκιάσαι τὰ ἐκάστων ἁμαρτήματα. Quam sic vertit Sallustius. "Res secundæ mire sunt vitiis obtentui." *T. autem Livius*, inquit Seneca, *tam iniquus Sallustio fuit, ut hanc sententiam, et tanquam translatam, et tanquam corruptam dum transfertur, objiceret Sallustio. Nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum præferat. Laudat quem non timet, et facilius putat posse a se Sallustium vinci, si ante a Thucydide vincatur.* Si de ipsa re Senecæ credimus, cujus sane testimonium haud facile quis aspernari possit, si Livius tam futili criminatione Sallustium insectatus est, profecto non videmus qui liceat ab ejusdem Senecæ judicio discedere: fatendum erit Livium Sallustio ejusdem gloriæ æmulatione iniquum fuisse. Quid enim corrupti deprehendi potest in sententia Sallustiana, quæ Thucydi-

deam et fideliter et elegantissima cum brevitate exprimit? Unam vero sententiam ex alio scriptore translatam objicere Sallustio, non ejus est qui totos Polybii libros exscribere solitus sit. Idem tamen Seneca alibi agnoscit Livium natura candidissimum omnium magnorum ingeniorum æstimatorem fuisse. Sed nempe pravum laudis certamen etiam moderatissimi et æquissimi ingenii animique homines sæpe transversos rapit. Suasor. 6.

Plinius non ita probabili de causa videtur Livium lacessisse. Litem ei propterea intendit, quod in historiarum suarum quodam volumine sic orsus fuerit: " satis jam sibi gloriæ quæsitum, et potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere." *Profecto enim*, inquit Plinius, *populi gentium victoris, et Romani nominis gloriæ, non suæ, composuisse illa decuit.* Fuisse eum Romani nominis gloriæ plus etiam quam satis sit studiosum supra probavimus. Quod vero et suæ quoque laudis aliquam rationem habuerit, quis ei crimini vertat, qui meminerit cupidinem gloriæ etiam sapienti novissimam exui? Plinius ei gloriæ cupiditatem objicit: nimium severe. In præf. Hist. Nat. Tac. Hist. IV. 6.

Omnino, si mores ejus ex scriptis æstimaverimus, ut fere solent ii qui scribunt aliquid, animi sui effigiem etiam aliud agendo in libris suis exprimere, dubitare non possumus, quin candidissimum ei pectus fuerit amantissimumque virtutis. Eam ille ubique tantis laudibus, tam ab omni fuco et mendacii larva alienis extollit, ut intra otiosam ejus admirationem minime stetisse videatur. Scias eum qui virtutem in ceteris eximie laudet, in se quoque amare. De Livii moribus conjectura.

Tanti viri memoriam, quæ toti litterato Orbi venerationi esse debet, Patavini ejus cives præcipuo sibi honore colendam esse existimavere. Sed verentur docti, ne sua eos fefellerit pietas, dum ejus ossa Artic. V. Honores ejus memoriæ a Patavinis habiti.

Vid. Voss. l. I. de Hist. Lat. c. 19. et Dujat. Præf. in Livium, et Morhof. de Patavinitate Liviana, c. 3.

inventa apud se esse, male intellecta inscriptione decepti, nimium facile sibi persuadent. Quum enim anno post Christum natum 1413. apud ædem S. Justinæ Patavii, terra altius effossa, apparuisset vetustissimum pavimentum, eoque fracto capsa plumbea ossibus plena reperta esset, quidam recordati sunt, ibi jam antea veterem effossum lapidem cum hac inscriptione:

V. F.
T. LIVIUS
LIVIÆ T. F.
QUARTÆ L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SUIS
OMNIBUS.

Nemo dubitavit, quin ipsum Livii corpus illo loculo contineretur. Itaque celeberrimo urbis loco, in curia ubi jus dicitur, vulgo *Palazzo della ragione* vocant, ossa illa asservari voluere; statuamque ibi Livio e marmore posuere, cum illa quam repererant inscriptione: quæ monumenta hodie quoque Patavii visuntur. Sed inscriptionem modo memoratam a liberto Liviæ Titi filiæ, non a Tito ipso positam fuisse docuit Marquardus Gudius. Est enim sic legenda: VIVENS FECIT TITUS LIVIUS LIVIÆ TITI FILIÆ QUARTÆ LIBERTUS HALYS CONCORDIALIS PATAVI SIBI ET SUIS OMNIBUS: quæ verba hanc habent interpretationem, ut Halys libertate donatus a Quarta Livia Titi filia, Concordiæ postea, cujus erat Patavii

templum, sacerdos factus, sibi ac suis hoc monumentum posuerit.

Est et alia Livii statua lapidea Patavii in porta quadam, non longe a curia, cum hac inscriptione:

OSSA
TITI LIVII PATAVINI, UNIUS OMNIUM MORTALIUM JUDICIO DIGNI, CUJUS PROPE INVICTO CALAMO INVICTI POPULI ROMANI RES GESTÆ CONSCRIBERENTUR.

Sed hæc inscriptio et litteris Gothicis exarata est, et fastu ipso ampullisque verborum, quas in inscriptionibus sana ignoravit antiquitas, novitatem plane sapit.

Dujatius et Morhofius aliam adhuc inscriptionem afferunt, quam in ædibus Annibalis *Capo dilista* haberi aiunt, quæque et antiqua esse, et ad nostrum pertinere posse videtur. Ea sic habet.

T. LIVIUS C. F.
SIBI ET SUIS
T. LIVIO. T. F. PRISCO ET
T. LIVIO. T. F. LONGO ET
CASSIÆ SEX. F. PRIMÆ
UXORI.

Ut ut sit, præter conditorium illud Livii ossibus, ut tum existimabant, in curia positum, seorsim ostenduntur Patavii lingua et maxilla ejus, teste Vossio: sed brachium alterum non item, quod Alphonso V. Arragonum regi dono datum a Patavinis esse hæc ibidem inscriptio testatur: *Inclyto Alphonso Arragonum regi, studiorum fautori, Reipublicæ Venetæ fœderato, Antonio Panormita Poeta legato suo orante,*

Voss. ibid. Brachium ex ossibus T. Livii, ut tum putabatur, Alphonso Arragonum regi a Patavinis datum.

et Matthæo Victurio hujus urbis prætore constantissimo intercedente, ex historiarum parentis T. Livii ossibus, quæ hoc tumulo condiuntur, brachium Patavi[a] *cives in munus concessere anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, XIV. Kalendas Septembres.* Ea tum erat principum quoque virorum ac regum in litteras earumque antistites pene religiosa veneratio: à qua tantum degeneravimus, ut talia hodie exempla memorantibus venia opus sit. Nimirum, quantum pecuniæ divitiarumque pretio et admirationi accessit, tantum de veræ laudis et doctrinæ honore decedere necesse est.

Expensis iis omnibus quæ ad Livium ipsum spectant, jam ad ejus editores interpretesque transeamus.

[a] Melius videretur, *Putavini.*

CAPUT SECUNDUM.

DE LIVII EDITORIBUS ET INTERPRETIBUS.

Artic. I. De iis qui J. Frid. Gronovium antecessere T. Livii editoribus.

DIGNUM sane erat Livii opus, cui illustrando, et mendis quæ per incuriam imperitiamque præcedentium seculorum in illud irrepserant liberando, studium et operam impenderent viri inter litteratos ingenio et doctrina clarissimi. Hoc itaque summa cum sua laude, et magno reipublicæ litterariæ bono plurimi præstitere, quorum nomina, et quid quisque Livio contulerit, et quo anno suum laborem publici juris fecerit, recenset J. Frid. Gronovius in præfatione sua

ad Livium, quam ad hujus calcem subjungemus, ne aut bene meritos de hoc præstantissimo scriptore deque nobis homines gloria sua, aut cupidum lectorem illorum notitia fraudemus.

Nobis hic observare sufficiat, ex iis omnibus quos Gronovius enumeravit neminem esse cui plus debeat Livius, quam Car. Sigonio. Ille et scriptis aliquot exemplaribus adjutus, et magna Romanarum rerum peritia, multas Livio labes abstersit, locisque quamplurimis, vel obscuris lucem, vel sauciis et laceris sanitatem reddidit: ut vix quidquam abesse putaretur, quominus ejus opera eloquentissimus scriptor primævo nitori restitutus esset.

Sigonius optime meritus est de Livio.

At secutus Sigonium post unius seculi ferme spatium J. Frid. Gronovius, longo illum intervallo superavit. Hunc vere dixerimus principem tenere locum inter eos omnes qui Livio castigando manum admovere: virum in quo cum limatissimo judicio certat copia eruditionis et varietas; in quo mira ingenii acies et sagacitas minime officit diligentiæ; sine timiditate cautum, audacem plerumque sine confidentia: qui denique omnibus jam Livium tractaturis fax esse debeat certusque dux, a quo raro discedi possit sine erroris periculo. Etenim ad ea quæ modo memoravimus naturæ doctrinæque præsidia, etiam optimorum librorum copia accesserat, quorum ope multas insignes maculas, partim inveteratas jamdudum, partim a pravis emendatoribus recens allitas, eluit: multa, quæ specie sanitatis imponebant, cæco aliquo laborare vitio ostendit: multa falso suspecta in integrum restituit: ut post tot doctissimorum virorum labores, novus tamen pene Livius, et velut rediviva juventa nitidus in lucem tum demum prodierit.

Artic. II. De Gronovius. J. Frid. Gronovius principem tenet locum inter Livii editores.

Vid. ejus Præf. infra.

Gronovius non tam interpres Livii, quam restitutor.

Hæc singularis est Gronovii laus, quod ipsum Livii contextum optime repurgarit. Ceterum locis sanis quidem, sed paulo difficilioribus aliquam explanationem adjungere; antiquitates, puta leges, mores, instituta veterum parum vulgo cognita, breviter, ubi daretur occasio, explicare; supplere ea quæ Livius ab aliis tradita interdum omisit; paucula de Geographicis inserere, aliaque hujusmodi neglexit: sive quod id a prioribus abunde præstitum crederet; sive curam eam, tanquam fama sua parum dignam, aspernatus est. Non quin talia multa in ejus notis occurrant: sed nimirum neque omnia persecutus est, et ubi aliquid hujusmodi attingit, illuc non accessit consilio, verum casu delatus est, dum veram alicui loco asserit lectionem, aut emendationes suas firmare conatur, quod sine pleniore totius negotii tractatione fieri non poterat. Alioquin, quidquid ad contextum ipsum non pertinet, præterire solitus est. Uno verbo restitutor Livii, quam interpres audire maluit. Quod si integrum laborem suscipere non gravatus esset, et omnia quæ opus sunt adjumenta voluisset suppeditare studioso Livii lectori, necdum plane in rebus Romanis, et antiquitatis cognitione trito et subacto; profecto ille, qua et doctrinæ ubertate, et felicitate ingenii fuit, perpauca postfuturis interpretibus facienda reliquisset.

Stylus Gronovii paulo horridior.

Quanquam ea ipsa quæ dedit, non ita ad amussim perfecta esse contendimus, ut nihil addi, detrahi, mutarive queat. Nam præter styli scabritiem, qui interdum locutionibus et vocabulis, Latinis quidem, sed ex intimo artium minime vulgarium recessu depromptis, aut vetustate obsoletis, aut denique a communi et populari usu remotis, scatet totus et horret, est et quando vir doctissimus dormitaverit: ut quum

Dormitat interdum.

deceptus una litterula per incuriam operarum prave immutata, desperatum esse pronuntiat, et variis conjecturis vexat et sollicitat eum Livii locum, quo nullus clarior fingi potest. Is locus reperitur lib. XXXIII. cap. 48. et a Clerico ex veteribus editis emendatus est. Sed id quidem perraro contingit; atque haud scio an huic ex omnibus iis qui unquam in simili opere versati sunt, rarissime.

Ejusdem conjecturæ sæpe audaciores.

At conjecturas audaciores in ejus notis sæpiuscule animadvertas, quibus haud facile fides habenda sit. Ipse quidem sedulo cavit, ne cuiquam ex ea re prudenti attentoque lectori fraus fieret. Quas enim certissimas esse emendationes duxit, eas in textum admisit; quæ sane ita plerumque, imo fere semper, severa trutina examinatæ et religiose perpensæ sunt, ut nulla de iis possit dubitatio superesse. In notis indulsit magis ingenio, et liberius conjecturas sivit excurrere: ita tamen ut multa in iis non ingeniosa solum, sed quam proxime ad veritatem accedentia, et plane etiam verissima reperiantur.

Notæ variis MSS. lectionibus refertissimæ.

Illud plurimi sane laudi ei dare minime dubitabunt, quod operosa diligentia MSS. suorum lectiones in notas usque et usque congerat; et fidem quasi sub testibus agentis gratanter accipiendam esse arbitrabuntur. Erunt fortasse quibus molesta illa sedulitas et fastidiosa videatur. Quid sentiamus ipsi, aperire necesse habebimus in tertia hujus præfationis parte, ubi de interpretis et notarum concinnatoris officio disputabimus.

Et copia exemplorum.

Eodem rejicimus disceptationem de multitudine exemplorum, quæ locutioni alicui firmandæ vel illustrandæ aliquoties ab eo cumulata sunt. Sed quidquid tandem de minutis his leviusculisque rebus statuatur, illud constat, neminem, ex quo litteræ revixerunt, utiliorem operam scriptori nostro na-

vasse. Et sane labor ejus quum magno statim plausu exceptus sit, hodie quoque secundissima apud doctos omnes, et merito quidem, fama fruitur.

Jac. Gronovius patris opus perficit et ditat. Vid. Præf. Jac. Gronov. in edit. an. 1679.

Post J. Fr. Gronovii mortem, Jacobus ejus filius in paternæ laudis consortium venire voluit, et diligenter inspectis veteribus quibusdam membranis, quarum copiam non habuerat pater, modica, nec tamen inutili accessione scholia ejus in Livium locupletavit. Sed et aliquot dissertationes epistolicas de quibusdam locis, præsertim Geographicis, ad calcem secundi tomi Liviani attexuit, in quibus nonnulla sunt felicissimæ audaciæ, et quæ faciant ad illustrandum interpretandumque Livium. Sed qui ad eas legendas se accinxerit, ei *animis opus et pectore firmo*. Nam quod supra diximus Gronovii patris orationem haud satis tersam ac perspicuam interdum videri, et reconditioribus locutionibus vocabulisque paulo horridiorem, ludum jocumque paterni styli asperitatem esse dices, præut apud hunc quæ dumeta et senticeta reperies. Audaces, seu potius inverecundæ metaphoræ, et, velut captandæ obscuritatis causa, in allegoriam etiam productæ; salebrosæ locutiones; verba inusitata, inaudita, et remotissimæ sæpe vetustatis veterno inquinata; Græca passim admista Latinis; ex historiis, ex fabulis raptim et obscure indicatis, petita velut ænigmata: hic est orationis ejus cultus, hæc crepundia. Neque enim in illa incidit, sed appetit ultro, et in deliciis habet, et his contexit orationem. Quod ne quis fingere nos, aut certe in majus augere existimet, hic speciminis causa non pigebit inserere primam periodum epistolæ ejus nuncupatoriæ ad illustrissimum episcopum Paderbornensem, Ferdinandum Furstenbergium, quum amantissimo litterarum præsuli dis-

Styli ejus salebrosa scabrities.

sertationes suas epistolicas dicaret. Sic igitur orditur: *Naviculam hanc, in qua meditationum aliquot formas et tirocinii in Tito Livio mei partem oneravi, optimo sidere ituram, et ab omni procella tutam reipublicæ populi Romani oras circumerraturam censui, si in ejus acrostolio Reverendissimæ Celsitudinis tuæ nomen pro parasemo insculperem, et hanc ei Tutelam invocarem.* Cetera ad eamdem normam exacta sunt. Attamen, quemadmodum Virgilius se de Ennii sterquilinio aurum colligere aiebat; ita in his Jac. Gronovii fruticetis, et velut aspero horridoque solo, opimam interdum prædam venari et excipere licet, et exhaurienda in legendis ejus dissertationibus molestia multa utilitate pensatur, ut in nostris notis identidem apparebit.

Artic. III. De Dujatio.

Eodem fere tempore quo apud Batavos prodibat sociatus utriusque Gronovii labor, Parisiis nova quoque Livii editio publice proposita est, adornata a J. Dujatio ad usum Ser. Delphini. Hujus operis universam formam nemo non æquus æstimator laudaverit. Notæ ejusmodi sunt, ut earum auctor, non ea tantum quæ gloriæ sibi, sed et quæ quam plurimis utilitati esse possent, spectavisse videatur; textus ipsius Liviani emendationem, difficiliorum locorum interpretationem, rituum, legum, etc. brevem explicationem, plurima de Geographicis, non pauca ad historiam ipsam pertinentia. Explevit etiam Dujatius ea quæ in ultimis qui exstant Livii libris exciderant. Denique magnum suæ editioni ornamentum adjecit, supplementa in locum librorum Livii deperditorum a J. Freinshemio concinnata, ut integrum Romanæ historiæ corpus a Romulo ad extrema fere principatus Augusti tempora perpetuo tenore perductum lectoris oculis exhiberetur.

Ejus operis universa forma laudabilis.

Ipse, candidi admodum ingenuique pectoris.

Dujatii laudi favemus sane ex animo, non solum patriæ causa, sed et quod ubique ille sese probat candidi animi virum, ingenuique, ac simplicis, nullo fastu, nulla arrogantiæ suspicione, ita mutuantem a ceteris, ut debitam ipsis laudem minime intercipiat; ita eos interdum refellentem, ut nulla in reprehensione insit acerbitas: denique vere Gallicum pectus, et ab omni simulationis, invidiæ, ostentationis labe alienum. Postulat tamen instituti nostri ratio, ut, quid in eo desiderari possit, non dubitemus exponere. Quod ita præstabimus, ut et veritati, et homini consultum velimus.

Clara quidem ejus oratio, sed non incorrupta Latinitas.

In primis etsi clara ejus est, et facilis, et perspicua oratio, non satis tamen sincera est et incorrupta Latinitas; sed multis inquinata vitiis, quæ vernaculum sermonem redolere, et ex eo fluxisse videantur. Initio statim, in nota ad præfationem Livii nona, *æstimata* sumit pro eo quod Latine diceretur *in pretio habita*, et alibi, *principale judicium*, quod Gallice dicimus, *jugement au principal*, et *Camillus renuntiata patria*, et *dignitatis titulus*, et *in genere* pro hoc nostro *en général:* aliaque quamplurima, quæ etsi ipsam interpretationis fidem minime vitiant, tamen et ingrata accidunt iis qui puræ Latinitatis gustum ex limpidis antiquitatis fontibus haurire studuerunt, et aliquid detrahunt ex auctoritate interpretis per imperitiæ suspicionem, aut certe negligentiæ.

L. III. c. 40. not. 6. V. 44. not. 1. VIII. 32. not. 5. VII. 21. not. 3.

In notis multa peccat.

Et sane, quisquis Dujatii notas sedulo perpenderit, facile intelliget eum in multis sæpe negligentius se gessisse, nec vero parem suscepto muneri, aut doctrinæ copiam, aut Latini sermonis intelligentiam attulisse. Itaque et a mente auctoris non raro aberrat interpretatio, et de antiquitatibus disserenti haud facile credendum est. Pauca hic utriusque generis

exempla producemus, non accusatorio animo, non obtrectandi cupidine, sed quia ingenuam semel in judicando libertatem professis silere jam integrum non est.

Libro III. cap. 41. orto inter Appium Decemvirum Valeriumque certamine, narrat Livius ab Decemviro indictum esse Valerio silentium, *et ad Valerium*, inquit, *negantem se privato reticere, lictorem accedere jussit*. Sensus apertus est. Contendebat Valerius Appium anno jam ante abiisse magistratu, ac proinde eum pro privato habebat. Negat igitur se reticere debere ex jussu hominis privati. *Se* referri debet ad Valerium: *privato* est in dandi casu: nihil clarius. Quidnam igitur judicabimus de hac Dujatii nota: Se *ad Appium refer, non ad Valerium: quasi dicat Valerius, ipso Appio privato, non debere silentium ejus nutu servari*. Sensum quidem attigit: vim verborum et Latini sermonis proprietatem prorsus pervertit. Quis enim non videt τὸ *se* referri nullomodo posse ad Appium? Quis autem unquam sic locutus est? *Nego reticere te privato*.

Libro VIII. cap. 23. Samnites postquam questi sunt Fregellas, quæ ab se captæ ex Volscis, et dirutæ fuerant, a Romanis restitutas, coloniamque eo missam esse, hæc adjiciunt: *Eam se contumeliam injuriamque, ni sibi ab iis qui fecerint dematur, ipsos omni vi depulsuros esse*. Quis in tam plano loco putaret posse quemquam offendere? Dujatius nodum in scirpo quærit, et suis se ipse irretit laqueis. *Redundare videtur*, inquit, *vel* ipsos, *vel* se, *nisi unica vox sit* seipsos, *in duas longiore paulo intervallo distracta*. Unica vox, *seipsos!* Nolumus quidquam gravius dicere. Sed qui id in mentem venerit optimo viro, sane miramur. Si quis pro Horatiano illo,

Græca quod ego ipse testa conditum levi, diceret *Græca quod ego testa condidi ipse et levi*, essetne aliquis, quem tam proclivis et plana locutio moraretur, aut qui τὰ *ego ipse*, pro *unica voce* haberet *in duas paulo longiore intervallo distracta?*

Inviti hanc velut censuram agimus: simul veremur, ne exilibus hujusmodi tricis lector defatigetur. Itaque unicum adhuc exemplum apponemus, ex quo intelligi possit, Dujatium in antiquitatis cognitione haud magnopere fuisse versatum. Livius lib. VIII. c. 26. de secundo Q. Publilii Philonis triumpho agens, *Duo singularia hæc*, inquit, *ei viro primum contigere: prorogatio imperii non ante in ullo facta, et eeto honore triumphus.* Hic Livium reprehendit Dujatius: *Hoc*, inquit, *singulare non erat Romæ, ut post administratum honorem quis triumpharet.* Sed, dum Livium erroris arguit, ipse suam vel inscitiam prodit, vel incuriam. Constat enim, ut quod maxime, tum ex Livio, tum ex fastis Capitolinis, neminem ante Publilium triumphasse post actum honorem, sive magistratum; sed omnes qui antea triumphaverant, consules, aut dictatores, aut tribunos militum triumphasse. Cetera quæ ibidem occurrunt de proconsulatu, parum itidem accurata sunt. Sed hæc sufficere videntur de Dujatii notis, eo quidem magis, quod non ea illarum est apud homines fama, ut multis fraudi esse possit quidquid in eis peccatum est.

Supplementa ejus in Livii lacunas, non satis diligenter confecta.

Ex iis quæ diximus conjicere licet, quid de supplementis ab eodem in lacunas ultimorum qui exstant Livii librorum concinnatis judicandum sit. Nimirum optimam voluntatem, et naturalem quamdam ingenii facilitatem defecerunt præsidia doctrinæ, atque etiam otii copia. Ipse in nota ad librum XLI. prima profitetur se ea quæ interciderunt

supplere conaturum, *quoad*, inquit, *per urgentis assidue bibliopolæ festinationem, measque inevitabiles et publicas occupationes licebit*. Futilis et minime accipienda excusatio. Ea nobis adhibenda est adversus litterariam rempublicam reverentia, ut nos ei demerendæ vacuos præbeamus: et quidem in opere ad qualemcunque posteritatis utilitatem comparato facilis est aliquot mensium, imo et annorum, jactura.

Si ita sensisset Dujatius, limatiora procul dubio supplementa illa prodiissent, et digniora quæ in corpus Liviani operis veluti coalescerent. Nunc præter vitiosam orationem, et corruptæ Latinitatis sparsas hinc inde maculas, magna circa res ipsas indiligentia deprehenditur: quædam omissa, quæ inseri par fuerat; quædam arcessita, quæ aliena erant, et ex sequentibus præpostere repetita; ea ipsa quæ temporis ac loci erant, incuriose tractata, et ex scribentis ingenio exornata, amplificata, interpolata: adeo ut quum primo statuissemus supplementa, qualia a Dujatio concinnata fuerant, in nova hac editione intacta repræsentare, appositis tantum notis, quibus emendaremus ea quæ minus accurata viderentur, nobis necesse fuerit desistere ab incepto, novaque supplementa nostro Marte condere, in quibus tamen plurima ex eo mutuari minime religioni duximus.

Unum, ut jam diximus, consultissime fecit Dujatius, quod supplementa Freinshemiana Livio attexuit: egregium opus, et haud scio an omnium quæ in gratiam studiosorum Romanæ historiæ facta sunt, utilissimum; de quo etsi paulo jactantius fortasse, non immerito tamen auctor ipse ita gloriari ausus est, ut sponsione quodammodo quemlibet ex eruditorum numero lacesseret, professus se *neutiquam metuere, ne quis ex his omnibus scriptoribus qui sunt in*

Artic. IV. De supplementis Freinshemianis.

In monito ad lectorem.

hominum manu, aliquid efficiat in hoc genere concinnius, copiosius, verius.

Quo tempore unaquæque pars supplementorum publici juris facta sit.

Unam tantum decadem, eam scilicet quæ secundæ Livianæ vices supplet, vivus videnque in publicum emiserat Freinshemius, Holmiæ, anno MDCXLIX. Biennio post ejus mortem, id est anno MDCLXII. cum eadem illa decade rursum typis excusa, prodierunt in lucem Argentorati et Francofurti etiam alii quinquaginta libri, a libro nimirum sexto et quadragesimo ad quintum et nonagesimum. Denique integrum jam opus Parisiis, accurante Dujatio, cum Livio editum est.

De iisdem supplementis judicium.

Hujus operis ea pars, quam parens ipse in lucem produxit, limatior profecto ceteris esse debet, et magis habere absolutionem quamdam suam et quasi maturitatem. Sed et parum videtur abfuisse, quin extremam imposuerit manum illis quoque quinquaginta libris, qui non multo post ejus mortem publici juris facti sunt: quibus quidem etiam monitum ejus præfixum est, quo ipse lectori hos tradit in manum libros et commendat. Quumque hoc monitum, quale apud Dujatium habetur, notam anni MDCLIV. præferat, videtur jam tum hos libros editurus fuisse Freinshemius, nisi aliqua ei undeunde objecta mora fuisset. Postremi quinque et quadraginta libri, etsi absoluti ab auctore fuerunt, non tamen æque ac ceteri videntur expoliti fuisse.

Sed ubique mirari licet variam et copiosam eruditionem, operosam in colligendis iis quæ sparsim et minutatim apud quamplurimos scriptores disjectæ erant historiæ Romanæ reliquiis diligentiam, in repræsentandis religiosam fidem, in componendis, et suo loco atque ordine tanquam tesserulis in emblemate vermiculato struendis, dexteritatem et so-

lertiam. Stylus, in iis præcipue quæ castigare auctori licuit, facilis, perspicuus, qui nec serpat humi, nec nubes captet; paulo pinguior tamen, et in quo desideres florem quemdam Latinitatis elegantemque munditiam. Narratio dilucida, sententiis monitisque ad informandos mores accommodatis distincta. Quin et orationes ex æmulatione Livii identidem immistæ, quæ J. Clerico ita *disertæ ingeniosæque* visæ sunt, ut affirmare non dubitet, *ad res ipsas quod attinet, ordinemque et perspicuitatem, vix quidquam melius ab ipso Livio fieri potuisse.* Quo judicio quemadmodum plus videtur tribui Freinshemio, quam res et æquitas postulat; ita illud contendimus, nonnullas ex illis concionibus esse ejusmodi, ut iis aliquid præstantius efficere, non vulgaris aut ingenii sit, aut etiam eloquentiæ. In Præf. ad Livium.

Denique sic statuere non verebimur, hæc supplementa pari voluptate fructuque tum ab indoctis, tum a doctis legi posse; ab his, ut quas velut per ingentia locorum spatia dissipatas hinc inde historiæ Romanæ particulas, et quasi concisa minutatim membra, magno labore consectati sunt, ea in unum coagmentata corpus, et sub uno conspectu posita intueantur; ab illis vero, ut plenam ejusdem historiæ notitiam nullo negotio sibi comparare queant, et habere quo referant quæcumque deinde ad hoc idem argumentum pertinentia lecturi sunt.

Digna est viri optime de litteris meriti memoria, quæ ad posteros cum honore propagetur; dignus ipse, cujus et vita, et litterarii labores quam plurimis innotescant: eo quidem magis, quod virtutis amorem, quem prætulit scriptis, moribus quoque præstitit; homo candidi pectoris, et ex iis omnibus, quos ad se Christina Suecorum regina conspicuos eruditio-

Vie de Descartes, l. VII. chap. 15. et 18.

nis laude vocaverat, unus qui magno illi Cartesio ex animo faverit, et inter obtrectantum summo philosopho et viro invidos tumultus, ipse fidelem ei amicitiam et plena benevolentiæ officia exhibuerit. Itaque quum epitaphium ejus, quo tota hominis vita describitur, Dujatius, non indicato tamen auctoris nomine, edendum curaverit, idemque indicem operum ejus omnium confecerit, utrumque hic non pigebit exscribere.

EPITAPHIUM FREINSHEMII.

JOANNES FREINSHEMIUS
Lucem primum aspexit ULMÆ
A. D. XVI. Kal. Decembris
Anno Christiano M. DC. VIII.
Academias invisere cœpit natus annos quindecim:
Maxime vero profecit ARGENTORATI,
Adjutus humanitate, consiliis, exemplo
Viri Optimi, atque Doctissimi,
MATTHIÆ BERNEGGERI.
Inde vocatus a Viro quodam Illustri in GALLIAM,
MICHAELIS MARESCOTTI *usus contubernio,*
Inter Regis Secretarios Interpretes locum tenuit
Anno Christiano M. DC. XXXIV.
Reversus inde ad BERNEGGERUM *suum,*
Ejusque filia ducta A. Ch. M. DC. XXXVII.
Commune cum eo tectum, mensam, Museum,
Bibliothecam, studia prope omnia habuit.
Hinc in SUECIAM *accitus,* UBSALIÆ

Professorem Politices egit, et Eloquentiæ,
Anno Christiano M. DC. XLII.
Donec post quinquennium in Aulam adscitus Regiam
Incomparabilis illius CHRISTINÆ judicio,
Sub Regii Bibliothecarii et Historiographi titulis
A studiis Serenissimæ Reginæ factus est.
Valetudine vero frigidioris cœli impatiente,
In Patriam se recepit Anno M. DC. LI.
Ubi tum Serenissimus ELECTOR
Palatinam instaurans Academiam,
Præsentiam illius operamque desiderare cœpit.
Huic ille vocationi lubens meritoque paruit,
Sed non ante consensum Serenissimæ Reginæ:
Quæ A. M. DC. LV. per GERMANIAM *transiens,*
Consiliariorum numero eum addidit.
Igitur Anno sequenti profectus HEIDELBERGAM,
Serenissimi ELECTORIS *Consiliarius,*
Et novo nostris Academiis exemplo,
PROFESSOR HONORARIUS *constitutus est.*
Adeptus ista sine ambitu,
Functus sine tædio,
Reliquit sine mœrore
HEIDELB. *Ann. M. DC. LX. pr. Kal. Sept.*
Unum memor esse necessarium.

INDEX

OPERUM FREINSHEMII

A DUJATIO CONFECTUS.

LUCUBRATIONES Freinshemii exstant multæ, atque admodum utiles, publici jamdiu juris: quædam sunt typis nondum vulgatæ.

Versantur in hominum manibus,

Panegyricus Gustavi Adolphi Suecorum Regis.

L. Ann. Florus in Capita et Versiculos distinctus, Notisque illustratus.

Supplementa Curtiana, cum ipsius Curtii operis, qua exstat, Fragmentis, variantibus lectionibus, Indice locupletissimo, et Commentario: quod opus Joachimo Vico-Fortio Equiti dicatum prodiit Argentorati apud hæredes Lazari Zetzneri anno 1640.

Notæ in Tacitum.

Paraphrasis Corneliana, qua priores quatuor Libri Annalium Taciti exponuntur.

De S. Rom. Imperii Electorum, et Rom. Ecclesiæ Cardinalium præcedentia.

Supplementorum Livianorum Libri CV.

Syntagma de Vicariatu Palatino: quod prodiit sub nomine Phylœci.

Latent adhuc, ut audio, in eruditi Vormatiensis Advocati Bibliotheca, in quam post Freinshemii obitum emptione transierunt, præter varias in classicos aliquot Scriptores Notas,

Theses de Assessoribus.

Meditationes Politicæ de Officio boni Præsidis.

Carthaginiensia et Numidica, *Achaica,* *Pergamena.*	*seu*	Harum Rerumpublicarum et Regnorum Formæ, Historiæ, Instituta.

Anno 1708. Oxoniæ prodiit nova Livii editio, curis Thomæ Hearnii, non illa quidem apud nos multum celebrata; et quæ se tantummodo commendet ingenti variarum lectionum multitudine, quas magno labore ex aliquot MSS. collegit editor, et suo quasque loco imis paginis subjecit. Ceterum notæ quæ ad illustrandum Livii sensum faciant, paucissimæ: textus ad Gronovianam emendationem exactus. Artic. V. De Th. Hearnii, et J. Clerici editionibus. Hearnius.

Ultimus Livio admovit manum J. Clericus, fœcundus immensorum voluminum parens, qui ingentia Theologiæ, philosophiæ, sacræ profanæque eruditionis, antiquæ et recentis historiæ spatia pervagatus, demum hic quoque aliquid se posse testari voluit. Sed rem molli, ut aiunt, brachio tractavit. Quanquam et textus Livii emendatissimus apud eum est, quippe ex Gronoviano descriptus, et extima operis velut facies concinna admodum et venustula, sive typorum chartæque elegantiam attendas, sive formam voluminis ad eum modum arctatam, ut facile circumferri posset, sive addita singulis paginis adjumenta ad expeditiorem jucundioremque Livii lectionem percommode excogitata, in summa ora eum libri et capitis numero nomina consulum, aut eorum magistratuum a quibus annus nomen accipit, ad latus annos tum ab urbe condita, tum ante Christum natum, et simul perexigua quædam rerum e regione narratarum breviaria. Clericus. Forma illius editionis elegans et venusta.

Notæ paucissimæ sunt: quo in genere etsi libenter hoc ei concedimus, melius committi ut lector Notæ paucissimæ.

Libro X. c. 46. summa argenti ab Papirio consule in triumpho translati sic in omnibus editionibus notatur: *argenti P. M. CCCXXX.* Nemo est qui non videat has notas in hunc modum legendas esse: *argenti pondo mille trecenta triginta:* nec eam habemus de doctissimo viro opinionem, ut hoc ignoratum esse ab eo potius quam raptim et negligenter inspectum arbitremur. Sed ille interpretatus est, *Pecuniæ millia CCCXXX.* Quonam modo eum non remorata est hujus locutionis, *Pecuniæ millia trecenta,* carens omni sensu vitiositas? Nimirum properantem calamum et metuentem lituræ multa subeunt inconcinna, inconsulta, scribenti sæpe parum decora. An aliter se res habere potest, ubi notæ *in decursu editionis natæ, nec diu aut procul quæsitæ* statim extruduntur in publicam lucem? Si diligenter et accurate interpretandi Livii munus haud satis dignum erat, in quod uberrima hominis doctrina impenderetur, at certe dignus orbis litteratus, cui nihil offerretur, nisi factum et limatum.

Præf. Cler. ad Liv.

Qui tam incuriose Livium tractaverit, eum in Freinshemio, ubi longe minus operæ pretium erat, diligentiam adhibuisse frustra sperares. Ipse quidem gloriatur, sese, quum ceteræ supplementorum Freinshemianorum editiones *innumerabilibus mendis scaterent, ex singulis ferme foliis aliquot sphalmata* gravissima *sustulisse.* Quod ut aliqua ex parte verum esse libenter concedimus, ita ex nostris sive notis ad supplementa, sive errorum a nobis correctorum indiculis apparebit, quantum ille laboris et molestiæ secuturis editoribus in repurgandis operis utilissimi deformibus maculis exhauriendum reliquerit.

Supplementa Freinshemiana non plane a Clerico mendis liberata. Ibid.

Idem adjuncta marginibus editionis Parisiensis nomina scriptorum, quorum ex fontibus hortos suos

Freinshemius irrigavit, sibi omittenda arbitratus est. Atque id quidem consilii capere necesse habuit, quum orarum angustiæ, in ea voluminis forma quam elegerat, tantæ nominum multitudini pares omnino non essent. Quod vero contendit, *homines eruditos satis nosse ubi singula inveniantur, ex veterum historicorum lectione*, id nobis, etiamsi *homines eruditos* non ex nostro modulo ac pede metimur, vix ac ne vix quidem persuaserimus. Sunt enim multa, non ex scriptoribus historiarum modo, sed et quibuscunque veterum monumentis, atque etiam ex reconditis interdum abstrusioribusque latebris a Freinshemio eruta, quæ statim cuivis *erudito homini* in promptu futura ac memoriæ occursura haud facile videantur.

Auctorum, quos Freinshemius secutus est, nomina suppressa.

Ibid.

Ex iis quæ in tota hac de editoribus interpretibusque Livii disputatione disseruimus, liquido apparere existimamus, præstantissimum scriptorem adhuc egere amica manu, quæ per omnes ejus operis oras et recessus lectorem circumducat. J. Fr. Gronovius noluit omnia complecti, quum egregie posset. De Jac. Gronovio silemus, qui et paternis institit vestigiis, et pauca de suo contulit. Voluit Dujatius, nec potuit. Et ipse negat voluisse Clericus, nec potuisset fortasse, si maxime voluisset. Hearnius materiam exædificando operi congessit: opus ipsum vix attigit. Audimus novam apud Batavos Livii editionem adornari. Quæ quoniam hactenus ostentata tantum verbis est, necdum in manibus hominum versatur, judicare non possumus, utrum prioribus absolutior futura sit. Ideo nos illud opus, quod ceteri partim imperfectum reliquerant, partim frustra tentaverant, aggredi ausi sumus. Quid spectaverimus, quid voluerimus efficere, quænam fuerit instituti nostri ratio, jam declarandum nobis est.

Eget adhuc bono interprete Livius.

CAPUT TERTIUM.

DE INSTITUTI NOSTRI RATIONE.

Artic. I. De laude debita antiquitatis interpretibus. Interpretandorum veterum scriptorum labor magnæ olim gloriæ fuit.

FUIT tempus illud, quum quidquid fere hominum doctorum erat, in interpretandis emendandisque veterum scriptis omne studium decusque ponerent. Post eam quæ per tot secula toti Europæ incubuerat barbariem, et bonarum artium ignorantiam, pretiosorum illorum doctæ antiquitatis monumentorum luce perfusi, et suavissimo quasi odore recreati eruditi omnes, in ea vehementissimo quodam amoris impetu ferebantur. Una cunctis voluptas, unus labor, una gloria, in iis exponendis ac præsertim ab deformi, qui per tot ætatum incuriam imperitiamque inoleverat, squallore abluendis cum doctrinæ et ingenii laude versari.

Hodie minore in pretio, præumbrante poetarum et oratorum nostratium gloria.

Hodie refrixit admodum res. Jam expoliendis vulgaribus linguis studium impensum est: jam iis conscripta sunt eximia opera et immortalitate digna: nec poetis, oratoribus, historicis veteribus afferre lucem, sed cum iis scribendi laude certare gestimus. Præclare sane. Quid enim proderat impallescere antiquitati, nisi et ad eam adspirare quoque licuisset? aut aliena admirari ingenia, nisi et nostra ipsi exacueremus? Frustra nobis a natura data mens erat, oculique, ac vires, si aliena tantum eruere et expiscari sensa, alienis credere oculis, alieno ductu ingredi necesse semper fuisset.

Sed hinc jam cœpit decrescere pretium interpretibus antiquitatis, et ad ejus æmulos principatus reipublicæ litterariæ merito delatus est: quumque re-

perirentur qui parem veteribus adepti lauream iis assiderent, in inferiore procul dubio consistere gradu debuerunt, qui se veteribus inferiores esse ultro profitebantur, et eorum procul adorare vestigia satis habuerant.

Nec vero intra eum modum res stetit. Nostri homines, postquam suas experti vires, satis sibi placuere, magistros jam suos præmonstratoresque, eximios illos dico antiquitatis scriptores, quibus hoc debebatur, quod sepultus tamdiu et intermortuus litterarum honos tandem revixisset, insectari sustinuere, et illos premendo sese extollere conati sunt. Non omnes quidem, nec ii sane qui ambiguam veteribus palmam faciebant; sed ingeniosissimi tamen homines, et e philosophia toti, quæ quemadmodum salubri modo attemperata, magno et eloquentiæ et poesi ornamento ac præsidio esse potest, ita miras ciet turbas, si ad ejus normam omnia exigantur, et liberrimos poetæ oratorisque impetus et quemdam quasi furoris afflatum, ex severæ argumentationis præscripto frenare quis velit. Horum ducum signa nomenque non pœnitendus sequutus est gregariorum velut militum numerus, qui ab omni plerique doctrina destituti, eos quos vix ac ne vix quidem intelligunt, carpere, vellicare, allatrare sibi laudi esse ducunt; quumque eorum obtrectent gloriæ, quos omnis retro mirata est vetustas, quos mirati sunt ii quoque qui apud nos in omni scribendi genere floruere, tum vero dici non potest, quo contemptu prosequantur eos qui in scrutandis illustrandisque veterum monumentis industriam suam bene locatam existimant: adeo ut ipsum *eruditi* nomen apud eos in contumeliam verterit.

Tum etiam exorta magna obtrectatorum antiquitatis manu.

Ab istorum maledictis vindicare veteres nec hujus

est instituti, et supervacuum videri debet, quum id jam florentissimi et ingenio et doctrina viri egregie præstiterint. Sed ut id tantum, quod proprie nostrum est, tangamus, ipsum interpretandæ antiquitatis munus perutile esse, et in eo non memoriæ solum, quod isti jactitant, sed et ingenii ac judicii laudi locum esse contendimus.

Interpretandæ antiquitatis munus utile est.

Primo quidem, si nocturna diurnaque manu Græca Latinaque exemplaria versanda sunt iis qui laureæ Apollinaris decus ambiunt; (quod nos pro certo sumere non vetabunt rabiosula indoctorum convicia) si sinceræ, nec fuco pigmentisve puerilibus adulteratæ eloquentiæ gustus inde hauriendus est; si illa salubribus monitis ad instituendos mores et incoquendum honesto pectus maxime idoneis fœta et gravida sunt: quis neget utilem esse eorum operam, qui hos omnibus aperire thesauros et explicare satagunt, et speciosa eademque bonæ frugis plenissima miracula facilius intelligenda proponere? Non in tenui labor, etiamsi tenuis futura gloria est.

Respondetur iis qui leviter de gustari veterum libros satis esse contenderent.

Nec quidquam attineat dicere, florem quemdam rerum, qui in summo plerumque hæret, facile colligi posse, quamvis non in intimam illorum auctorum cognitionem descendatur: ac proinde supervacaneam esse interpretis sedulitatem, qui in syllabarum apicibus dimetiendis immoretur, et ignotos rimetur antiquitatis recessus. Nescit omnino, qui accurate scire negligit; aut certe parum ab ignorantia abest levis illa perfunctoriaque extimi velut corticis inspectio; nec tam ditat mentem, quam confidentiam alit, invisaque frontem armat inverecundia. Sed et quum multa etiamnum a multis Latina lingua scribantur, quum tanta sit veterum scriptorum auctoritas, ut eorum verbis sententiisque sua insignire et

distinguere opera plerique ament, sane cavendum est ne aut parum Latinis vocabulis locutionibusque inquinemus orationem, aut sensum ejus auctoris ex quo aliquid mutuati sumus corrumpamus. Quum autem vix cuiquam tantum otii supersit, ut omnia per se unus investigare queat, quonam modo hæc incommoda vitari poterunt, nisi sint qui religiose perpendendi uniuscujusque auctoris, et explanandi si quæ obscura sunt, quæ parum nota illustrandi, curam in se recipiant?

Denique in depromendis ex veteris historiæ penu, quod sane frequentissimi usus est, omnis exempli documentis, errare, labi, ob unius sæpe verbuli, aut nominis alicujus, aut vetusti moris ignorationem, quam turpe, tam proclive est, nisi regat vestigia periti interpretis manus.

Interpretem antiquitatis aliqua gloria manet.

Sed et, quamvis multum jaceat infra laudem ejus qui proprio Marte aliquid condit egregium, operosa interpretis diligentia, sua tamen hunc quoque gloria manet, nec ad provinciam hanc recte procurandam solummodo labore et industria, sed perspicaci interdum ingenio, limatoque judicio opus esse confitendum est. Etenim, ut varios excutere codices et eos inter se conferre, laboriosæ patientiæ est; ut multa legisse, perseverantiæ et assiduitatis; multa fideliter animo continuisse, cujusdam memoriæ felicitatis: ita, qui auctoris mentem in magna sæpe difficultate assecutus sit, qui ipsos scribentis sensus induerit, ut ex eo quem ille intuebatur scopo, ex iis quæ præcedunt sequunturque, ex tota ratiocinatione, colligat quid dici debuerit, qui ex magno variarum lectionum acervo eam quæ ad præsens institutum accommodatissima est, prudenter elegerit, qui denique ex deformatæ nonnunquam scripturæ vestigiis latens ve-

rum eruerit, eum quis dubitet ingenio valuisse? Is profecto non bajuli aut operarii defendit vicem, sed boni judicis, qui, quid solidum crepet, quid mendosum tinniat, interdum ex certis argumentis liquido dignoverit, interdum ex conjecturis sit minime fallacibus sagaciter odoratus. Adeat lector cap. 11. l. IV. Observationum J. Fr. Gronovii, ubi luculentum exemplum occurrit insignis in Livio emendationis ex prodigiosa quæ libros quondam insederat depravatione; et dubitet, num ad illius vulneris sanationem prudentia et ingenio opus fuerit.

Artic. II. Leges interpreti servandæ.

Non igitur sine causa tot olim doctissimi viri hoc interpretandorum antiquorum munus suscepere: et hodie quoque iis qui operam hac in parte litterariæ reipublicæ navare student, gratia habenda est, si modo ad leges quasdam ab ipsa recta ratione hujusmodi operis tractationi positas sese composuerint. Quas quidem quoniam nemo hactenus, quod sciam, describere aggressus est, de iis pauca hoc loco summatim disserere operæ pretium videtur.

Interpreti alicujus scriptoris hic finis propositus est, ut ejus lectio facilior reddatur.

Omnium primum, hic interpreti finis propositus est, hoc spectandum, huc omnia dirigenda, ut auctor ille quem illustrandum sumpsit, expeditius legi jucundiusque possit. Ex hoc uno capite semel percepto cetera omnia ejus officia derivantur.

Ergo stylus sit simplex et perspicuus.

Stylus itaque purus quidem sit et illimis, nec sermonis vitiis sordidus et maculosus, sed subtilis et simplex, nullo fastu, nullo, pene dixerim, cultu, perspicuus, facilis, qui vel mediocriter doctos minime moretur, non abruptus, non archaismis horrens, non reconditioribus et ab usu vulgari remotis vocabulis locutionibusque lectorem impediturus.

Brevitatem sectetur.

Brevitatem quoque consectabitur interpres, si sui loci ordinisque satis meminerit. Ipse enim in suo

opere principem non tenet locum: totus ex auctore suo pendet, a quo nunquam ad se debet avocare lectorem. Quidquid non facit ad scriptorem emendandum illustrandumque, id ab officio interpretis ac munere alienum est. Captet igitur brevitatem: quam tamen in eo positam esse intelligat, non ut quam paucissima, sed ne supervacua dicantur, viteturque pariter vel nimium, vel parum. Frustra enim brevitatem jactaverit, qui necessaria prætermisit. Contra qui emendationem aliquam, loci difficilis interpretationem, legum, institutorum explanationem, argumentis, exemplis firmaverit, is non prolixus habebitur, sed accuratus et diligens; qui lectorem docere cupiat, non frustrari; qui credi sibi non postulet, sed velut coram judice arbitrove disceptet, ut allatis rationum momentis et causa cognita sententia feratur.

Vitet ambitiosam doctrinæ ostentationem.

Sed magna hic adhibenda cautio est, ne, dum futili indulgemus loquacitati, aut inanem eruditionis gloriolam aucupamur, inutiles easdemque fastidiosas nectamus moras: qua culpa vix ulla major in ejusmodi opere admitti potest. Procul ergo verbosas argumentationes et ambitiosam doctrinæ ostentationem relegemus, semperque auctoris nostri premamus vestigia, et ab iis abscedere nefas esse ducamus.

Priorum interpretum errores raro refellat.

Hinc temperandum quoque erit a refellendis priorum interpretum erroribus, nisi periculum sit ne aut magna errantium auctoritas, aut fallacia quidem, sed speciosa tamen et plausibilia argumenta, multis possint imponere. Alioquin ab his concertationibus omnino esse abstinendum videtur. Has quippe minime desiderat utilitas commoditasque lectoris, quam solam intueri debet interpres. Quid prodest

ei qui Livium evolvere cupit, nosse quid in eo interpretando hic aut ille peccaverit? Pascunt hæc malevolentiam sæpe interpretis, qui crescere ex aliis in animo habet; lectorem retardant, vetantque ad destinatum finem recto cursu procedere.

Exemplis ea tueatur quæ affert, sed et paucis, et idoneis.

Exemplis ea tueri, quæ quum alicujus momenti sint, non omnibus statim clara indubitataque videri debeant, perutile esse supra diximus. Sed hic quoque tamen tenendus modus est, nec odiosa eorum turba, ubi unum alterumve satis est, lector onerandus. Hoc non semper effugit doctissimus ille J. Fr. Gronovius, cui quum multiplex lectio, et felicissima memoria, numerosam in singulas prope voces locutionesque eruditionis et observationum supellectilem suppeditarent, in rebus sæpe, aut minutis, aut evidentissimis, ingentem usque et usque in notas congerit exemplorum copiam. In quo hoc etiam incommodi est, quod numerantur interdum ea, non ponderantur; dumque magna illorum cogitur manus, aliena sæpe obtruduntur, nec quidquam ad eam rem de qua agitur pertinentia. Quod ne immerito objicere summo viro videamur, aliquot hic ejus notas, quæ duplici hoc vitio laborant, liberet exscribere, nisi brevitati consultum vellemus. Sufficiat quasdam indicare, velut lib. Livii I. pag. 110. not. 3. et pag. 112. not. 2. l. XXIX. p. 868. n. 3. et l. XXXVIII. p. 498. n. 2. Earum quidem quæ etsi aptis exemplis, sine modo tamen cumulatis redundant, ingens se ubique numerus offert ob oculos. Ergo sobrius sit circa exempla interpres, et in eligendis cautus, ut et pauca apponat, et ea quæ rem proprie tangant.

In iis sæpe non tenet modum Gronovius.

Variæ lectiones a notis plerumque ablegentur.

De variis lectionibus, sive illæ ex antiquis editionibus, sive ex scriptis codicibus depromptæ fuerint; sive illæ planissime mendosæ sint, sive aliquam sani-

tatis speciem præ se ferant, veremur ne doctissimi quique a nobis dissentiant, si eas a notis plerumque ablegandas esse statuerimus. Liceat tamen nobis eas rationes quibus adducti ita censemus, ingenue ac simpliciter exponere.

Ac primo quidem, qui variantes illas lectiones in unum velut fasciculum conjectas ad totius libri calcem attexuere, eorum operam grato animo accipiendam esse non negaverimus, si modo in ea sint cum fide judicioque versati. Hac quippe inita ratione, nec perit ea utilitas quæ ex illis percipi potest, et occurritur fastidio, quum ad eas nemo recurrat, nisi cui libitum fuerit.

Simul collectæ ad totius operis calcem recte apponuntur.

Deinde etiam ubi ex deformatæ, quod sæpe fit, antiquæ scripturæ vestigiis, per sagacem conjecturam vera lectio eruitur, hic quoque concedimus e fide esse interpretis lacinias illas, quibus velut gradibus ad verum perductus est, exhibere lectori, ut dignosci queat, quid vetus scriptura tulerit, quid ingenium emendatoris adstruxerit.

In notis quoque fiat earum mentio ex quibus emendatio aliqua eruitur.

Sed in notas passim infercire denorum pluriumve codicum nomina, et trunca lacerarum vocum membra informesque reliquias subjicere semper oculis, id vero ingrati fastidii plenissimum est, et animosissimo etiam lectori nauseam excitaturum. Intelligunt quid loquar ii qui Gronovium in manus sumpsere. Si quibus minus notus est, legant hanc ejus notam lib. Livii I. c. 18. in hæc verba, *uti tu signa nobis certa adclarassis*, quorum loco olim legebatur, *ut tua signa nobis certa et clara sint*. " *Hærebam*, inquit ille, *am-* " *biguus in Sigonii* acclarassent, *Modii*, uti tu accla- " rassis, *donec e Flor. notatum vidi:* uti tu signa no- " bis certa adclarissis: *et idem, quod voluit Modius,* " *prorsus e suis annotasse Muretum. Vossianus;* uti

Sed si in notas usque et usque ingerantur, nihil fastidiosius.

Hoc tamen fecit Gronovius.

" tu signa nobis certa acclaras sint. *Helm.* uti tu sig-
" na nobis certa ac clara sis. *Chiffl.* uti tu signa
" nobis certa adclarassis. *Rott.* uti tu signa nobis
" certa adclara sis, *sic ut satis appareat fuisse* adcla-
" rassis, *et priorem* s *erasam.* *Gud.* uti tu signa certa
" acclarasis. *Nihil igitur dubitandum ultra, &c.*"

Hæc, qualia multa apud Gronovium ubique occurrunt, injucunda, et invenusta esse, et ejusmodi quæ plurimorum corrugent nares, nemo, opinor, negaverit: atque adeo hoc illis alioquin eximiis notis incommodi accidit, quo nullum gravius esse potest, ut parum legantur; plerique eas tanquam vepribus spinisque obsitum solum fugiant et abhorreant. At si vir doctissimus allata ex Chiffletiano codice germana, quam amplectitur, scriptura, ceteros quoque suos codices solummodo testatus esset eodem alludere, nec deerat emendationi auctoritas, et aberat tædium.

Variæ lectiones ad concinnandum commentarium adhibendæ sunt, absoluto removendæ.

Omnino in hanc coacervandarum variantium lectionum diligentiam id cadere existimamus, quod clarissimus prudentissimusque historiæ Ecclesiasticæ apud nos scriptor, cujus calamus sensu tinctus ipsa semper videtur rectæ rationis dictata reddere, in præfatione eximii operis verissime elegantissimeque disputavit, de minime inserendis in historiam criticis disceptationibus. " Exstructo, inquit, ædificio, et ad culmen per-
" ducto, jam machinæ, tollenones, fulcra, et evectæ in
" altum temporariæ contabulationes tolluntur, quod
" scilicet hæc jam et usum operis impeditura sint, et
" adspectum deformatura." Eadem plane harum discrepantium in variis codicibus lectionum ratio est, quæ ab interprete ad concinnandum commentarium adhibendæ sunt, absoluto removendæ.

Hanc tamen adhuc exceptionem apposuerimus, id

ita servandum, nisi ea mens interpretis fuerit, ut eorum qui postea novam ejusdem scriptoris editionem adornaturi sunt, allevetur labor. Qui enim tale munus suscepturi sunt, iis nunquam nimium cognita et perspecta esse possunt, quæ ad illud pertinent: et quandoquidem duram hanc provinciam cepere, cunctæ illis, quæ ad eam recte administrandam necessariæ sunt, molestiæ devorandæ. Nos quidem mirum in modum illa Gronovii, et post eum Hearnii sedulitate adjutos esse libenti animo profitemur. Sed et tum quoque partitionem quamdam institui magis placeret, ut quæ lectoribus omnibus utilia futura sunt, ea in promptu essent, contextumque ipsum comitarentur; quæ ab iis tantum desiderarentur qui in intimam auctoris cognitionem descendere cupiunt, et omnia vel minutissima consectari, ea alio, puta ad finem voluminis, rejicerentur.

Nisi si quis postfuturis interpretibus subsidium parare velit.

Nunc ergo si quis ex nobis quærat, quid ita Gronovii notas, quas tanti facimus, non hac in editione exhibeamus integras, addituri si quid opus esse visum foret; respondebimus eas, quamvis et doctrina refertissimæ, et in explicanda Livii mente plerumque accuratissimæ, et proinde utilissimæ sint, non tamen ex iis legibus esse concinnatas, ad quas exigi debere nobis videtur interpretis labor. Etenim, præter illa quæ de nimia exemplorum multitudine, de congestis sine modo discrepantibus veterum codicum lectionibus supra observavimus; plurima in iis reperiuntur superflua prorsus et aliena, quædam tractata verbosius, audaciores interdum conjecturæ, falsoque afficta quibusdam Livii locis depravationis suspicio. Itaque, quanquam eas, quales a Gronovio profectæ sunt, hic rursum editas repræsentare, et facilioris operæ erat, et minoris procul dubio aleæ, potior nobis fuit lectoris utilitas, quem vana sæpe ingrataque

Cur Gronovii notas integras hac in editione non repræsentemus.

mora defatigari noluimus. Quid enim attineat, aut ea illi obtrudere, quibus non egeat, quæque adeo respuat et aversetur; aut eum circa longas detinere verborum ambages, in iis rebus quas breviter indicari satis sit; aut vero ea ponere quæ mox evertas ac refellas?

Velut ab ipsis statim initiis, lib. Livii I. cap. 1. in hæc verba, *Ænean . . . in Siciliam delatum: ab Sicilia classe Laurentem agrum tenuisse*, hæc occurrit Gronovii nota: " *Sero positum hic videtur* classe. " *Nam et in Macedoniam* classe *venit, et* classe *in* " *Siciliam est delatus. Augent suspicionem scripti in* " *quibus omnibus fere* classe ad Laurentem, *vel* classe " ac Laurentem. *Vide num fuerit:* ab Sicilia clas- " sem Laurentem agrum tenuisse. *Sic lib. XXI.* " Novem quinqueremes Liparas, octo insulam Vul- " cani tenuerunt. *Lib. XXXII.* Utrum Leucadem " ac sinum Ambracium onerariæ tenuissent. *Lib.* " *XLIV.* Postero die quam Sybota classis tenuit." Patrem deinde excipit filius, et prolixa horribilique disputatione, quam vitandi tædii causa exscribere supersedemus, probare nititur legendum esse, *ab Sicilia errasse, ac Laurentem agrum tenuisse.*

Si quis tamen paulum attenderit, facile animadvertet nihil hic mutatione ulla opus esse, nec sinceram modo esse scripturam, sed sensum perspicuum et expeditum. Quod quidem nos brevi hac notula demonstrasse confidimus, in qua cum levi Gronovianarum conjecturarum mentione, ut eas causa cognita rejectas a nobis esse lector moneretur, quid de ipsa re sentiamus, paucis verbis exponimus. *Ideo observat Livius* Ænean ab Sicilia classe Laurentem agrum tenuisse, *ut indicet eum non ab Sicilia in proxima Italiæ transgressum pedestri deinde itinere ad Laurentem agrum pervenisse, sed recto cursu ab Sicilia ad Laurentis agri littora navibus delatum fuisse. Hunc*

locum vanis conjecturis sollicitant ambo Gronovii. Qui hæc legerit, num tandem aliud quid desideraturus videtur, aut merito conquesturus, quod sibi Gronoviorum notæ non exhibeantur, ex quibus nihil aliud didicisset, nisi eos Livii mentem assecutos non esse?

Editiones cum notis variorum ad lectoris utilitatem parum accommodatæ.

Hæc una nobis satis semper idonea causa visa est, cur in illis, quæ magno labore, magnis impensis, apud Batavos Germanosque curatæ sunt cum notis variorum editionibus, parum utilitati commoditatique lectoris consultum fuisse judicaremus. Quod enim in hoc Livii loco contingeret, si notulæ nostræ Gronoviorum disputationes præmitteremus, id illic sexcenties accidit, ut quinorum senorumve interpretum variæ hallucinationes, et verbosa eademque discordantia inter se commenta prius legenda sint, quam ad veram difficultatis explanationem devenias, brevemque aliquam notam, quæ pauculis verbis rem totam continet, eaque omnia quæ præcessere funditus evertit. Quanto satius erat excerpere ex singulis interpretibus, si quid boni apud eos occurrit; quæ inutilia aut falsa, supprimere; quæ verbosius disceptata, contrahere; sicque et tædio lectoris, et vero etiam tempori parcere?

Satius erat ex singulis interpretibus excerpere quæ utilia sunt, et in unum corpus compingere.

Neque tamen ii sumus, qui priorum interpretum deletam memoriam, aut etiam obscuratam laudem velimus. Non ea nobis mens est, ut illos latronum more spoliemus, sed ut, tanquam a locupletibus amicis, quæ nobis usui possunt esse, cum grata accepti beneficii testificatione mutuemur. Hæc igitur sancta statuatur et inviolata lex, ne quid unquam ab ullo desumatur, quin sua auctori præmonstratorique laus sarta tectaque præstetur, expresso in singula ejus nomine. Deinde etiam multum reipublicæ litterariæ

Expresso semper ejus nomine, cui quidque debeatur.

interesse concedimus, integros illorum commentarios ad posteros transmitti, ut sit quo recurrat laboriosa eruditorum industria, si quando curiosius unamquamque rem scrutari et excutere cupiant. Illud tantum contendimus, si quis nihil aliud quam interpretem se esse velit, et hoc unice spectaverit, ut necessaria ad faciliorem jucundioremque veterum monumentorum lectionem adjumenta subministret, ei non esse coacervandos indigestos illos multiplicis eruditionis thesauros, sed hoc potius faciendum, ut sedulæ apis more huc illuc vagatus libet ex omnibus id quod optimi saporis est, et eximium inde succum conficiat, quo ali mens lectoris cum voluptate aliqua possit, non ad nauseam distendi et onerari.

Artic. III. De nostro in Livium commentario.

Hanc nos viam iniimus, dedimusque operam, si modo id consequi potuimus, ut quidquid non apud Sigonium modo, Gronoviosque, Dujatium, Hearnium, atque etiam Clericum, sed et apud vetustiores interpretes, Rhenanum, Geleniumque, et Glareanum, et Franciscum Modium, etc. reperiretur idoneum ad emendandum, explanandum, illustrandum Livium, id omne huc transfunderetur, allatis semper eorum a quibus juvabamur nominibus, ne quid de cujusquam gloria detractum velle videremur. Sed et ex aliis quoque doctissimis operibus, quibus Romanæ antiquitates ab eruditis viris illustratæ sunt, non pauca mutuati sumus, quæ ad nostrum institutum faciebant. Veteres quoque scriptores, qui idem ac Livius argumentum tractavere, diligenter cum eo contulimus, Dionysium Halicarnasseum, Plutarchum, Appianum, sed Polybium maxime, qui quum sæpe dux nostro fuerit, dici non potest, quam multa unus conferat ad lucem ei afferendam pertinentia.

Eum concinnavimus ex veteribus recentioribusque interpretibus:

Ex aliis quoque doctissimorum virorum operibus:

Ex antiquis scriptoribus.

Præter illa quæ e libris subsidia petebantur, viva

etiam voce, consiliisque ac monitis multum adjuti sumus summi viri, quo auctore et hortatore hoc negotii susceperamus, M. Caroli Rollin, cujus nomen non hominis alicujus magis, quam virtutis doctrinæque proprium videtur; cujus famam in litteris, quæ jamdiu tanta apud nos erat, ut vix posset crescere, mox per omnem late Europam sparsere, et futurorum seculorum æternitati procul dubio commendabunt majora omni laude scripta: quibus in legendis voluptatem, quæ summa est, longe exsuperat utilitas; quæ quum et omni eloquentiæ ornatu splendeant, et simul ingentem doctrinæ ubertatem, simul limatum et ad purissima antiquitatis exemplaria elaboratum gustum præ se ferant, tum vero copia bonæ frugis, informandis ad omnem honestatem moribus idonea, ita gravida et referta sunt, ut nullum unquam opus omnibus quæ virtutem hominibus conciliare possunt lenociniis instructius litteræ protulerint, utque, quum ingenium scribentis maxima fueris admiratione prosecutus, animum et pectus longe acriore amoris et venerationis sensu amplectaris. Talis tantusque moderator, cujus sub disciplina studia olim mea adoleverant, qui mihi semper loco parentis fuit eritque, huic quoque in Livio interpretando labori præfuit. Ille, ut est impetu quodam animi instinctuque in id omne quod honestum est, et ad publicam utilitatem spectat, acer et erectus, per aliquot annos statis diebus domum ad me ventitavit, ut cum quibusdam aliis clarissimis ex Universitate Parisiensi, ac præsertim ex hocce Gymnasio Dormano-Bellovaco magistris Livio recensendo operam impenderet. Quos omnes si commemorare vellem, et meritas cuique impertire laudes, vereor ne in longum protraheretur oratio mea.

Viva etiam voce monitisque adjuti sumus clarissimorum Universitatis Parisiensis professorum.

In primis M. Caroli Rollin.

Sed præterire non possum virum omnibus bonis doctisque flebilem, nobis, dum extremam huic operi manum admovebamus, luctuosa morte ereptum, M. Joannem Heuzet, eruditione, diligentia, indefessa in scrutandis et ad liquidum perducendis rebus patientia memorabilem: qui quidem nostra prædicatione non indiget, quum suæ eum litteræ et aurea opuscula, nimirum selectæ ex veteri Testamento, tum ex profanis scriptoribus historiæ, et breves in Curtium Sallustiumque notulæ, abunde commendent. Ex his ejus scriptis, quæ minime ambitiosus doctrinæ ostentator studiosæ juventutis utilitati devoverat, notum erit omnibus qua ille antiquitatis notitia, quam acri et limato judicio, quam solerti in rebus ordine disponendis prudentia præditus fuerit. Nobis, quibus suavissimo illius convictu frui datum est, etiam perspectus fuit morum ejus candor, et digna litterarum ingenuitate simplicitas, et nullis unquam interturbatæ nubeculis frontis animique serenitas, et in magna gravitate vitæ comitas jucundissima, et obvia votis amicorum sedulitas, et omnes denique virtutes quæ animos hominum devincire possunt, sincera in Deum pietate consecratæ.

M. Joannis Heuzet.

Sed longius nos abripuit acerba amissi talis amici recordatio. Jam ad propositum revertamur, et ad illos doctorum hominum conventus, quos apud me habitos esse memoravi. Ibi totus attente diligenterque Livius perlectus est, et de iis omnibus quæ difficilia occurrebant, itum in consilium: ibi notæ quas ego concinnaveram, ita sedulo expensæ, retractatæ, emendatæ, expolitæ sunt, ut eas consensus omnium non probasse scriptas magis, quam scripsisse videretur. Quid in eis intuiti, quid efficere conati fuerimus, lectori jam sigillatim debemus exponere.

Tria maxime noster spectavit labor, ut contextum Livii quam castigatissimum ederemus; ut difficultates eas quæ in verbis locutionibusve subobscuris, impeditioribus, parum usitatis, positæ erant, explanaremus; ut res ipsas illustraremus. Tria spectavimus in notis.

In contextus emendatione ita hæsimus Gronovio, ut alia adhuc nobis subsidia pararemus, et conquisitis excussisque compluribus Livii codicibus MSS. ipsi quoque in repurgando accuratius Livio aliquod operæ pretium facere conaremur. Juvit hanc nostram voluntatem, imo votis occurrit effusa comitate et benevolentia Clar. Sallerius, bibliothecæ Regiæ custos, qui hunc sibi commissum esse thesaurum intellexit, non, sicut Hesperidum mala torvo illi draconi, ea lege servandum, ut omnes ab eo arceret; sed in eos qui de litteris bene mereri student, pari benignitate et prudentia dispensandum. I°. Contextusemendationem: ad quam adhibuimus aliquot MSS.

Ejus opera ac beneficio copia nobis facta est sex scriptorum codicum, quinque membranaceorum, unius chartacei, quorum plerique Gronovium fugerant. Illorum unus, qui litteris ad optimum modum formatis non spernendam vetustatem arguit, decem primos Livii libros complectitur. Is interdum in notis nostris ad primam decadem appellatur vetustissimus e regiis. Hunc ut non vetustate, ita fortasse bonitate superat, quem passim optimum e regiis vocitamus, primam et tertiam decades continens, ut et alter e Telleriana bibliotheca in regiam translatus, quem ideo Tellerianum aliquoties nominavimus, sed et ætate et pretio longe duobus iis quos primo indicavimus, inferior. Thuanæum quoque, quinque libros, a sexto nempe ad decimum, habentem, in manus sumpsimus, optimæ illum quidem notæ, sed a Gronovio jam excussum. Chartaceus, de-

sinente seculo 14°. scriptus, si de ingenio et fide exscriptoris constaret, aliquo posset in numero haberi. Ipse enim testatur sese ad transcribendum compluribus exemplaribus usum esse: *cum quibus*, inquit, *et ingeniolo parvo admodum nonnihil ad tergendum sordes omnimodas insudavi*. Mallemus eum sane omnia exemplaribus, nihil ingenio credidisse. Demus illi libro, ut aliquod pondus addat ceteris, ubi iis assentitur: per se ipse parum auctoritate valet. Primam decadem integram exhibet.

Præf. ad Liv.

Librum Puteanorum fratrum, *quo nihil de T. Livio nec antiquius*, Gronovio judice, *nec sanctius Europa custodit*, etsi eum diligenter versaverat, et ejus apices omnes religiose persecutus videbatur vir summus, ut immissa jam velut in opimam messem falce, collectisque manipulis, vix pauculas aristas consectandi nobis spes esset, tamen ob unicam venerandi codicis præstantiam magna cura perlegimus. Nec laboris pœnituit, tum quia nonnulla quæ Gronovium, ut in tanta rerum multitudine, fefellerant, non inutilia deprehendimus; tum quia didicimus experiundo, non esse librum, quod fecit Gronovius, ad superstitionem colendum, qui in eximia bonitate insignes tamen nævos inspersos habet. Quod si satis attendisset egregius ille Livii interpres et pene sospitator, non quibusdam locis falsam mendi suspicionem affinxisset, nec etiam salebrosas interdum et abruptas loquendi figuras pro Livianis obtrusisset, et in contextum immisisset. Hæc, quæ probare non præsentis temporis nec loci est, idoneis argumentis demonstrata, ni fallimur, inveniet, qui notas nostras ad tertiam decadem perpenderit.

Debemus quoque humanissimorum virorum qui bibliothecis Sorbonicæ et Victorinæ præsunt benig-

nitati, duo Livii exemplaria: quorum Sorbonicum, quod primos decem libros complectitur, etsi non remotæ vetustatis est, ex optimis certe exscriptum videtur: ita fideliter tenet plerumque, ubi codices in diversa abeunt, bonas verasque lectiones. Victorinum totas tres decadas habet, præter XXXIII^um librum, et finem XL^i, quibus et veterrimæ Livii editiones destituuntur, ut supra observavimus: novitium sane, et assutis sæpe ab audaci aut male sedula manu centonibus aut medicaminibus interstinctum; non spernendum tamen, et quod quibusdam in locis solum veram Livii scripturam servasse videatur. Ita certe judicavimus, tum alibi, tum l. XXIII. c. 30. et XXIV. 25. Cap. I. hujus præf. art. 2.

Adhibuimus quoque ad textus castigationem principes omnium Livianarum editionum, ab Andrea et Campano curatas, utramque e ditissimo regiæ bibliothecæ penu nobis ab eodem, cujus jam impensam in nos, sive potius in litteras promovendas voluntatem laudavimus, Clar. Sallerio commodatam: utramque utilem Livii interpreti. Est tamen unde Campani levior apud nos fiat auctoritas, qui quum aliquot Laur. Vallæ conjecturas adsciscere non dubitaverit, per hunc allitum fucum vero quoque et genuino colori fidem demsit. Tum etiam veteres editos.

Sed et alias quoque non ita fama celebratas, paulo vetustiores tamen editiones inspicere non negleximus: nec sine aliquo fructu. Hoc enim sæpe contingit per eorum incuriam qui novam cujuslibet scriptoris editionem procurandam suscipiunt, ut quæ semel irrepsere menda nunquam eliminentur, sed per complures deinceps editiones, quasi locum eum quem semel possedere usu ceperint, perpetuo tenore propagentur: quin et veteres maculæ novis insuper

cumulantur. Unde fit ut corrupta omnino deformataque exemplaria in manus hominum veniant. Sic quæ occurrunt in Gronoviana editione menda, eadem fere novorum quorumdam accessione aucta in Dujatii, in Tillemonii, in Clerici editionibus exhibentur. Hoc ne nobis quoque usu veniret, antiquiores Gronoviana editiones nobis consulendas esse existimavimus, felicius adhuc fortasse rem gesturi, si plures nancisci et expendere licuisset.

His igitur instructi præsidiis ad Livium accuratius emendandum nos accinximus, non ut certamen nobis adversus Gronovium prava æmulatione sumeremus, cujus sequi vestigia laudi ducimus, quem palam profitemur ubique fere nobis ducem ac facem fuisse. Sed si quæ ille aut tentarat audacius, aut contra per nimiam cautionem incurata reliquerat, quum certa ei et indubitata remedia libri offerrent; si qua denique eum, ut hominem multiplici variarum rerum cogitatione districtum, effugerant, ea ita explere et persanare conati sumus, ut confidamus hunc quem lectori tradimus Livii textum ipso Gronoviano emendatiorem ac defæcatiorem fore. Cujus tamen laudis magna pars ad Gronovium redit, quum ad ea quæ correximus, non illa tantum adhibuerimus quæ nobis parabamus ipsi, sed et optima et plurima quæ subministrabat ille documenta.

Hinc apparet facile nobis futurum fuisse cumulare in notas variantium lectionum sylvam, et diversorum MSS. et editorum nomina. Atque id fortasse magis illis placuisset, quibus reconditiorem, imo horridiorem doctrinam jactantibus nulla est amœnitatis mica. Non hic ea inculcamus quæ jam super illo plerisque legentium permolesto more disseruimus, ubi de notarum concinnatoris officio agebamus. Hoc

unum sufficiat, maluisse nos elegantiorum lectorum limato judicio servire: a quibus ob hæc omissa, si minus laudem nobis, facilem certe veniam paratam esse speramus.

Quin et tantum abfuit, ut illa obscuræ diligentiæ testimonia sine ulla necessitate ostentaremus, ut, si quando illa negligi res omnino non sineret, quidquid subtilioris disputationis esse visum est, id omne a perpetuo commentario nostro excretum rejiceremus in *notas posteriores ad emendationem contextus pertinentes*, quæ ad calcem singulorum voluminum attexentur[a].

Multa nobis contulit quoque Polybius.

Magno quoque nobis usui fuit ad curanda aliquot Livii vulnera Polybius, cujus ea omnia quæ cum scriptore Romano conveniunt, quanta maxima potuimus cura diligentiaque perpendimus, et ad Liviana contulimus. Quam multis in locis, præsertim quartæ et quintæ decadis ab eo adjuti fuerimus, ex notis nostris lector intelliget. Duo hic exempla apponere sufficiat.

Lib. XXXIII. cap. 35. olim edebatur: *Ætolorum principes alii questi sunt, quod non idem erga suam gentem Romanorum animus esset post victoriam, qui in bello fuisset.* Gelenius ex archetypo exemplari reposuit, *interquesti*, verbum rarissimum, et quod fortasse nusquam alibi a quoquam usurpatum reperiatur. Hic præsto est nobis Polybius, quem exscribit hoc loco noster. τῶν μὲν πρᾴως καὶ πολιτικῶς μεμψιμοιρούντων αὐτοῖς. His inspectis, quis dubitet legendum esse apud Livium? *alii leniter questi sunt.*

Alter locus occurrit lib. XXXIX. c. 36. qui quidem mire torsit Gronovium. Ibi Appius legatus Ro-

[a] In hac editione Notæ Posteriores infra contextum majore lectorum commodo subjiciuntur.

manus cum Achæis agens, *ea quæ apud senatum questi erant Lacedæmonii, displicere senatui ostendit. Cædem primum* ad conflictum *factam eorum, qui a Philopœmene ad causam dicendam evocati venissent.* Huic loco hæc subjicitur Gronovii nota. " Locus " corruptissimus. Andreas Romæ, *ad confictum.* An " fuit? *cædem primum contra fidem datam eorum qui a* " *Philopœmene.*" Nobis suboluit in voce *conflictum* latere nomen ejus loci apud quem cædes facta fuisset. Hoc nomen in Polybio quærendum esse judicavimus, reperimusque in Excerpt. legat. 37. eum locum dictum fuisse *Compasium.* Itaque legere debere videmur in Livio: *Cædem primum ad Compasium factam eorum qui a Philopœmene.*

Denique ex conjecturis aliqua emendare conati sumus.

Denique, ubi alia nos præsidia defecerunt, aliquid etiam conjecturis dedimus. Sic lib. VII. c. 8. post narratam Hernicorum cladem, libri omnes sine ulla varietate habent: *Agmenque fugientium ab* signis, *quum præter mœnia eorum infrequentia signa conspecta essent, fusum, ac per agros trepida fuga palatum est.* Glareanus, qui omnes sui ordinis candore vincit, ingenue fatetur hæc se verba non intelligere. Sigonius confidentior, et carpendi Glareani studiosissimus: " Nullum habet vitium hic locus, contra atque cen- " set Glareanus. Sensus est: quum signa Hernico- " rum prope mœnia oppidi conspecta essent deserta " ab suis, agmen eorum qui ab signis fugerant, fu- " sum fugatumque est." Sed nimium facile sibi plaudit Sigonius. Quodnam enim est illud oppidum, præter cujus mœnia infrequentia Hernicorum signa conspecta sunt? Quod quidem ab Livio nominatum fuisse indicat vox *eorum.* Omnino corruptus est hic locus, legendumque *ab Signinis.* Signia est colonia Romana non longe ab Hernicorum finibus, præter

quam quum Hernici fugerent, erupere in eos coloni, et fusos in trepidam fugam egere. Sunt et alia quædam loca, quæ ab aliis vel frustra tentata, vel omnino prætermissa, haud improsperis fortasse conjecturis sanare conati sumus. Sed consultius esse ducimus lectorem ad ipsas notas remittere.

Sed nihil in contextum admisimus, quod non aut libris MSS. aut primis editis niteretur.

Illud testandum existimamus, nunquam nos tantum conjecturis nostris tribuisse, ut eas in contextum immitteremus, nisi illas aut scriptorum codicum, aut priscorum editorum firmaret auctoritas. Magna sane ingenia, et non injusta sui fiducia subnixa, veterum scriptis pro suis licenter abutantur, et ea sus deque vertant, et, quidquid collibitum animo fuerit, pro imperio recidi jubeant, immutari, ablegari, innovari: quod non ita pridem doctissimi duo et ingeniosissimi viri, alter apud Anglos, alter etiam animosior apud nos, in Horatio ausi sunt. Nobis non licet esse tam fortibus ac strenuis, quos tenuis doctrinæ et ingenii vena prohibet altos concipere spiritus, et a severiorum legum præscripto discedere. Neque enim ignoramus, quas antiquis scriptoribus labes asperserit, quæ inusserit stigmata, hæc emendandi prurigo; nec minus postea operæ ponendum fuisse in revocandis ad sanitatem iis quæ criticorum audacia, quam quæ librariorum imperitia peccaverat. Itaque hanc nobis legem sanximus, ea nostra fuit in tractando Livii contextu religio, ut non nostras solum, sed et ceterorum conjecturas ab eo removeremus; nisi eas forte, quæ quum et verisimiles sint, et jamdiu Livium insedissent, eliminari non poterant, quin nostra nimium a ceteris discreparet editio. Sed tum quoque lectorem in notis admonuimus, conjecturam ei, non certam Livii manum exhiberi.

Nec piguit levioribus quoque dictu rebus, sed

quæ tamen ad commoditatem lectoris aliquatenus pertineat, curam impendere. Itaque et interpunctioni, ubi illa vitiosa erat, emendandæ sedulo invigilavimus, quæ quidem per se sola tantum valet, ut claritatem interdum perspicuitatemque iis reddat, quæ alioquin obscurissima videbantur: et circa eam quam vocant Orthographiam, Gronovium fere secuti sumus, qui minimum a vulgata recedit: et majusculas, ut loquuntur, litteras solis hominum locorumve, non munerum, aut honorum nominibus apposuimus: et neglectos jam a plerisque accentus ita revocavimus, ut nec densa eorum velut sylva oculi legentium impedirentur, et ex iis tamen aliqua ad sensum facilius celeriusque assequendum utilitas capi posset. Denique etiam aliquid operæ impertiendum fuit distinctionibus capitum aptias interdum collocandis, circa quas ea fuerat quibusdam in locis editorum negligentia, ut iis non tantum unius facti narratio, sed media quoque periodus abrumperetur, velut lib. V. c. 25. Atque in iis quidem quæ ad contextum ipsum pertinent, hæc sunt quæ intueri et pro viribus præstare nostri officii erat.

Animum quoque advertimus ad interpunctionem, accentus, &c.

Diximus id nobis secundo loco propositum fuisse, ut explanaremus ea quæ in verbis locutionibusve paulo impeditiora viderentur. Qua in re hic nos sollicitos habuit metus, ne in diversas plane reprehensiones incurreremus, et in ejusmodi notis vel nimium offenderet, vel parum: si multæ, ne docti inutili se mora retardatos; si paucæ, ne minus exercitati neglectos se esse quererentur. Et quidem in hoc negotio fieri omnino non posse existimamus, ut quis ad omnium se voluntates accommodet, omnibus satisfaciat. Etenim non pro doctrinæ solum, sed et pro ingeniorum varietate, quæ infinita est,

II°. loco id nobis propositum fuit in notis, ut difficultates in verbis locutionibusque positas explanaremus.

unus atque idem locus his subobscurus videbitur, et non indignum vindice habere nodum, illis perspicuus, et in quo illustrando operam ponere supervacaneum sit. Quin et idem sæpe lector diversis temporibus, prout hac vel illa cogitatione præoccupata mens ad rem inspiciendam accesserit, prout, dum eam inspicit, in hanc illamve partem conjecerit oculos, in iisdem verbis modo hærebit anceps, modo facilia omnia et expedita reperiet. Igitur, ne omnino tamen incerti fluctuaremus, eo decurrendum fuit, ut omnia et sola loca brevi interpretatione explicaremus, quæ aut nobis ipsis aliquid molestiæ exhibuerant, aut doctissimis illis viris, quibus nos ducibus et monitoribus usi sumus, videbantur nonnihil habere difficultatis, aut denique in quibus lapsi fuerant alicujus nominis interpretes. Hoc nobis tutissimum visum est: quod ita probabit æquus lector, si cogitaverit, vix aliter aliquid certi statui potuisse, quod sequeremur; nec tam consilio nos, quam necessitate ad hanc ineundam rationem impulsos fuisse.

III°. loco, ut res ipsas illustraremus. Quarum quinque sunt genera.

Quod spectat ad rerum a Livio tractatarum illustrationem, hoc enim tertium est in quo versari debeat interpretis industria, eas in quinque genera distribui posse credimus. 1°. historiam ipsam, et rerum gestarum narrationem. 2°. leges, ritus, magistratuum jura, et alia hujusmodi. 3°. pondera, mensuras, pecuniam. 4°. Geographica. 5°. Chronologica. De his omnibus qui fuse disputare in notis vellet, ei in immensum crescerет labor, et multis partibus Livium exsuperatura mole volumina conficienda essent, inque immanis commentarii vasto gurgite apparerent rari nantes, et vix in summis paginis, tanquam tabulis, hærentes ipsius scriptoris versus: laboriosum interpreti opus, fastidiosum lectori, quod nimia inter-

dum eruditio parit, seu potius inanis et intempestiva eruditionis ostentatio. Magnopere ergo cavimus, ne tali farragine defatigaremus lectorem.

1°. Historia ipsa. Quæ omisit Livius, breviter, uti licuit, explevimus.

In historia, etsi primorum maxime temporum, ut supra diximus, narrationem nimium in breve spatium coarctavit Livius, et uberrima se explendi ea quæ ille prætermiserat ex Dionysio Plutarchoque materia ostendebat, satis habuimus ea quæ necessaria omnino erant, et breviter tractari poterant, in notis exponere: de ceteris, si levia erant, siluimus; si alicujus momenti, remisimus ad ipsos fontes. Non eadem ratio nobis esse visa est eorum, in quibus Livium a vero paulisper abduxerat, vel incuria, vel nimius in patriam amor. Hæc enim omnia, ubicumque deprehendimus, arguenda esse judicavimus: nec quidquam aut utilius, aut jucundius cordato lectori in notis nostris occurret, quam ea quæ emendandæ, refellendæ interdum Livianæ narrationis causa, in quarta maxime quintaque decadibus ex Polybio attulimus.

Quæ parum vera interdum memoravit, arguimus.

2°. Ritus, leges, &c. quod argumentum sobrie tractavimus.

Quæ pertinent ad ritus, leges, instituta militaria, sacra, sacerdotia, magistratus, sobrie quoque tractavimus, ne aut desiderarentur ea quæ ad Livium intelligendum necessaria esse possent, aut supervacua sine modo ingererentur. Itaque id quod maxime rem unamquamque continebat, quam brevissime licuit, attigimus: pleniorem hujusmodi rerum cognitionem studiosis large suppeditabunt immensæ et numero, et mole, doctissimorum hominum disputationes.

3°. Pondera, pecunia, mensuræ.

In ponderibus, pecunia, mensuris, ad eorum, quæ apud nos sunt in usu, rationem exigendis non perfunctoriam operam adhibuimus, ut hæc omnia, quæ qui prorsus ignoraverit, hospes et peregrinus in

magna historiæ parte futurus est, et vacuos sensu pro rebus sonos sæpe captaturus, diligenter in notis nostris, non ambitiose tamen, explicarentur. Itaque nudam hujusmodi rerum æstimationem notæ exhibebunt. Momenta rationum, quibus illa nititur, et totam subducendi calculi viam, operosum argumentum, et quod nec perstringi omnino breviter debeat, nec fuse hic explicari satis commode possit, seorsim exponemus peculiari disputatione, quæ huic præfationi subjungetur.

4°. Geographica.

Geographica illustrare quin utilissimæ operæ sit, nemo sane dubitabit, qui meminerit eam esse vel præcipuam historiæ facem, plane necessariam, si quis distinctas rerum gestarum imagines capere animo velit. Illa dubitatio fuit, utrum chartas Geographicas insculpendas curaremus, quæ nostram Livii editionem comitarentur, an ea quæ ad Geographiam pertinent verbis explicare satis haberemus. Prius illud consilium multis fortasse arrideret, idque ab aliquot annis in plurimis jam libris factitatum esse non ignoramus. Sed in Livio veriti sumus, ne cum haud exigua sumptus accessione exigua tamen ad emptores rediret utilitas. Etenim manibus omnium teruntur tabulæ Geographicæ earum regionum quas historia Liviana complectitur, a doctissimis viris magna cura elaboratæ. Itaque actum agere videretur, qui ex illis vulgatissimis tabulis expressas tabulas Livio subjungeret.

Cur chartas Geographicas nostræ editioni non adjunxerimus.

Sed neque notas nostras Geographicas in ipsum commentarii corpus intexere consultum esse duximus, ne multitudine notarum onerarentur et impedirentur paginæ; ne sæpe lectorem, dum is alicujus nodi qui eum male habet solutionem quærit in notis, occurrens oculis Geographica disceptatio frustrare-

Cur notas Geographicas in ipsum commentarii corpus non inserueri-mus.

tur et cum tædio moraretur; ne in iis urbibus, locis, regionibus, quæ aliquoties a Livio appellantur, dubitaret sæpe lector ubinam de iis egissemus. Satius esse ducimus indicem Geographicum[b] conficere, ad calcem totius operis rejiciendum, in quo ea omnia quæ ad Geographiam spectant ex ordine litterarum digesta reperiantur.

Index Geographicus ad calcem operis rejectus.

5°. Chronologica.

Deniqueetiam ad Chronologica animum adjecimus, rati, id quod res est, orbam esse altero velut lumine historiam, nisi descriptionem locorum comitetur descripta accurate temporum ratio. Sed difficiles et morosas disquisitiones, quarum hæc potissimum ars feracissima est, tanquam ab instituto nostro plane alienas, vitavimus. Etenim ex Livio ipso expedita plerumque res est, qui in annos et consules narrationem suam digessit. Et tota difficultas, omnisque doctorum dissensio per septingentorum et quinquaginta annorum spatium, in duobus, tribusve summum annis, versatur: quod discrimen ut ab iis qui rem ex professo tractant, negligi sane non debet, ita nobis in hujusmodi opere haud magni esse momenti visum est. Itaque relegatis ambagibus, eruditissimum et accuratissimum virum Henr. Dodwellum auctorem secuti sumus, atque ad ejus mentem, et ex Clerici exemplo, qui sibi eumdem ducem fuisse profitetur, summis paginis annos ab urbe condita et ante Christum natum præfiximus. In notis, si quæ Livii loca circa temporum rationem impeditiora essent, aut parum accurata, ea vel explicare, vel emendare, quam brevissime et planissime licuit, conati sumus.

Difficiles et operosæ disquisitiones vitatæ.

Anni ab urbe condita et ante Christum in summis paginis notati.

Hanc igitur operam Livio ipsi præstitimus, tum in emendando contextu, tum in explicandis iis quæ

[b] Indicem Geographicum non absolvit Crevierius.

aliquid obscuritatis habere viderentur, sive in verbis obscuritas illa, sive in rebus posita esset.

Epitomæ non indignæ erant, quibus aliquid curæ impenderetur. Primus eas notis illustravit Sigonius. Postea Gronovius easdem ex aliquot MSS. accuratius repurgavit. Quod uterque attulerat, studiose pro more nostro perpendimus. Epitomas ipsas, sive cum Livio, sive cum ceteris historicis diligenter contulimus: adeo ut confidamus eas hodie emendatiores, quam unquam antea, prodire. Epitomis aliquid curæ datum.

Hoc fine etsi noster fortasse poterat terminari labor, tamen, post Dujatii et Clerici exempla, imperfectum jam relinqui opus judicaretur, nisi pretiosas Livii reliquias, luctuosorum quæ eximio scriptori invida vetustas intulit damnorum supplementa comitarentur. Ad ea itaque, adhortantibus amicis, Romanæ historiæ studiosis viris, et incitante nostra quoque demerendæ pro viribus reipublicæ litterariæ voluntate, animum adjecimus[c]. Artic. IV. De nostro in supplementa Liviana labore.

Ac de expletis quidem nostra opera lacunis librorum XLI. XLIII. XLIV. XLV. nihil est quod addamus ad ea quæ supra monuimus, c. II. hujus præf. art. 3. nisi hoc tantum, nos ex imitatione Clerici ipsi narrationi Livianæ supplementa nostra intexuisse, ut uno tenore totam historiæ seriem lectoris oculus perlustrare posset, nec necesse haberet ultro citroque cursare, et a medio volumine ad calcem, mox a calce voluminis ad ipsum corpus se referre, concisæ membratim narrationis velut frusta consectans. Ea uncis inclusimus, atque hac nota (suppl.) in margine exteriore, et, si ad summam paginam Expletæ a nobis lacunæ ultimorum Livii librorum.

[c] Supplementa in hac editione omittuntur.

pertingant, superius quoque apposita insignivimus, ut ab ipsius Livii verbis distinguerentur; iisdem tamen servatis typorum formis, ne varietate majorum minorumque litterarum sibi invicem permistarum periret primi aspectus decor, et nitida quædam, cui consulere juvit, blandientis frontis elegantia. Secus egimus in supplementis Freinshemianis, quæ quum ab Livio sejuncta omnino sint, liberam nobis reliquerunt discriminis in formis typographicis servandi potestatem. Quid circa illa præstiterimus, dicendum jam nobis est.

Supplementa Freinshemiana à nobis recognita.

Supplementorum Freinshemianorum novam et accuratam editionem, quod Th. Hearnius in præfatione ad Livium *opus* esse *spissæ diligentiæ* judicabat, id nimium experti sensimus: nec semel nos pœnituit conaminis animosius quam caute suscepti, cujus graves molestias vix ipsa, quæ magna est, satis digne pensaret utilitas.

Duo nobis præstanda erant, ut et ipsum opus recognosceremus, et testimonia auctorum, quorum ex membris suæ historiæ corpus coagmentavit Freinshemius, restituenda et apte collocanda curaremus.

Primus ille labor, qui major et operosior videri poterat, longe leviorem nobis molestiam exhibuit, ob singularem, quam meritis jam laudibus tulimus, scriptoris diligentiam. Si quæ tamen fuere, quæ ille aut negligentius, ut fit, tractasse, aut, quum alicujus momenti essent, inconsulte prætermisisse, aut etiam humano errore lapsus non satis accurata fide expressisse, et paulum a vero detorsisse videretur, ea in notis arguenda et emendanda duximus: nec indignum existimavimus Freinshemium, cui hanc opem adhiberemus; imo dignum lectorem, cui ad verum

In quibusdam emendata.

et genuinum nitorem expressa, abstersis, quantum fieri posset, maculis omnibus, historiæ Romanæ effigies exhiberetur.

Ipsum tamen Freinshemiani operis textum nostris castigationibus refingere, et in aliena tantum nobis juris arrogare, non nostri pudoris erat: nisi quod bis, vel summum ter, ubi ita perspicuus erat error, ut nullo colore defendi, ita molestus, ut nullo tolerari modo posset, in contextum id immisimus, quod auctor ipse, si potuisset admoneri, scriptum voluisset. Sed tum quoque lectorem edocuimus in notis, quid licentiæ sumeremus. Præterea omissam, profecto per oblivionem scribentis, libro CXXII. rem admodum claram et illustrem, nempe Hortensiæ pro matronis ad Tresviros querelam, suo loco inseruimus. Appositis plerumque notis.

In ceteris eam fidem præstitimus, ut menda quoque illa quæ ab operis aut profecta erant, aut proficisci potuisse videbantur, si ea in omnibus editionibus reperirentur, non sustinuerimus ita eliminare pro imperio, ut nullam omnino eorum mentionem faceremus. Indiculos confecimus, in quibus vitiosæ illæ lectiones et emendationes nostræ exadversum collocatæ exhiberentur: non per puerilem et irridendam superiorum editionum obtrectationem, sed quia fidem vel superstitiose vereri maluimus, quam videri ulla in re parum diligenter coluisse. Et mendorum quoque typographicorum indiculis.

Scriptorum in ora editionis Parisiensis allegatorum testimonia quam misere ibi tractata sint, credat lector Clerico, qui hanc sibi non minimam causam, cur illa omitteret, fuisse profitetur. *Tot*, inquit, *sunt menda in scriptorum nominibus, in libris, capitibusve, quæ indicantur, et adeo alieno loco sæpe adposita fuerunt, ut omnia ad sua loca referre,* Testimonia auctorum ab erroribus innumerabilibus repurgata. Præf. ad Liv.

et quærere non pateretur otii nostri ratio. Hoc tamen Augiæ stabulum purgandum aggressi sumus: ingratum supra quam dici possit laborem, et fastidii plenissimum, et ad operarios bajulosque relegandum. Quot ibi fixæ nobis cruces! quot molestiæ devorandæ! Fecimus tamen, quantum licuit per immanem rei difficultatem: nec otium nostrum, quod nullum est, sed bonas sæpe et diu horas contrivimus in uno aut altero verbulo undeunde investigando, in captandis obscura admodum divinatione vel scriptorum nominibus, vel librorum numeris, miserandum in modum deformatis, truncatis: mutilata absolvimus, depravata correximus, luxata et male collocata e tertia interdum ante postve pagina in locum suum revocavimus, quædam etiam omnino omissa addidimus, ut ubique, si fieri posset, sua rebus in contextu operis memoratis constaret auctoritas: cui adstruendæ si quando scriptores Freinshemio juniores idonei erant, eos citare testes non veriti sumus.

Si quid in ærumnoso illo labore nos fugit, ignoscendum.

Quod in ejusmodi negotio non omnia ad eam absolutionem perducta sunt, ut nihil omnino desiderari queat, facile condonabit æquus lector. In meliorem certe nitidioremque multo formam redactum esse facile ipso intuitu deprehendet, quisquis hanc editionem cum Dujatiana contulerit. Quin et ea quæ requiri possunt, non ita multa, et parva plerumque sunt: confidimusque hanc jam utilitatem, quam spectavit Freinshemius, ex ejus opere percommode capi posse, ut cum cognitione rerum adsit expedita ad fontes recurrendi facultas.

Cur nulli additi sint asterisci, qui remitterent ad auctorum nomina.

Erunt fortasse quibus placuisset insigniri insertis in ipsum operis corpus asteriscis, vel numeris, vel litteris, locos eos ad quos referenda sunt scriptorum in margine allegatorum nomina. Quibus si hoc pri-

mum respondeamus, nos discedere noluisse ab ipsius auctoris exemplo et mente, qui secundæ decadis supplementa nullis talibus notis distinctane dicam an confusa ipse ediderit, non videmus qui id nobis vitio verti possit. Sed et, si quaque in re id quod præcipuum est intueri maxime decet eique servire, nemo sane dubitabit quin textus potissima nobis cura esse debuerit: cui tamen tanta sæpe intermiscenda fuerat hujusmodi notarum multitudo et varietas, ut iis tota jam ejus facies asperata et horrens omnem esset nitorem amissura. Fatigant hæc et remorantur intentionem legentis, et deditam rebus mentem alio avocant. Denique doctos viros, quos fere hoc probationum et testimoniorum studium tangit, collata cum rebus auctorum nomina facile ad fontes ducent, etiamsi non in ipsos digitus intendatur.

Finem tandem huic præfationi imponamus, postquam tamen professi fuerimus, nos in notandis sive Livii, sive interpretum ejus et editorum erroribus, et levibus etiam interdum nævis, ut magna libertate, sic nullo livore, nulla maledicendi prurigine, versatos esse, sed uni veritati litasse. Cujus quidem tam sancta sunt apud nos jura, ut eam, si quando nos quoque arguet et damnabit, summo simus gaudio et obvia gratulatione amplexuri. Conclusio.

Fieri omnino non potest, ut in tanto ac tam multiplici opere, cui magno animo incubuimus quidem, sed variis distracto curis, quas laboriosissimum apud nos publicæ professionis munus *per caput et circa latus salientes* undique advocat, non multa nos fefellerint, multi nobis exciderint errores, sive imprudentibus, sive per meram rerum ignorantiam. Quos adeo non moleste feremus nobis exhiberi, ut contra suppliciter oremus eos quicunque nostrum hunc la- Quæ peccavimus, moneri cupimus.

borem in manus sumpserint, ne graventur suas nobis animadversiones impertire. Non modo gratiam illis habituri sumus, sed et, quoniam hoc nostrum consilium est, ut non universum opus simul, sed carptim per partes emittamus, in sequentibus semper voluminibus ea quæ in prioribus peccata fuerint, corrigenda monebimus.

Emendaturi, ut licuerit.

Faxit Deus O. M. cujus ad laudem omnia referri fas est, ut, quas litteris impendimus curas, iis non animus inquies tantummodo pasci amet; sed ita in humanis disciplinis immoremur, ut iis tanquam gradibus ad divina attingenda enitamur.

DISPUTATIO BREVIS

DE PONDERIBUS, PECUNIA, MENSURIS

A LIVIO IDENTIDEM MEMORATIS.

IMMENSA exstant de ponderibus, pecunia, mensuris apud veteres usitatis volumina: et, qui rem universam complecti disserendo velit, latissimus ei subjicietur explicandæ doctrinæ campus. Nos eam delibabimus tantum, et quatenus illa ad intelligendum Livium necessaria est.

Atque, ut a ponderibus incipiamus, caput rei totius, et certissimam ejus expediendæ viam aperuit vir magni in Philosophia nominis, nec minus eruditione multiplici clarus, Petrus Gassendus. Hic, quum impetratus esset a Peireskio illo, quem vere dixerimus litterarum et litteratorum nutriculam, modulus[a] accurate expressus ex congio, qui hodie in ædibus Farnesianis Romæ asservatur, positus olim in Capitolio Vespasiani temporibus, tanquam forma et exemplar omnium congiorum, non dubitavit quin certo exploraturus esset Romanæ libræ pondus. Quum enim constet, ut infra dicemus, congium decem pondo vini, vel aquæ, (idem enim ferme utriusque liquoris pondus est) fuisse, hic idem congius, si vino, vel aqua plenus ponderibus nostratibus appendatur, necessario daturus est verum librarum Romanæ nostratisque discrimen.

De ponderibus.

Gassend. de vita Peireskii, l. II.

Sed hac in re magnus primo versatus est error, quem nobis ingeniose deprehendisse, et, eruto ex ambagibus obscuræ vetustatis vero, feliciter correxisse visus est clarissimus Labarreus, e Regia inscriptionum et litterarum Academia, edita super hoc negotio doctissima disputatione, Tom. VIII. Commentariorum Academicorum, p. 372.

Nimirum, quum congius Farnesianus inscriptas præferat has notas *P. X.* id est, *pondo decem*, et præterea constet ex Festo lege sancitum esse, ut *congius vini decem pondo siet*, idemque doceat vetus scriptor Fannius; quod primo venit in mentem, id omnes statim pro certo arripuere, decem libras pondo vini contineri congio, sive centum et viginti uncias pondo: duodecim enim unciis libra Romana censebatur. Nec cuiquam facile suspicio oriretur, rem aliter se habere potuisse. Id ta-

Congius vini decem pondo.

Super ea re error.

[a] Hunc modulum e congio Farnesiano expressum possidet Bibliotheca Sangenovefiana Parisiis.

men falsum esse evidenter probatur invictis veterum testimoniis. Atque hoc non minimum documentum esse potest, quam non temere primæ rerum fronti credendum sit, quamque facile sub dolosa veri specie fallere queat occultus error, cæcisque insidiis securas mentes subiturus. Sed ut illum arguere quis possit, prius quædam observanda sunt. Ducem sequemur eruditissimum virum, quem modo honoris causa nominavimus.

Duæ apud Rom. libræ, libra mensoria, et libra pondo.

1°. Duæ apud Romanos libræ in usu fuere, liquidorum altera, altera aridorum; illa præsertim ad molem[b], hæc ad pondus rerum definiendum usurpata. Illam appellabimus libram mensoriam, hanc libram pondo. Utraque in duodecim uncias dividebatur: utriusque unciæ in octo drachmas[c]. Hoc discrimen librarum quum ex Fannio clare adstruitur, tum præcipue ex Galeno, qui passim distinguit λίτραν μετρικὴν, et λίτραν ϛαθμικὴν, imo et eas inter se comparavit, ut modo exponemus.

Ex libra mensoria, non solum moles, sed et pondus liquoris noscebatur.

2°. Quum diversum sit diversorum liquorum pondus, vas idem eo majorem vim hujus illiusve liquoris capiet, quo hic illo gravior erit. Itaque mensura ejusmodi, ex qua sola liquoris in ea contenti moles, non etiam pondus, cognosceretur, facile posset in errorem inducere. Utrumque præstabat libra mensoria: atque hinc recte et *libra* dicebatur, quod illa pondus liquorum cognoscendum dabat, et *mensoria libra*, quod illud pondus exprimebat per rationem ad vas quoddam definitum, quo certi cujusdam liquoris certum pondus continebatur.

Oleum, proprius libræ mensoriæ liquor.

3°. Ob eamdem illam ponderis pro liquorum varietate varietatem, unum aliquem liquorem eligi oportuit, cujus in libra mensoria contenti cognitum semel pondus usui esset ad definienda ceterorum liquorum, quos illa libra metiretur, pondera. Vinum et aqua eo commodius viderentur eligenda fuisse, quod eorum et maximus est usus, et par fere in pari mole pondus. At Romanis oleum magis placuit, et libram mensoriam oleo plenam voluerunt normam esse ceteris liquoribus æstimandis propositam. Hince sæpe Galenus nominat τὴν τοῦ ἐλαίου καλουμένην λίτραν, et μέτρον ᾧ τὸ ἔλαιον μετροῦσι. Idem colligitur et ex Fannio.

Libræ olei mensoriæ ratio ad libram pondo.

4°. Pondus olei libra mensoria contenti se habebat ad libram pondo, ut 10. ad 12. Hoc diserte docet Galenus, qui a se diligenter exploratum esse affirmat libralis mensuræ oleo plenæ pondus, et duodecim uncias mensorias olei inventas esse pares decem unciis pondo. Nec minus clare id probant Galeni et Fannii collata inter se de cyatho testimonia. Galeno auctore

[b] *Molem* tota hac in disputatione intelligimus, non quam Physici dicunt *massam*, sed amplitudinem, magnitudinem, id denique quod Gallice dicimus *le volume d'un corps*.

[c] *Drachma* Græcum ab origine nomen est, sed quod ex assiduo Græcorum cum Romanis commercio, in pervulgatum usum apud Romanos transierit.

cyathus capiebat duodecim olei drachmas: eumdem cyathum æstimat decem drachmis pondo Fannius.

5°. Jam igitur si cognoscatur ratio ponderis olei ad vini in pari utrimque mole pondus, quam *gravitatem specificam* Mechanici appellant, cognoscetur quoque quodnam vini pondus libra mensoria contineatur. Hanc rationem Romani statuerant esse[d] ut 9. ad 10. quæ sane haud multum aberrat a vero, et ad publicum illum et forensem usum commode se habet. Quum ergo libra olei mensoria decem unciis pondo æqualis sit, hæc instituatur proportio: ut 9. quæ est gravitas specifica olei, ad 10. quæ est gravitas specifica vini, ita 10. numerus unciarum pondo libræ olei mensoriæ, ad $11\frac{1}{9}$. qui erit numerus unciarum pondo vini libra mensoria contenti. Pondus vini libra mensoria contentum.

6°. Ut jam ad congium accingamur, constat ex Fannio congium capacem fuisse novem librarum mensoriarum olei. Etenim ille diserte docet sextarium, qui sexta pars est congii, cepisse libram olei cum semisse. Unde clare patet novem libras olei congio contineri. Libras autem illas mensorias fuisse, non libras pondo, ex eo intelligitur, quod idem sextarius, qui a Fannio dicitur capere libram olei cum semisse, sive uncias 18. ex[e] eodem Fannio quindecim unciis pondo æstimandus est. Hæc enim ipsa ratio est libræ mensoriæ oleo plenæ ad libram pondo. Illas libras diximus ad sese invicem ita se habere, ut 12. ad 10. Eodem autem modo se habent 18. ad 15. quo 12. ad 10. Ergo et ubi dicitur sextarius esse quindecim unciarum pondo, intelligendus est oleo plenus; et unciæ decem et octo olei, quæ sextario continentur, sunt unciæ mensoriæ, non unciæ pondo. Ergo congius, qui sex capit sextarios, novem libras mensorias olei capere dicendus est. Congius novem libras mensorias olei capiebat:

Præterea idem Fannius comparans inter se vinum et oleum sextario contenta, eum dicit capacem fuisse olei quidem unciarum 18. vini vero 20. At viginti illæ vini unciæ non possunt esse unciæ pondo. Si quidem ex eodem Fannio sextarius æquat pondere uncias quindecim. Sive autem oleo plenus, sive vino, dicatur par esse quindecim unciis pondo, nunquam dare poterit viginti uncias vini pondo. Ergo unciæ illæ vini viginti, quas capit, non sunt unciæ pondo. Ergo nec 18. olei unciæ, quas idem sextarius continet. Superest igitur, ut unciæ illæ olei 18. sint unciæ mensoriæ.

[d] Apud Galenum Cotyle est unciarum olei 9. vini decem. Apud Dioscoridem et Fannium sextarius capit libram olei cum semisse, sive uncias 18. libram vini cum besse, sive uncias 20. Hæc ratio olei ad vinum non omnino accurate definita est. Pollex enim cubicus olei æquat pondere 331. grana: pollex autem cubicus vini, grana 365. quæ deberet habere $367\frac{7}{9}$, si oleum et vinum ad sese mutuo se haberent, ut 9. ad 10. sed error levissimus est.

[e] Ex Fannio cyathus est decem drachmarum pondo. Cotyle autem capit sex cyathos: sextarius duas cotylas. Ergo sextarius capit duodecim cyathos, ac proinde æquat pondere drachmas centum et viginti, sive quindecim uncias. Octo enim drachmæ, ut jam observavimus, unciam constituunt.

nummariæ ratio. Itaque centum denariis argenteis libram argenti Romanam æstimamus.

Sestertius quarta pars denarii.

Ex eorumdem Budei et Gronovii mente distingui debent sestertius et sestertium. Sestertius nummus fuit argenteus, quarta pars denarii. Libra ergo argenti Romana censenda est quadringentis sestertiis nummis.

Sestertium, mille sestertii nummi.

Sestertium nummus non fuit, sed summa quædam ad conficiendas commodius rationes excogitata, quæ quidem summa par erat mille sestertiis nummis, sive ducentis quinquaginta denariis, sive denique duabus libris Romanis argenti cum dimidia.

Pondera Græca.

Drachma.

Mina.

Talentum.

Pondera Græca usitatissima, sunt drachma, mina, talentum. Drachma Attica ubique in veterum monumentis censetur par denario Romano. Sed centum drachmæ erant in mina Attica. Itaque minam Atticam parem facere debemus libræ Romanæ. Talentum Atticum sexaginta minarum erat, ac proinde par sexaginta libris Romanis.

De Pecunia.

Jam ad pecuniam transeamus, eamque, qualis stante republica fuit, perpendamus. Inferiora tempora nihil ad præsentem disputationem pertinent.

Pecunia triplicis generis apud Romanos fuit, ærea, argentea, aurea.

Æs rude.

Plin. Hist. Nat. l. XXXIII. c. 3.

Æs grave, sive asses librales.

Plut. in Popl.

Plin. ibid.

Primus Romæ signavit æs Servius Tullius. Antea rudi ære, id est, massis quibusdam æreis, non signatis, non unius formæ, non certæ figuræ, usos esse Plinius ex Timæo memorat. Asses a Servio signati fuere librales, et hoc initio fuit illud æs grave[g], de quo toties apud veteres scriptores mentio occurrit, quod appendi non annumerari solebat. Signatum est nota *pecudum*, bove, vel ove, vel sue, unde et *pecunia* appellata. Percussi quoque sunt semisses, et trientes, et quadrantes, ejus ponderis quod nomine ipso indicatur. Hac sola pecunia usi sunt Romani ad Q. sive C. Fabium, Q. Ogulnium consules, quinque annis ante primum Punicum bellum.

Argentum signatum Romæ. Denarii, quinarii, sestertii.

Tum devicto Pyrrho et Tarentinis, quum Romani totam jam Italiam imperio amplecterentur, auctis successu rerum opibus, argentum signari cœptum, denarii, quinarii, sestertii, et placuit denarium pro decem libris æris, sive assibus libralibus ambulare; quinarium, qui postea et victoriatus dictus est, pro quinque; sestertium pro dupondio, sive duobus assibus, et semisse: quod et ipsa nomina testantur. Hinc apparet quanta primis illis temporibus argenti raritas Romæ, et quam immane pretium fuerit. Quum enim centum denarii, ut supra diximus, in libram argenti imputarentur, denarius autem decem libris æris æquipararetur, sequitur singulas argenti libras millenis æris libris primo æstimatas fuisse.

Una libra argenti par mille libris æris.

[g] Vid. appendicem de ære gravi huic disputationi a nobis subjunctam.

Sed non ita multo post mutata res est, et pretium æris auctum, non tam affluentibus divitiis, quam urgente inopia. Bello enim Punico primo, quum impensis respublica non sufficeret, institutum ut asses sextantario pondere ferirentur, manente levioribus his assibus eodem pretio, quod libralibus fuerat. Mutato æreæ monetæ pondere, et mutata nota est. Nota æris tum fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis: in triente vero et quadrante, ratis, unde et *ratiti* interdum dicti sunt, teste Festo.

Asses sextantarii.

Postea Annibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, asses ununciales facti: sed mutata est eorum ad argentum proportio; placuitque denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. Postremo asses semunciales facti, quo tempore, quo ferente legem, incertum: nisi quod latorem legis Papirium vocitatum fuisse constat, quum ipsam legem Plinius Papiriam appellet. Sed tunc tamen servata est eadem quæ a bello Punico secundo invaluerat horum ad argentum ratio.

Asses ununciales.

Asses semunciales.

Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ, et inde bigati quadrigatique dicti.

Aureus nummus post annum secundum et sexagesimum Romæ percussus est, quam argenteus, id est, bello Punico secundo, C. Claudio Nerone, M. Livio II. consulibus: tumque auri proportionem ad argentum quindecuplam fuisse ex Plinio colligitur: sed brevi decupla effecta est ex imitatione Græcorum. Decimo tertio post bellum Annibalicum confectum anno jubentur Ætoli pro decem argenteis unum aureum nummum pendere, ut habet Livius l. XXXVIII. c. 11. sive, ut clarius Polybius, pro decem argenti minis unam auri minam.

Aureus nummus secundo bello Punico signari cœptus.

Auri ad argentum proportio quindecupla primo, brevi postea decupla.

Aureum nummum unius generis, unius formæ apud Romanos fuisse censet Gronovius, atque ideo non reperiri apud scriptores varia aureorum Romanorum, quemadmodum argenteorum, nomina, quia argenteorum tria genera erant, denarius, quinarius, sestertius; aureorum unum.

De Pec. vet. lib. III. c. 15.

Cujus ponderis aureus nummus primo Romæ percussus fuerit, quum quindecupla auri ad argentum proportio in usu erat, non reperimus. Sed illud perbreve, ut modo diximus, intervallum fuit: post quod *placuit*, inquit Plinius, *quadraginta* nummos *signari ex auri libris*. Sic enim legendum esse hunc Plinii locum credimus, ut et habent aliquot MSS. teste Cl. Harduino, quamvis ipse aliam lectionem magis probaverit, et in contextum admiserit. Quum igitur quadraginta aurei ex libris aureis signarentur, si centum denarii in libram imputentur, sequitur aureum nummum duûm denariorum et quinarii pondus æquasse. Atque hoc quidem perbene convenit cum perpetua aurei Romani æstimatione, quem veteres magno consensu viginti quinque denariis argenteis valuisse testantur.

XL. nummi ex auri libra. Plin. ibid.

Aureus Romanus valuit 25. denar.

Si enim servetur decupla auri ad argentum proportio, duo denarii et semis ex auro pares sunt viginti quinque denariis ex argento. Talis ergo fuit aureus Romanus: et, si quando denariorum aureorum mentio in scriptorum Romanorum libris occurrit, eos existimat Gronovius peregrinos esse, et aliunde advectos, non Romæ percussos.

Aureus Atticus duarum drachmarum.

Aureus Atticus minor Romano fuit, et duarum tantum drachmarum pondus æquabat. Hic vocabatur simpliciter χρυσοῦς. Fuere et drachmales aurei, qui ἡμίχρυσοι nominabantur.

Comparatio antiquorum nummorum cum nostris.

Cognito antiquorum nummorum pondere, et eorum inter se ratione, nunc eos cum nostris comparare opus est. Et, quoniam nos pecuniam non appendimus, sed annumeramus, et in quotidiana nummorum tractatione, non marcis aut unciis eos, sed libellis et solidis Turonensibus æstimamus, id primo consultissime videbamur facturi, si veteres nummos ad libellarum solidorumque Turonensium normam exigeremus.

Cur eos non æstimaverimus in libellis et solidis Turonensibus.

Sed ab illo nos consilio duplex deterruit difficultas: una, quod sæpe apud nos ita jactatur nummus, tam varia æstimatione fluctuare jubetur, ut nihil de eo certi statui queat, aut quod vel in unum fortasse annum usui esse possit: altera, quod ex quo res nummaria apud nos ex diuturna agitatione aliquatenus constitit, eam sequimur Galli marcarum aureæ et argenteæ æstimationem, quæ multum discrepet ab eo quod verum et genuinum apud plerasque Europæ gentes auri et argenti pretium habetur: adeo ut nomen illud libellarum Turonensium falsa blandiatur specie claritatis; re quidem vera errorem potius sit obscuritatemque pariturum. Nobis ergo ad pondera confugiendum fuit, quæ et minime variant, nec quidquam habent ambigui. Itaque fecimus: et, quæcunque auri argentive, sive facti aut infecti, sive signati summa in Livio occurrit, eam marcis seu selibris, unciis, etc. Parisiensibus æstimavimus ad eam rationem quæ supra demonstrata est.

Aurum argentumque ad ponderum Parisiensium rationem exegimus.

Æs non debuit æstimari ex pondere.

Sed in ære alia nobis ineunda ratio erat, ne in eumdem errorem incurreremus, qui Dujatio fraudi fuit. Quum enim æs apud Romanos longe vilius esset quam apud nos, ut patet ex eo quod, ubi primum moneta ex argento cudi cœpta est, singulæ argenti libræ millenas æris libras pretio æquarent, asses Romanorum librales in libras æris nostrates redacti, quod a Dujatio factum est, fallaci nobis specie divitiarum imponerent, et haberentur a nobis pro longe majore summa, quam quanti a Romanis illi taxabantur. Itaque faciendum visum est, ut æs non in se, sed habita argenti ratione æstimaremus; et, quod ei ad argentum collato pretium Romani statuerant, id in marcis, unciis, etc. argenti Parisiensibus redderemus.

Sed habita argenti ratione.

Hic operæ pretium esse ducimus tabulam exhibere indicem ponderum nummorumque maxime usitatorum apud veteres cum ponderibus nostratibus collatorum. Fuere ergo nobis

Libra Romana et mina Attica, unciarum Parisiensium 12½. Uncia Romana, granorum 600.

Indiculus ponderum nummorumque veterum ex nostris ponderibus æstimatorum.

Denarius, si ad severam æstimationem exigeretur, granorum esse debuerat 75. sed quia usu receptum fuerat, ut centum denarii in libram imputarentur, habitus est a nobis granorum tantummodo 72.

Drachma par censetur denario.

Quinarius, granorum 36.

Sestertius, granorum 18.

Sestertium, sive mille nummûm, marcarum argenti 3. unciarum 7. granorum 144.

Talentum Atticum, marcarum argenti 93. unciarum 6.

As, quandiu deni denarium, bini cum semisse sestertium conficiebant, æstimatus a nobis est granis argenti 7½: posteaquam senideni in denarium, quaterni in sestertium conjecti sunt, granis argenti 4½.

Hæc nobis æstimatio ex ponderum ratione suffecit: in qua si qui ob insolentiam fortasse hærebunt, et aliquam obscuritatis nubeculam superesse querentur, Turonensesque libellas et solidos, notiora nomina, desiderabunt, iis facillimum erit, definito semel in libellis solidisque Turonensibus marcarum auri et argenti pretio, ad illud pondera quæ in notis nostris expressa repererint exigere.

De mensuris.

Superest ut aliquid de mensuris longis et cavis breviter disseramus. Initium hic a pede, quemadmodum in ponderibus a libra, faciendum videtur.

Pes Romanus undecim fere pollicum Paris.

Pes Romanus Capitolinus ab diligentissimis talium rerum indagatoribus, sed et Mathematicarum disciplinarum peritissimis viris, Picardo et Auzutio, magna cum cura observatus, inventus est partes habere 653. vel 653½. quales pes noster Parisiensis habet 720: ac proinde non totos habere undecim pollices Parisienses, quamvis ab iis parum absit, nempe paulo plus una decima pollicis parte. Hoc discrimen inter Romanum nostratemque pedes haud sane parvum est. Tamen pedem Romanum, et ejus partes, et omnino mensuras longas, præter stadium et milliare, ad nostri pedis regii modum revocare in notis negleximus, propterea quod nec tanti esse visum est, et res facillima.

Sed operæ pretium est nosse quam rationem haberent ad pedem ceteræ antiquorum mensuræ.

Pedis Romani partes.

Pes Romanus dividitur in quatuor palmos, duodecim pollices, digitos sedecim.

Cubitus par sesquipedi.

Cubitus, in duas spithamas, sex palmos, decem et octo pollices, quatuor et viginti digitos. Itaque cubitus par erat sesquipedi.

Jugerum.

Jugerum actus duos quadratos continebat, quorum quilibet centum et viginti pedes quaquaversum habebat. Itaque juge-

rum patebat ducentos quadraginta in longum pedes, in latum centum et viginti.

Stadium. Stadium, mensura Græca, erat centum viginti quinque passuum, quorum quilibet quinque pedibus censebatur.

Milliare. Milliare Romanum par erat octo stadiis.

Quot stadia et milliaria in leuca nostrate. Hinc facile est stadia et milliaria ad leucarum nostrarum communium rationem exigere. Leuca, quales viginti quinque gradum unum meridiani terrestris explent, habet hexapedas 2282. Stadia igitur duo ferme et viginti, duo milliaria et septingenti quinquaginta passus, leucam conficerent, si pes Romanus pedi nostro par esset. Sed si discriminis, quod inter utrumque interest, ratio habeatur, stadia fere quatuor et viginti, tria milliaria in leucam imputanda erunt.

Quod spectat ad mensuras cavas, eas omnes quæ in Livio identidem appellantur, ad nostrarum rationem exigere necessarium duximus.

Amphora pes cubicus Romanus. Amphora, sive quadrantal, erat ipse pes cubicus Romanus, teste Fannio. Sed quum in pede Romano undecim fere sint pollices Parisienses, (decimam pollicis partem, quæ abest pedi Romano, negligimus) pes cubicus Romanus solos habebat pollices cubicos mille trecentos triginta unum, quales habet mille septingentos viginti octo pes noster cubicus. Itaque pes cubicus Romanus est ad pedem cubicum nostratem, ut $3\frac{1}{12}$. ad 4. sive ut 37. ad 48.

Modius, tertia pars amphoræ. Modius apud Romanos pedis sui cubici tertia pars erat, quemadmodum apud nos, nostri. Itaque eadem est inter modios Romanum et nostratem, quæ inter pedes cubicos Romanum et Parisiensem ratio.

Congius, semipes cubicus. Congius est semipes Romanus cubicus, octava pars amphoræ. Sed quum congius ad metienda liquida adhiberetur, æstimabimus eum, ut et ceteras infra ipsum mensuras, in iis mensuris quas vocamus *pintas*, et earum partibus. Itaque congius centum, ut initio diximus, uncias Romanas pondo vini capiebat, quibus pares sunt $104\frac{1}{8}$. unciæ Parisienses, sive libræ sex, unciæ octo, cum una sexta unciæ parte. At vini vel aquæ *pinta* (sic enim loqui necesse est, si verborum circuitus, et ambages vitare volumus) æquat duas libras pondere. Itaque congius capiebat tres vini vel aquæ *pintas* et paulo amplius quartam *pintæ* partem.

Sextarius. Sextarius, sexta pars congii, sexdecim uncias Romanas vini pondo cum quinque drachmis et una tertia drachmæ parte capiebat, libram Parisiensem cum uncia et semisse, ac proinde major erat ea mensura quam vocamus *chopine*.

Hemina. Hemina, pars dimidia erat sextarii, ac proinde superabat eam mensuram quæ apud nos dicitur *demi-septier*.

Quartarius. Quartarius, quarta pars sextarii, non multum excedebat eum modulum, quem dicimus *poisson*.

E mensuris cavis apud Græcos usitatis, solius medimni apud Livium fit mentio, quod duabus amphoris sive sex modiis parerat. Medimnum.

Atque hæc sunt quæ de ponderibus, pecunia, mensuris antiquorum summatim disserenda esse duximus, ut, ubicumque lector hæc in notis nostris æstimata invenerit, sciat quid secuti fuerimus, et, si quid illic obscuri repererit, huc recurrat, ubi tota res pluribus verbis tractata facilius et planius intelligi potest.

APPENDIX

DE ÆRE GRAVI.

CIRCA æs grave hic nodus non facile solvendus occurrit, quod ejus, etiam post imminutum assium pondus, mentio tamen fit interdum a scriptoribus, tanquam tunc quoque adhibiti ad conficiendas æstimandasque pecuniæ summas. Etenim quum æris gravis nomine intelligantur, ut diximus in Disputatione præcedenti, asses librales, quis ejus usus esse debuit post levatos asses, et ad unciam redactos. Difficultas circa æs grave non mediocris.

Illa difficultas doctissimos viros, Salmasium, Gronovium, Kusterum, Perizonium, non mediocriter exercuit, et in varias scidit sententias: quas tractatas qui videre voluerit, adeat Dissertationem eruditissimi et acutissimi viri Jac. Perizonii de Ære gravi: in qua tota res accurate perpenditur, nec tamen nobis visa est plane ad liquidum perduci, non scribentis vitio, in quo ingenii sagacitas certat cum ubertate doctrinæ, sed ob densas tenebras rei quum vetustissimæ, tum nusquam ex professo a scriptoribus antiquis disceptatæ, et in transcursu tantum breviter ab iis raptimque indicatæ.

In hac obscuritate dispicere conemur primum, num quid pro claro haberi, et extra controversiam esse debeat, atque id teneamus, et ab eo quod ambigi et per malignam lucem vix dispici potest seponamus.

Constat 1°. quoties scriptores Romani de vetere illo ante imminutum assium pondus ævo loquentes mentionem faciunt æris gravis, intelligendos esse asses librales. Hoc probant testimonia Plinii, l. XXXIII. c. 3. et Festi in voce *Grave æs*. Plinium audiamus. *Librales*, inquit, *appendebantur asses. Quare æris gravis pœna dicta.* Manifestum est a Plinio exponi *æs grave* per *librales asses*. Disertius adhuc Festus: *Grave* Æs grave antiquiore ævo asses librales.

æs dictum a pondere, quia deni asses singuli pondo libras, efficiebant denarium, ab hoc ipso numero dictum. Hinc evertitur opinio Kusteri, qui grave æs de quocunque ære intelligendum putat, tam sextantario et unciali, quam librali: quasi in illa appellatione *æs* sumeretur pro nummo, ita ut *grave æs* esset nummus gravior, argenteo scilicet nummo, qui ob majus metalli pretium, minoris necessario ponderis esse debet. Hoc commentum, omni veterum auctoritate destitutum, imo cum ea aperte pugnans, merito explosum est a Perizonio.

Æris gravis tamen appellatio nata post imminutos asses.

2°. Patet gravis æris appellationem tum natam esse, quum asses imminuti sunt, ut nempe grave æs opponeretur huic recenti leviori. Antea enim quum unius generis æs esset, minime necesse erat illud aliquo velut cognomine insigniri. Itaque in lege illa duodecim tabularum, quam memorat Gellius, l. XX. c. 1. legimus *viginti quinque æris pœnæ sunto.* Non additur *gravis*, quia tunc unius modi æs erat, nec proinde ulla poterat esse ambiguitas. At scriptores lævato æris pondere recentiores, quales sunt ii omnes fere quorum monumenta ad nos pervenerunt, ubi loquendum illis fuit de assibus libralibus antiquiore ævo usitatis, appellationem *æris gravis* usurparunt, per comparationem ad æs levius quod suo tempore in manibus hominum versari videbant.

Tunc quoque summæ in ære gravi interdum conceptæ.

3°. Constat etiam post imminutos asses, summas nihilominus in ære gravi interdum conceptas fuisse. Testimonio sunt 1°. Livius, XXII. 33. et XXXII. 26. tum locus e libris linteis pontificum a Salmasio allatus, *de modo usurarum*, p. 237. ubi dicuntur *Ætolorum legatis lautia data, et ducenta*, sive potius bina *millia æris gravis in singulos.* Cum Ætolis enim bello demum Punico secundo rem habere Romani cœperunt. Denique idem adstruitur ex Seneca, qui l. I. Natur. Quæst. c. ult. et Consol. ad Helviam, c. 12. tradit Scipionis filias in dotem a senatu accepisse *æs grave.* Hunc Scipionem ex Val. Max. l. IV. c. 4. apparet fuisse Cn. Scipionem, qui in Hispania periit, patruum Africani prioris.

Fuit aliquod discrimen pretii inter æs grave et asses leviores.

4°. Necesse est ut tunc aliquod discrimen fuerit pretii et æstimationis inter grave æs, et asses leviores. Alioquin prorsus inutile fuisset ipsius appellationis discrimen. Itaque stare posse non videtur Gronovii sententia, qui l. III. de Pecun. vet. c. 15. censet gravis æris nomine venire potuisse massas æreas, quarum pretium exigeretur ad rationem nummi ærei: ita ut, cui donarentur decem millia æris gravis post levatum pondus nomismatum, is acciperet decem millia assium in massis ejusmodi. Si id admitteretur, periret jam discrimen pretii: et decem millia gravis æris essent ipsa decem assium leviorum millia.

Pro certo itaque ponere posse videmur gravis æris appellatione, tam ante, quam post imminutos asses, libras æris intel-

ligi, sive in assibus vere libralibus priore ævo; sive postea nomine tenus, ad usurpandam vetustatis imaginem, cum aliqua tamen ratione discriminis ad nummos usu jam communi receptos: ita ut, cui decem millia gravis æris donata leguntur, is antiquitus decem millia librarum æris acceperit; posteriore ævo summam pecuniæ, quæ id nomen ex more antiquo retinuisset, et vere differret a decem millibus assium leviorum.

Huc usque nobis cum Perizonio convenit, qui et recte suspicatur civitatem patriorum institutorum retinentissimam, post mutatum æris nummarii pondus servasse tamen antiquam pecuniarum æstimandarum rationem, in iis certe quæ publice fierent, ut in æstimando civium censu, in muneribus donisque senatusconsulto decretis, in colligenda ratione pecuniæ quæ in triumphis ferretur: ita ut longe sæpius sit intelligendum æs grave in scriptis antiquorum, quam expressum reperitur.

De illo æris gravis pretio multum ambigitur.

Sed quodnam pretium finiendum sit libris illis æris post cusos asses leviores, id vero nobis ita perplexum et ambiguum videtur, ut lectis et multum pensitatis iis quæ doctissimi viri super hoc negotio scripserunt, usurpare possimus illud Comici poetæ: *Fecistis probe. Incertior sum, quam dudum.*

Libra æris non signati debuit pretio augeri pro ratione fere æris signati.

Distinguemus tamen pondera ipsa librarum æris, quæ mercis loco haberentur, et æs grave adhibitum ad concipiendas veteri more pecuniarum summas. Librarum æris pondo non dubitamus quin pretium crescere, levato nomismatum pondere, debuerit, idque pro ratione fere nummi: quod et Gronovio visum est. Hoc enim concoquere omnino non possumus, quod sumit Perizonius, librarum æris pondo rationem ad argentum post imminutos asses aliquantulum duntaxat fuisse mutatam: ita ut post cusos sextantarios asses duæ unciæ signati æris tanti fere æstimarentur in argento, quanti tota libra non signati foret. Et augescentibus jam imperii cum ditione divitiis, fieri omnino non potest quin argenti pretium ex copia paullum eviluerit, et abjecta sit immanis illa, quæ primo invaluerat, unius argenti libræ cum mille æris libris comparatio. Itaque libra æris non facti, nec signati, æstimari debebit, post cusos sextantarios asses, sex fere assibus; post unciales, duodecim. Illud ergo unum in disceptationem vocatur, quonam pretio taxandum sit æs grave in conficiendis pecuniarum rationibus post percussos asses leviores expressum, sive quam rationem illud æs et ad asses, et ad argentum habuerit.

E tribus unum factum esse oportuit, nempe ut vel æs grave paris fuerit cum assibus pretii, ita ut decem æris gravis semper fuerint ipsi decem asses; vel æri gravi pretium creverit pro ratione nummi, ita ut decem æris gravis æstimentur sexaginta assibus sextantariis, centum et viginti uncialibus; vel denique æris gravis eadem semper fuerit ad argentum ratio,

quæ priscis temporibus fuerat, ita ut decem æris gravis semper ambulaverint pro denario uno, ac proinde paris cum sexdecim assibus uncialibus pretii fuerint.

Æs grave non potuit paris esse pretii cum assibus levioribus.

Primam opinionem jam ostendimus everti disertis antiquorum scriptorum testimoniis, quibus grave æs a leviore distinguitur: atque adeo in se absurdam esse, quum ipsa gravis æris appellatio arguat discrimen aliquod ab ære levi; discrimen autem illud, nisi in pretio positum sit, omnino inane et frustra observatum esse videatur.

Non crevit illi pretium pro ratione nummi.

Secunda quoque sententia prorsus stare non potest, propterea quod ex illa æstimatione grandiores justo summæ futuræ sint, et omnem verisimilitudinis modum, imo et historiæ fidem, excessuræ. Unum apponere exemplum sat erit, sed ejusmodi quod rem conficiat. Livius l. XXIV. c. 11. quum jam unciales asses forent, edisserens quot quisque ex censu dare remiges deberet, sic illam enumerationem concludit: *qui supra decies æris, septem; senatores, octo nautas cum stipendio darent.* Ergo senatorius census tunc æstimabatur supra decies æris. Porro hoc loco æs grave intelligendum est, ex iis quæ supra dicta sunt, quia de census æstimatione agitur: *decies* autem hic idem est ac *decies centena millia*, ut ex ipsis numeris antecedentibus constat. At si hic una libra æris gravis æstimetur duodecim assibus uncialibus, *decies æris* erunt asses unciales 12000000. sestertii 3000000. quod evidenter falsum et absurdum est, non modo ob tenues tum res Romanorum et inopiam, sed quia florentissimis reipublicæ Romanæ temporibus census senatorius, teste Sueton. in Aug. c. 41. octingentis millibus sestertiûm definitus fuit, et ab Augusto demum ad decies, vel duodecies sestertium auctus.

Superest, ut idem æri gravi, quod antiquitus assibus libralibus, pretium manserit.

Reliquum est, ut æs grave priscam ad argentum proportionem retinuisse censeatur, quæ Perizonii opinio est. Firmat hanc sententiam non spernendus auctor Plutarchus, qui in Catonis censura eam pecuniæ summam, quæ apud Livium, l. XXXIX. c. 44. est *quindecim millium æris*, æstimat drachmis mille quingentis. Quum enim drachma par censeatur fuisse denario, liquido patet *decem æris* fuisse Plutarcho denarium unum. Æs autem grave hic intelligi debere non id solum argumento est, quod de censu agitur, sed illud etiam, quod asses leviores, qui tunc in usu erant, in unum denarium sedecim contribuebantur: ita ut quindecim millia illorum assium non 1500. denariis, seu drachmis, sed 937½. paria futura essent.

Ergo decem æris gravis, ut initio, ita et per omne deinceps tempus, denarium æquaverint: quemadmodum contra *in militari stipendio semper denarius pro decem assibus* est *datus*, teste Plinio, l. XXXIII. c. 3. id est, prout interpretatur Lipsius ad Tac. Ann. l. I. c. 17. quanquam denarii pretio aucto, mi-

les tamen nihil inde commodi sensit; quumque ei denarius deberetur, decem tantummodo asses, ex antiqua denarii æstimatione, non sexdecim, ex recentiore, dabantur.

Hæc sat belle se habent. Unus tamen etiamnum angit scrupulus, quod in hac opinione nullum sit pretii discrimen inter æs grave assesque leviores, quamdiu sextantariis assibus Romani usi sunt. Non enim his assibus percussis mutata memoratur assium ad denarium ratio, sed tum demum quum asses unciales facti sunt. Itaque decem sextantarii asses, ut et decem æris gravis, unum denarium æquabant: ac proinde a belli Punici primi temporibus usque ad alterum annum secundi, quodnam æri gravi pretium dicendum sit, haud facile definiri potest. Unus hac in opinione scrupulus.

Unum nobis effugium superest, si dicamus toto illo tempore nullum usum fuisse æris gravis in conficiendis pecuniæ præsentis, id est, ejus quæ tunc solveretur numerareturve, rationibus; sed tantummodo ubi loquendum esset de antiquo ære quo utebatur civitas ante imminutum assium pondus: atque ad hoc notandum discrimen æris antiqui a recenti, illam æris gravis appellationem primo invectam esse. Postea quum assibus uncialibus factis mutata esset assium ad denarium ratio, tum demum dicemus advocatum esse æs grave ad exprimendas præsentis pecuniæ summas, ut mos priscus æstimandarum pecuniarum publice retineretur. De eo amovendo conjectura.

Quod hoc loco ponimus, quemadmodum fatemur nullis adstrui disertis veterum testimoniis, ita nullis quoque everti posse existimamus. Imo nonnihil favet nobis temporum ratio. Ex quo enim tempore constat asses sextantarios factos esse, id est, a primi Punici belli fine, prima mentio æris gravis occurrit apud Livium, l. XXII. c. 33. post depositam a Q. Fabio Maximo dictaturam, quo dictatore Plinius auctor est rursus imminutum esse assium pondus, et ad unciam redactum, simulque mutatam esse assium ad denarium rationem, ut sexdecim asses in denarium contribuerentur. Itaque prima mentio æris gravis in præsentis pecuniæ rationibus in unum idemque tempus congruit cum mutata assium ad denarium ratione.

Ut igitur paucis contrahamus ea quæ tota hac disputatione complexi sumus, tria haud improbabiliter definiri posse credimus de ære gravi. Anacephalæosis.

1°. Æs grave nullum dictum fuit, donec levatum est assium pondus.

2°. Assibus sextantariis factis, æris gravis appellatio invecta fuit ad designandos asses librales, qui antea in usu fuerant. Verum nullus tum ejus appellationis usus fuit in summis pecuniarum quæ tum conficerentur, sed tantum ubi sermo esset de ære vetere olim usitato.

3°. Assibus uncialibus factis, et mutata assium ad denarium ratione, cœperunt Romani uti appellatione gravis æris in præsentibus etiam pecuniarum rationibus, ut retinerent priscam æstimandarum pecuniarum consuetudinem; ejusque pretium idem, quod semper, esse voluerunt, ut decem æris gravis pro uno denario ambularent. Tuncque æs grave, non fuit nummus, non pondus quoddam verum æris, sed merum nomen, mera appellatio, quemadmodum apud nos *denier*, *pistole*, *écu*, *livre Tournois*, quibus nominibus utimur in concipiendis pecuniarum rationibus, licet nullus eis examussim æreus, argenteus, aureusve nummus respondeat.

JOANNIS FREDERICI GRONOVII

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

SI opus esset, amice lector, non gravarer tibi longam de T. Livio fabulam serere: suppetit enim materia. sed tantum dictum est, ut quædam non esse dicta præstaret, et illorum aliunde gnarus in hoc certe schedio alia lectione mavis avocari. Hoc igitur exspectas potius, ut, qua fiducia sim aggressus rem minime vulgaris animi, quam me ausurum, ut sic dicam, ante tubas, et priusquam poscerer, ne ipse quidem credidi, ut perpetuis notis historiæ Romanæ principem emendatiorem reddere conarer, hic in limine edisseram. Ubi primum illud relictum a prioribus occupabo, ut grata commemoratione doctorum hominum, quos curæ aliquid huic scriptori vitæ restituendo post litteras renatas impertisse accepi, præsertim antiquiorum, et ipsorum pariter Manes et futurorum studia demerear. Illorum enim plerorumque intermortuam laudem renovavero: ex his, qui post nos eamdem provinciam subituri sunt, adminiculum habebunt, quod mihi si fuisset a principio, et sollicitudine diu me vexante liber fuissem, et multis partibus meliorem tibi statim auctorem dedissem. Neque enim tantum mihi tribuo, eaque malignitate et in majores et in minores feror, fortuitis subjectus, et an audeam insonare illud, δότε κρότον ambiguus, ut vel istorum Hieronicarum palmas et coronas olim certas abolere aut conterere desiderem, vel neminem posthac in eodem stadio exerceri velim: qui mos est quorumdam, ut velut desponsos sibi, usu, coëmptione, farre, in manum convenisse veteres, quos recensendos susceperunt, haberi postulent; aut quasi ab censoribus ea lege publicum conduxissent, ne id præterea cuiquam agitare fas sit, alios ut inde omnes arceant, tentantibus opus novum nuntient, æmulamque industriam contumeliam suam interpretentur. Prima igitur, uti debebat, præconem suum in lucem reduxit urbs domina, adspirantibus, ut ornatiorem reduceret, disertis duobus et gravibus viris, Johanne Andrea Aleriensi, et Johanne

Antonio Campano Interamniensi, Episcopis. Quos bene gnaros, quantum interesset ad historiæ fidem et apparatum, ad temporum notitiam, ad linguæ Latinæ omnisque eloquentiæ nitorem et copiam, ad prudentiam ac civilia et mores, hoc opus, sed quam purgatissimum, in manibus haberi, ambos eodem tempore quidam movit sacer instinctus, et incessit cupido tam utilem operam simul studiis præstandi, et personis ac dignitatibus suis ad posteros commendandi. Occupavit tamen, ni fallor, Andreas sub Paulo Secundo Pontifice Maximo, manibus, ex ea natione, quæ librorum typis et prælis describendorum nobilem et saluberrimam invenit artem, Conradi Sweinheimi et Arnoldi Panartii. Duo ejus editionis penes me sunt exempla, alterum dono Casp. Gevartii, cui deest frons et bellum Punicum secundum; alterum Bern. Rottendorfii, quod titulo pariter et Epitomis usque ad XXVII. caret. Annus appositus non est: sed MCCCCLXXI. eam antevertisse argumento est, quod hoc anno Paulus, cui dicatur, mortalitatem explevit. A Vendelino (hic est, puto, qui se Sweinheimum in calce voluminis appellat: ut solent Itali Germanica vocabula invertere) ex Victorini Feltrensis exemplari redditam fuisse anno MCCCCLXX. testatur Franciscus Robortellus in Convenientia Livianæ supputationis cum marmoribus Capitolinis, et in Emendationibus. Hunc enim Victorinum Feltrensem præfatur Aleriensis, principem omnium Patavii, et mox Venetiis privatim, inde Mantuam Jo. Francisci Marchionis, ut liberorum ejus disciplinam susciperet, liberalitate traductum, T. Livii annales publico auditorio, cum ingenti hominum admiratione ac fama, commisisse. Quin etiam post multa de illo honorifica, quicquid auctore in tanto profecerit, præceptori, altori, parenti Victorino, magnanima et grata pietate acceptum refert. Hunc brevi intervallo secutus est Interamniensis Præsul: cujus curam adhuc videre non potui: sed in Regiæ, quæ Parisiis est, bibliothecæ indice scriptum legi *Titi Livii Historiarum decas ex emendatione Antonii Campani: adjecta sunt omnium librorum epitomata* (ut tum loquebantur) *fol. Romæ* MCCCCLXXI: *et Tertia et Quarta decas. Dulcem* MCCCCLXXII. Exstant Opera ejus a Mich. Ferno collecta et Venetiis in vulgus data: in his nuncupatio hujus lucubrationis ad Jacobum Amanatum Lucensem Cardinalem Papiensem: unde digna visa sunt hæc, quæ exsignarem: *Genus est in eo scribendi proprium et suum, et idipsum splendidum atque magnificum, et tanquam ad spectaculum quoddam magnitudinis sublime et elevatum, ac per omnes circumductum amplitudinis gyros: ita ut eruditorum oculos late extendere atque extollere in altum possit, imperitis caliginem afferat. Inde librariorum oorti errores, dum, quod ipsi non capiunt, nimium esse, aut, quod non cernunt, obscurum, aut, quod est inversum*

bent judicii, ibi minus intelligunt. Horum igitur depravationes, quas tanta diuturnitate temporis tantaque barbariæ necesse fuit esse quamplurimas, multis fretus exemplaribus corrigere aggressus, feci, quod tu jussisti; etiam feci, quam potui, diligenter, ut huic novæ miræque industriæ impressorum ipse quoque pro virili auxiliarer. Deinde: *Quod ad me attinuit, nusquam curiosus interpres aut divinator, nihil præter meum laborem et diligentiam attuli: quæ utinam tanta fuerit, ut librariorum tollendis erroribus satisfecerit! Certe in hoc fuit maxima, ut Livii majestatem affectatione ingenii nusquam minuerem.* Andreæ velut præscriptum una cum præfatione expresserunt (ita tamen, ut identidem ab eo recesserint) Mediolanensis, artem et impensas laudans Philippi Lavagniæ MCCCCLXXVIII: Tarvisina utraque, referens has decades a Luca Porro diligentissime recensitas, prælo suppositas fuisse a Jo. Vercellensi MCCCCLXXXII; et iterum quinto; quæ duæ sunt editiones diversæ per omnia, non, ut nunc interdum illudunt, primum modo folium cum anno habent mutatum: duæque Venetæ, quæ per Bartholomæum de Zanis a Portesio summa industria se conditam cantat MCCCCXCVIII, et quæ per Georgium de Rusconibus Mediolanensem MDI. Non multo serior, si non antiquior quibusdam, est Bechariana, charta ὀκταπτύχῳ, (et primam ea forma contractam hanc censeo, nec vidi, nisi quod habeo ejus specimen a Tobia Andreæ donatum) dissimulato loco et tempore, unam præferens utriusque notam, Augustini Becharii sacerdotis ad studiosos alloquium, quod testimonio Quintiliani, Hieronymique ac Plinii narratiuncula de Gaditano Patavinum visente constat. Ab eodem Bechario Justinum M. Antonio Coccio Sabellico recognitum prodiisse testatur Matt. Berneggerus. Proxima mihi oblata est, quam Lutetiæ MDXIII. emisit Jodocus Badius Ascensius. is lectorem monet superiore conatu ante biennium operas suas deceptas codice, qui M. Sabellicum exactorem prædicaret, plusculas mendas non exemisse: quo serius comperto se curasse reliquias Livianas cum decem diversæ monetæ aut scripturæ exemplaribus conferri a Gerhardo Vercellensi Burgundo. Atque has omnes libro tertio et trigesimo magnaque parte quadragesimi, finitæ scilicet in his verbis cap. 37. *per omnia fora conciliabulaque ediverunt*, destituuntur. ego autem cunctis, præter Campanicam et priorem Tarvisinam, ut inciderat, quod, quemadmodum aliquando lectum esset, noscere animus ferret, usus sum. Præter has video laudari a Robortello Melchiori Suessæ elaboratam, et ab aliis, Antonio Zarotho ex recensione Petri Justini Philelphi impensis Jo. Legnani Mediolani MCCCCLXXX. confectam. sed hæ, et complures, opinor, aliæ oculos meos fugerunt. Anno proximi seculi octavo decimo provenit Magontiacensis apud Jo. Schefferum Jo. Fausti ne-

potem. hæc addidit ex membranis bibliothecæ in æde ibidem maxima et metropolitana, D. Martini appellata, partem libri tertii et trigesimi a capitis 17. his verbis: *Arctis faucibus Acarnaniæ cohærens*, (etsi legatur illic: *iis partibus cohærens*) et quod deerat libro quadragesimo usque ad finem. Ulrichus Huttenus ad Albertum Brandeburgensem Cardinalem et Episcopum Moguntinum, Erasmus Roterodamus ad Misobarbaros atque eosdem Philomusos præfixis epistolis eam honestarunt. Nicol. Carbachius et Wolfg. Augustus (quos imprimendis illic loci libris eamdem operam præstare, quam post Aldum Venetiis Egnatium, Romæ doctos quosdam, Basileæ Beatum et Amorbachios, Argentinæ Gerbellium ait Huttenus) corrigendo præfuerunt: et quia in eodem volumine Langobardicis litteris scripto ultimi quoque septem libri de bello Macedonico reperiebantur, hoc negotio ipsis a Scheffero dato, eos cum vulgatis contulerunt. Eæ lectiones variæ, paucis in contextum admissis, postremas operis paginas faciunt. Circa idem tempus Aldina minoris formæ incudi cœpta est tradi: curam ejus habuit Franciscus Asulanus, et quamplurima optima et antiqua et manuscripta exemplaria e bibliothecarum latebris collegisse, atque ex omnibus hoc tandem lucidum atque ab omni parte integrum conflavisse sese in præfatione tertii tomi ad Jo. Baptistam Turrianum profitetur. Primus est absolutus mense Decembri MDXVIII. alter mense Februario MDXIX. tertius cum augmento Magontiacensi mense Novembri MDXX: et in septem, quos dixi, libris Asulanus ubique fere istius codicis (utique aliis præferendi, etsi nonnulla illi melius, et delectu opus fuerit) lectiones recepit. Hujus auctoritatem secutæ vulgares, quæ nunc habentur, tantopere in ea parte ab superioribus dissentiunt: in quo, priusquam ipsum Schefferi experimentum casus in auctione quadam ad me detulit, diu anxius et sollicitus pependi. Florentiæ hæredes Philippi Juntæ MDXXII. per Aldina vestigia incesserunt, præposito etiam carmine in laudem Asulani. Successit anno MDXXVIII. Eucharii Cervicorni Coloniæ, ut puto, instituta. Multa ille ad lectorem gloriatur et imputat fiduciæ plena, quæ tamen in contrarium vertisse valde suspiceris, si verba consideres. Ait enim *integrum sanumque hic haberi, qui multis verborum sententiarumque vulneribus discerptus olim elanguerit; lenem et nitidum, qui nuper fædis emplastris olidisque malagmatis margini impactis horridus, deformis, et obvolutus visus sit. Nam ubi lectio forte variaverit, et inter exemplaria non convenerit, ea delegisse se, idque judicio doctorum hominum, quæ auctoris genuinæ phrasi viciniora fuerint visa, et sententiarum verborumque commissuræ magis adfinia: ne scilicet imbecilliora ingenia et variæ lectioni non adsueta inter tot ambages hallucinarentur, fraudarenturque dulci intelligentiæ fructu,*

et ne quis lectionem Livianam aggressus, et mox inter tot opinionum scopulos et diversæ lectionis syrtes adhærens, velut angue conspecto, παλίνορσος ἀφιςῇ. Hæc tam magnifica dicta utrum factis æquaverit, necne, ignoro: nam ipsius examinandæ nobis otium non fuit, et tantum quod his inde descriptis, oculis ablata est. Badianam, opinor, criminatur fœdis emplastris olidisque malagmatis oblitam: cujus in ora video asteriscis signata dubiæ scripturæ loca, et nonnunquam eorum emendationem tentatam; sed hæc potius laudanda et industria, et modestia erat. Itaque nihil hac insultatione deterritus, anno sequenti Lutetiæ ex officina Nicol. Saveterii Livium emisit Andreas Levescatius, sane cum eo quod Magontiaci accesserat, nec usquequaque adhærens per Badium in ipsum corpus receptis: de marginibus tamen easdem notas, tanquam haud inutiles, repetivit. Annus delapsi seculi primus et trigesimus novo rursum nos proventu beavit. tum enim in Helvetiis Simon Grynæus ultimos quinque libros, repertos in membranis apud Monasterium Laurissenum, vulgo Lorssense, e regione Borbetomagi trans Rhenum, per Jo. Frobenium, publice exhibuit. Dignatus est hanc quoque prologo Desiderius ad Car. Montjoium: et scribit archetypon fuisse admirandæ vetustatis, prisco more litterarum perpetua serie ita depictum, ut difficillimum foret verbum a verbo dirimere, nisi docto, et attento, et in hoc ipsum exercitato: unde non parum negotii fuisse in parando exemplari, quod operis utendum traderetur: nec minore cura quam fide advigilatum esse, ne usquam in describendo ab archetypo recederetur. adjecta est Henrici Glareani Chronologia. Hæredes Aldi Manutii et Andreæ Asulani biennio post ex hac tribus prioribus quartum tomum addiderunt. Beati Rhenani et Sigismundi Gelenii quando apparuisset sociatus labor, quum dubitarem, Conr. Gesneri Bibliothecam consului: etsi citra illos, quos recensui, tanquam remotiores, aciem intentionis abruptam habuisset, hos tamen obvios, tum utique, ac propinquiores subtilius persecutam ratus. At illa me a primo magis implicuit. nam sub Beati nomine, annotationes utriusque in exstantes Livii libros Lugduni seorsum narrat exiisse anno MDXLII; sub Sigismundi, Basileæ cum ipso Livio, et seorsum Lugduni MDXLI: quum interim Glareanus suas Carolo V. Imperatori inscriberet MDXL, et ibidem laudaret Frobenianam editionem opera et diligentia Rhenani et Gelenii fultam. Recurro ad ea, quæ sub Titi Livii nomine prius lecta parum satisfecerant: et ibi invenio Decades tres cum dimidiata una, cum emendationibus et annotationibus doctorum quorumdam virorum prolatas a Frobenio MDXXXV. Hanc igitur esse decrevi, quam quærebam: et nunc ipsum, dum hæc scribo, in auctione volumen nactus, præter exspectationem video. Erasmus hic quoque in limine

alloquitur Montjoium, et Gelenius Franciscum Delphum, ab Rhenano in consortium hujus provinciæ se ultro adscitum testatus. Decimo libro subjectum quod in scriptis nonnullis habetur: *Nicomachus Dexter V. C. emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis.* Hos excepit Glareanus, quo dixi, primum anno. Quid autem de his senserit P. Victorius, prodit ad quartum Rhetoricorum ad Herennium, scribens: *Germani autem nuper eum locum restituerunt, qui T. Livii libros, quos temporis vetustas et hominum incuria non absumpsit, summa cura et diligentia emendatos ediderunt.* Anno MDLIV. Sebastianus Gryphius charta δωδεκαπτύχῳ et minuto charactere primus arctavit Livium, præposita Erasmi tantum ad Montjoium epistola, nihil ipse pollicitus: deprehendimus tamen quædam novasse. Insequente MDLV. Cœlius Secundus Curio Hervagianæ auxilium præstitit, et super istorum, Vallæque Laurentii, et Sabellici Coccii mixtas animadversiones, sese ad ducentos emendasse locos et pristino nitori restituisse testatur. Eodemque ipso Paulus Manutius auctorem nostrum ab Car. Sigonio omnem serio castigatum, cum ejusdem locupletibus scholiis, etiam in Epitomas amissorum librorum, quas priores neglexerant, et nova Chronologia, publicavit. Quo plausu exceptum, dicat Adr. Turnebus XI. Adversariorum: *Erroribus Livii exhauriendis bonam fidelemque navavit operam vir eruditissimus Carolus Sigonius: quem ego et antiquitatis peritissimum, et bonorum scriptorum intelligentissimum, et eruditissimum nominare meritissimo possum: ut, si quid reliquum sit in Livio, perexiguum videri debeat, in quo levi parvaque opera alii defungantur.* Scholia sequenti anno et Chronologiam octuplicata charta, tomo singulari dedit habenda Basileæ Nic. Episcopius. Paulus repetivit suam anno MDLXVI: in qua plus detraxit scholiis quam addidit Sigonius: eaque sic retractata, interpositis, quæ aut objectaverat Robortellus, aut suorum excusaverat Glareanus, in Francofurtensem MDLXXXVIII. transtulit Fr. Modius. Tertiam cum solis Sigonianis suppeditavit Aldus nepos MDXCII: cui accessere Car. Sigonii Livianorum scholiorum aliquot defensiones adversus Glareanum et Robortellum. Jani Gruteri tribus nomen est editionibus volentis præpositum Francofurti, bis octuplici, dein duplici charta; indignissime postremæ, quæ per absentiam auctoris et excessum, (cui primis præfationis verbis mirificum omen dederat) per operarum incuriam et correctoris impudentiam mendis scatet. Anno MDCXV. Bambergæ Hectore Cotzavio Imperialis Ecclesiæ Decano bibliothecam publicam recognoscente ac transferente, Jo. Horrion societatis Jesu sacerdos, dum singulos codices excutit, in membranas incidit, quæ complures T. Livii libros, in his partem priorem XXXIII. adhuc desideratam ser-

vabant. Unde exemplum factum Fran. Bartolino Urbinati non invidit: atque is id Venetiis cum Ant. Quærengi notulis, multo correctius ipse inventor Paderbornæ MDCXVII. protulit; tacito ille quidem per modestiam nomine; sed illud me docuit, qui etiam rarissimi et ad eum diem incogniti mihi libelli copiam fecit, Bern. Rottendorfius. Scio fuisse viros doctissimos, qui de hujus fragmenti veritate dubitaverint: sed hi passi sunt aliquid humanum, et quale modo ridebam in Fr. Asulano, qui in limine primi tomi Aldinæ, accusatis typographis Florentinis, queritur aliud genus sceleris commisisse Basileenses: historiam enim quamdam rerum Romanarum sub nomine Paterculi edidisse, in quo nihil fere Latinum legatur, quod Augusti tempora redoleat, quibus eum floruisse velint. Nimirum in similibus deprehensa fraus efficit, ut nondum bene perpensis etiam veris boni diffidant. Hæ maxime conspectæ editiones, hæc incrementa, hi vindices sunt partis T. Livii, quæ Libitinam vitavit: quorum in honorata turba, si vel imo loco me adhæsisse feret posteritas, est cur me laboris exhausti, de quo ne summis quidem facile concesserim, minime pœniteat. Quod autem persæpe opinionibus illorum non subscribo, cave obtrectationis id factum invidia suspiceris. Ego vero et præclaros fuisse viros omnes, et egregie animatos optimeque de Livio meritos lubens confiteor. Scio etiam nemini hæc studia curiosius tractanti tam præsentem semper animum fuisse, ut nusquam impingeret: mihique nihilo majorem felicitatem spondeo: nec, si quid in quemquam acrius dixisse videbor non tam in illos dictum dolentibus, quam ne in se idem majori jure dicatur verentibus, id quominus ipse similiter deprehensus patiar, intercedo. Nam qui levia nonnunquam consectatum judicabunt, illud cogitent, non omnibus idem, quod ipsis, leve censeri: neque ullum tam leve erratum hominibus tantæ existimationis excidere, ut non trahat imprudentes multos, nisi commonefiant: tum non se plus sapere Patriarcha Aquileiensi Hermolao Barbaro, qui negat *in Plinio damnandos esse* (sic loquitur modeste: vult autem dicere, eos demum justa industria perfungi) *qui ne syllabam quidem pati possint male collocatam.* Ceterum ut, quæ meis orsis præterea fuerint auctoritates, ne ignores, fidemque meam explorare, si libeat, possis, primos decem libros de meo oleo et sedulo contendi cum scriptis Isaaci Vossii duobus, B. Rottendorfii, Gudiano Thuaneo singulis, quorum Gudianus ab initio tres fere libros et particulam quarti, Thuaneus cum sexto reliquos integros continebant. Obiter et vellicatim consului de quibusdam locis Oxoniensem Collegii novi, regium Lutetiæ, aliquot Florentinos. Excerptas varietates optimi omnium partis hujus Florentini, partim Lucas Langermannus, consobrinus meus, (qui et Helmæstadiensis) partim Marquardus Gudius subminis-

trarunt: Buslidiani et Chifletiani Albertus Rubenius: trium quondam Palatinorum codicum fide Jani Gebhardi Suffridus Sixtinus. Puteani quoque fratres schedas parentis sui Claudii, in quibus ex Ful. Ursini et Jac. Cujatii membranis paucula quædam properata erant, ultro ingesserunt. Ab iisdem in bello Punico secundo Cynosura nobis fuit liber, quo de Tito Livio nihil nec antiquius nec sanctius Europa custodit, majusculis litteris, et plane qualibus clarus ille Florentinus ex Pisano Pandectes, exaratus. Hic solus largiorem bonarum rerum, quam quicquid est reliquorum, sese nobis præstitit: et inde judicium faciendum, quantum non in Livio tantum, sed in aliis quoque priscis auctoribus restituendum restet, si ad illud ævum pretiumque codices nanciscamur. Etsi autem sollicita cura nullum apicem tam fidæ manus non persecutum esse me credebam, tamen, quia tantum in uno ad omnia momenti erat, diffisus oculis meis, a Cl. Salmasio, ut libri, in cujus marginem plerasque minoris ponderis varias, cum chartis, in quas insigniores emendationes retulerat, quum forte in colloquio ostendisset, copiam mihi faceret, haud gravatim impetravi. Alexander Petavius Pauli F. Claudio Sarravio parario duos, unum pervetustum et isti primigenio fideliter, ut plurimum, adhærentem, aut sic ab eo deflectentem, ut causa appareat, alterum etiam non malæ notæ; Ismael Bullialdus et bibliotheca regia, Claudius Menardus Andibus suum singulos, non nimis quidem antiquos, sed tamen non spernendos, quia ex probatis translatos, præbuerunt: ex quibus tres solidos, meliorem Petavianum, quia serius nosse cœperam, aliquamdiu perpetuum, deinde illustrioribus locis, adhibui. Idem in compluribus Florentinis et Barberino, L. Holstenii apud Cardinalem Franciscum gratia, per temporis angustias mihi Romæ licuit. Accessere inter ipsum opus Vossianus et Gudii unus integer, alterius paucæ schedæ opifici, qui sorores earum jam corruperat, vix pretio subductæ. Per eumdem nonnullis e Florentinorum præcipuo in Addendis[a] hujus tomi frueris. Belli Macedonici primi et Asiatici cum Antiocho exemplaria scripta ex Barberina, Gabrielis Naudæi, Petaviana, Vossiana, (hoc chartaceum, cetera omnia quorum memini, in membranis erant) singula accepi, et integra cum vulgatis relegi: Oxoniensis, Florentini, et Venetus cœnobii D. Antonii (cujus aditum Jac. Philippus Thomasinus mihi fecerat) aliquibus locis consulti servierunt: sed in nullo plus habebatur, quam in editis ante Magontiacensem fuisse diximus. Ex Buslidiano quoque ad utrumque posteriorem tomum communicavit quædam Rubenius. Quæ

[a] Quæ in prima editione ad calcem voluminis dederat Addenda J. Frid. Gronovius, ea in editione anni 1679. a filio ejus curata in ipsum commentarii corpus revocata, et suo quæque ordine collocata sunt.

Muretus alia e veteribus libris notata, alia divinatione colligens, signis appositis, unde dignosci possent, ad Sigonianam primam conjecerat, ea Patrum societatis Jesu quæ Romæ est, voluminis dominorum, humanitati, et singulari officio Gudii debeo. Sed et Tanaquillus Faber Salmurio miniatulis suis missis munus nostrum insigniter ornavit. Epitomas Barberinæ, Vossianæ, et binæ Gudii membranæ juverunt. Hæc fuere cœptis meis præsidia: quæ dum conquiro, vides, amice lector, quæ vincula subire, quantum æris alieni, quam difficulter atque ægre expungendi, contrahere me oportuerit. Sed adeo me stimulat, fodicat, vellicat infinita quædam cupiditas litterarum excolendarum, ut, unde T. Livii sinceritatem et dignitatem augeri, unde periculum hoc apparatius effici, et tuis studiis aliquid utilitatum afferri posse opinabar, nihil recusarim. Quare etiam libens ac prolixo animo, quotquot hoc beneficio me obnoxium tenere viros honoribus, virtutibus, eruditione ac scriptis eminentissimis merito prædicavi, iis hic publice eo nomine laudes gratesque ago: et, si quid ex sententia cessit, non tam labori meo, qui utcunque gnavus, non tamen pari ingenio doctrinaque sustentatus fuit, quam illorum copiis et benignitati adscribendum profiteor.

Vale, et nostris Musis, dum frueris, fave.

ELOGIA AUCTORUM

AC JUDICIA

DE TITO LIVIO

CUM FRAGMENTIS ALIQUOT.

Seneca pater Suasoria 6.

QUOTIES magni alicujus mors ab historicis narrata est, toties fere totius consummatio vitæ, et quasi funebris laudatio redditur. Hoc semel atque iterum a Thucydide factum: idem in paucissimis personis usurpatum a Sallustio. Livius benignius, omnibus magnis viris præstitit. Sequentes historici multo id effusius fecerunt.

Mox eadem.

Ut est natura candidissimus omnium magnorum ingeniorum æstimator T. Livius, plenissimum testimonium Ciceroni reddidit.

Proœmio lib. V. Controvers.

Pertinere ad rem non puto, quomodo Lucius Magius gener Titi Livii declamaverit, quamvis aliquo tempore suum populum habuit: quum illum homines non in ipsius honorem laudarent, sed in soceri ferrent.

Controvers. 24.

Titus Livius tam iniquus Sallustio fuit, ut hanc ipsam sententiam (*Res secundæ mire sunt vitiis obtentui*) et tanquam translatam, et tanquam corruptam dum transfertur, objiceret Sallustio. Nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum præferat. Laudat quem non timet: et facilius putat posse a se Sallustium vinci, si ante a Thucydide vincatur.

Controvers. 25.

Titus Livius, de oratoribus, qui verba antiqua et sordida consectantur, et orationis obscuritatem, severitatem putant, aiebat Miltiadem rhetorem eleganter dixisse, Ἐπὶ τῷ πλησίον μαίνονται.

Velleius Paterculus lib. I. c. VI.

Historicos, (ut et Livium quoque priorum ætati adstrictus) præter Catonem, et quosdam veteres et obscuros, minus octoginta annis circumdatum ævum tulit.

Idem lib. II. c. 36.

Pene stulta est inhærentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quæ maxime nostri ævi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriusque, et consecutus Sallustium Livius, Tibullusque, et Naso.

Valerius Maximus lib. I. cap. ult.

Quia supra usitatam rationem excedentia attigimus, serpentis quoque a T. Livio curiose pariter ac facunde relatæ fiat mentio. Is enim ait in Africa apud Bagradam flumen, tantæ magnitudinis anguem fuisse, ut Atilii Reguli exercitum usu amnis prohiberet: multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ voluminibus elisis, quum telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum ballistarum tormentis undique petitam, silicum crebris et ponderosis verberibus procubuisse: omnibusque et cohortibus et legionibus ipsa Carthagine visam terribiliorem: atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque jacentis pestifero afflatu vicina regione polluta, Romana inde submovisse castra. Dicit belluæ etiam corium centum viginti pedes longum, in urbem missum.

Seneca filius lib. I. de Ira, cap. 16.

Non est quod existimes verum esse, quod apud disertissimum virum Livium dicitur, *Vir ingenii magni magis quam boni.* Non potest illud separari: aut et bonum erit, aut nec magnum.

Idem lib. de Tranquillitate, cap. 9.

Quadringenta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum. Alius laudaverit, sicut Livius, qui elegantiæ regum curæque egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantia illud aut cura, sed studiosa luxuria.

Idem epistola 100.

Affer quem Fabiano possis præponere. Dic Ciceronem, cujus libri ad philosophiam pertinentes, pene totidem sunt, quot Fabiani. Cedam: sed non statim pusillum est, si quid maximo minus est. Dic Asinium Pollionem. Cedam, sed ut respondeam, In re tanta eminere est, et post duos esse. Nomina adhuc Livium scripsit enim et dialogos, quos non magis philosophiæ annumerare possis, quam historiæ; et ex professo philosophiam continentes libros. huic quoque dabo locum. Vide tamen quam multos antecedat, qui a tribus vincitur, et tribus eloquentissimis.

Idem lib. V. Natur. quæst. cap. 18.

Nunc quod de Cæsare olim majore vulgo dictitatum est,

et a Tito Livio positum, *In incerto esse, utrum illum magis nasci reipublicæ profuerit, an non nasci*, dici etiam de ventis potest.

Idem epistola 46.

Librum tuum, quem mihi promiseras, accepi, et tanquam lecturus ex commodo, adaperui, ac tantum degustare volui. Deinde blanditus est ipse, ut procederem longius. Qui quam disertus fuerit, ex hoc intelligas licet: brevis mihi visus est, quum esset nec mei nec tui corporis, sed qui primo aspectu aut T. Livii, aut Epicuri posset videri.

Fabius Quintil. lib. I. Instit. Orat. c. 5.

Pollio deprehendit in Livio Patavinitatem.

Idem lib. VIII. cap. 1.

Attica anus Theophrastum, hominem alioqui disertissimum, annotata unius affectatione verbi, hospitem dixit: nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quam quod nimium Attice loqueretur. Et in T. Livio, miræ facundiæ viro, putat inesse Pollio Asinius quamdam Patavinitatem.

Lib. IX. cap. 2.

Apud Historicos reperiuntur obliquæ allocutiones: ut in T. Livii primo statim libro, *Urbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci.*

Lib. IX. cap. 4.

T. Livius hexametri exordio cœpit: *Facturusne operæ pretium sim.* Nam ita edidit: estque melius quam quomodo emendatur.

Lib. II. Instit. cap. 4.

Sæpe etiam quæri solet, de tempore, de loco, quo gesta res dicitur, nonnunquam de persona quoque: sicut Livius frequentissime dubitat, et alii ab aliis historici dissentiunt.

Lib. II. cap. 6.

Ego optimos quidem, et statim, et semper (legi scriptores,) sed tamen eorum candidissimum quemque, et maxime expositum, velim: ut Livium a pueris magis quam Sallustium: et hic historiæ majoris est auctor: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit. Cicero, ut mihi quidem videtur, et jucundus incipientibus quoque, et apertus est satis: nec prodesse tantum, sed etiam amari potest: tum (quemadmodum Livius præcipit) *ut quisque erit Ciceroni simillimus.*

Lib. X. cap. 1.

Fuerit igitur brevitas illa tutissima, quæ est apud Livium, in epistola ad filium scripta; *Legendos Demosthenem atque Ciceronem; tum ita ut quisque esset Demostheni et Ciceroni simillimus.*

Eodem capite.

Neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis

cogitationibus judicem, et sæpius ineruditum, captanda nobis est: neque illa Livii lactea ubertas satis docebit eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quærit.

Post multa ibidem.

At non historia cesserit Græcis, nec opponere Thucydidi Sallustium verear: nec indignetur sibi Herodotus æquari T. Livium, quum in narrando miræ jucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest, eloquentem: ita dicuntur omnia quum rebus, tum personis accommodata. Sed affectus quidem, præcipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis; ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis quam similes.

Plinius Præfat. Hist. Natur. ad Vespas. Imp.

Equidem ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse, qui difficultatibus victis, utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi. idque jam et in aliis operibus ipse feci, et profiteor mirari me T. Livium, auctorem celeberrimum, in historiarum suarum, quas repetit ab origine urbis, quodam volumine sic orsum: *Satis jam sibi gloriæ quæsitum, et potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere.* Profecto enim populi gentium victoris, et Romani nominis gloriæ, non suæ, composuisse illa decuit. Majus meritum esset, operis amore, non animi causa perseverasse; et hoc populo Romano præstitisse, non sibi.

Cornelius Tacitus, oratione Cremutii Cordi, lib. IV. Annal. c. 34.

Brutum et Cassium laudavisse dicor: quorum res gestas quum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. T. Livius, eloquentiæ ac fidei præclarus inprimis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret: neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum, nusquam latrones et parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, sæpe ut insignes viros nominat.

Suetonius Tranquillus, Caligulæ c. 34.

Sed et Virgilii et T. Livii scripta et imagines, paulum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amoverit: quorum alterum, ut nullius ingenii minimæque doctrinæ; alterum, ut verbosum in historia negligentemque, carpebat.

Idem Claudii cap. 41.

Historiam in adolescentia, hortante T. Livio, Sulpicio vero Flavio etiam adjuvante, scribere aggressus est.

Idem Domitiani cap. 10.

Metium Pomposianum, quod habere Imperatoriam genesin vulgo ferebatur, et quod depictum orbem terræ in membranis,

conciones que regum ac ducum ex T. Livio circumferret, (interemit.)

Plutarchus.

Auctoritatem Livii adducit in vitis Camilli, Marcelli, Catonis Majoris, Flaminini, Sullæ, Luculli, Cæsaris, item quæstione Romana 25. sed sine elogio.

Martialis lib. XIV. Epigr. 190. *de Livio in membranis.*

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Plinius Junior, lib. II. epist. 3.

Nunquamne legisti, Gaditanum quemdam, T. Livii nomine gloriaque commotum, ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque, ut viderat, abiisse?

Statius Papinius, lib. IV. Sylv. 7. *ad Maximum Junium.*

Sed tuas artes puer ante discat,
Omne quîs mundi senium remensus,
Orsa Sallustî brevis, et Timavi
Reddis alumnum.

Justinus, qui Trogum contraxit, lib. XXXVIII. Histor. cap. 3.

Pompeius Trogus in Livio et in Sallustio reprehendit, quod conciones directas pro sua oratione operi suo inserendo, historiæ modum excesserint.

Ausonius de Staphylio rhetore.

Grammatice ad Scaurum atque Probum, promptissime rhetor.
Historiam callens Livii et Herodoti.

Flavius Vopiscus in Aureliano.

Asserente Tiberiano, quod Pollio multa incuriose, multa breviter prodidisset; me contra dicente, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum; prodente quin etiam, in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus, manifestis testibus convincerentur, pedibus in sententiam transitum faciens, ac manum porrigens *jucundam præterea, *Scribe*, inquit, *ut libet: securus quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites, quos historicæ eloquentiæ miramur auctores.*

* Salmasius legit *jocando.*

Idem in Probo.

Cn. Pompeium tribus fulgentem triumphis, belli Piratici, belli Sertoriani, belli Mithridatici, multarumque rerum gestarum majestate sublimem, quis tandem nosset, nisi eum M. Tullius, et T. Livius in litteras retulissent?

Idem ibid.

Et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos, atque omnes disertissimos imitarer viros, in vita Principum et temporibus dirigendis, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gar-

gilium Martialem, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, ceterosque, qui hæc et talia, non tam diserte quam vere, memoriæ prodiderunt.

Censorinus lib. de die Natali cap. 17.

Titus Livius libro cxxxvi. *Eodem anno ludos seculares Cæsar ingenti apparatu fecit, quos centesimo quoque anno (is enim terminus seculi) fieri mos.*

Eusebius in Chronico.

Ea quæ de Catilina, Cethego, Lentulo, et consule Cicerone, Sallustius scribit et Livius, hoc gesta sunt tempore.

Idem.

Messala Corvinus orator nascitur, et T. Livius Patavinus scriptor historicus.

Idem.

Livius Historicus Patavii moritur.

D. Hieronymus in Procemio in Danielem.

Ad intelligendas extremas partes Danielis, multiplex historia Græcorum necessaria est . . . præcipueque nostri Livii, et Pompeii Trogi, atque Justini; qui omnem extremæ visionis narrant historiam, et post Alexandrum usque ad Cæsarem Augustum, Syriæ et Ægypti, id est, Seleuci, et Antiochi, et Ptolemæorum, bella describunt.

Idem Epistola ad Paullinum, tom. III.

Ad Titum Livium, lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus: et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus seculis celebrandumque miraculum, ut tantam urbem ingressi, aliud extra urbem quærerent.

Sidonius Apollinaris Paneg. Anthemii.

——vel quidquid in ævum
Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis.

Cassiodorus.

C. Cæsar VI. et M. Agrippa III.

His consulibus Cæsar leges protulit, judices ordinavit, provincias disposuit, et ideo Augustus cognominatus est: cujus temporibus floruerunt Virgilius, Horatius, et Livius.

FRAGMENTA DUO LIVII

DE CICERONE.

Ex Seneca patre, Suasoria sexta.

M. CICERO, sub adventum Triumvirorum cesserat urbe, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se, quam Cæsari Cassium et Brutum, posse. Primo in Tusculanum fugit, inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Cajeta navim conscensurus, proficiscitur. Unde aliquoties in altum provectum, quum modo venti adversi retulissent, modo ipse jactationem navis, cæco volvente fluctu, pati non posset, tædium tandem eum et fugæ et vitæ cepit: regressusque ad superiorem villam, quæ paulo plus mille passibus a mari abest, *Moriar*, inquit, *in patria sæpe servata.* Satis constat servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum: ipsum deponi lecticam, et quietos pati, quod sors iniqua cogeret, jussisse. Prominenti ex lectica, præbentique immotam cervicem, caput præcisum est. Nec satis stolidæ crudelitati militum fuit: manus quoque, scripsisse in Antonium aliquid exprobrantes, præciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, jussuque ejus inter duas manus in Rostris positum, ubi ille consul, ubi sæpe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana vox cum admiratione eloquentiæ, auditus fuerat. Vix attollentes * lacrymis oculos homines, intueri trucidata membra ejus poterant.

* Gronov. legit *præ lacrymis.*

IBIDEM.

VIXIT tres et sexaginta annos: ut, si vis abfuisset, ne immatura quidem mors videri possit. Ingenium et operibus, et præmiis operum felix. Ipse fortunæ diu prosperæ, et in longo tenore felicitatis, magnis interim ictus vulneribus, exsilio, ruina partium pro quibus steterat, filiæ morte, exitu tam tristi atque acerbo, omnium adversorum nihil, ut viro dignum erat, tulit, præter mortem: quæ, vere æstimanti, minus indigna videri potuit, quod a victore inimico nihil crudelius passurus erat, quam quod ejusdem fortunæ compos ipse fecisset. Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, et in cujus laudes persequendas Cicerone laudatore opus fuerit.

FRAGMENTUM LIVII

DE CATONE.

Ex Hieronym. Prol. l. II. in Oseam.

Cujus (Catonis) gloriæ neque profuit quisquam laudando, nec vituperando quisquam nocuit; quum utrumque summis præditi fecerint ingeniis.

FRAGMENTUM

LIBRI XCI.

HISTORIARUM

TITI LIVII PATAVINI,

FRAGMENTUM

LIBRI XCI.

HISTORIARUM

TITI LIVII PATAVINI,

SUPPLEMENTO ET ADNOTATIONIBUS

ILLUSTRAVIT

GABRIEL BROTIER.

LIB. XCI.

TAMENINSEQVENTI
IPSOPERVIGILANTEIN
EODEMLOCOALIAEXCI
TATATVRRISPRIMALV
CEMIRACVLOHOSTIB
FVITSIMVLETOPPIDI
TVRRISQVAEMAXIMV.
PROPVGNACVLVMFVE
RATSVBRVTISFVNDA
MENTISDEHISCEREIN
GENTIBVSRIMISETTV
. . . . . .
IVS . . . . . IGNICOE
PITINCENDIIQ. SIMVL
ETRVINAEMETVTER
RITICONTREBIENSES
DEMVROTREPIDIEFFV
GERVNTETVTLEGATIMIT
TERENTVRADDEDENDA.
VRBEMABVNIVERSA
MVLTITVDINECONCLA
MATVMEST EADEMVIR
TVSQVAEINRITANTE.
OPPVGNAVERATVICTO
REMPLACABILIOREM
FECITOBSIDIBVSACCEP
TISPECVNIAEMODICA.
EXEGITSVMMAMARMA
QVEOMNIAADEMITTRAN
.VGASLIBEROSVIVOS
ADSEADDVCIIVSSITETFVGI
TIVOSQVORVMMAIOR
MVLTITVDOERATIPSIS
IMPERAVITVTINTERFI
CERENTIVGVLATOSDE
MVRODEIECERVNT.CV.
MAGNAIACTVRAMILI
TVMQVATTVORETQVA
DRAGINTADIEBVSCON
R .
TEBRIAEXPVGNATARE
LICTOQVEIBI.L.INSTELO
. . . . . .
ADHIBERVMFLVME
COPIASADDVXITIBIHIBER
NACVLISSECVNDVMOP

PIDVMQVODCASTRAAE
LIAVOCANTVRAEDIFICA
TISIPSEINCASTRISMA
NEBATINTERDIVCON
VENTVMSOCIARVMCI
VITATIVMINOPPIDOA
N
GEBATARMAVTFIERET
PROCOPIISCVIVSQ.POPV
LIPERTOTAMPROVINCI
AMEDIXERATQVIBVSI
SPECTISREFERRECETERA
ARMAMILITESIVSSITQVAE
AVTITINERIBVSCREBRIS
AVTOPPV. . . . . .
. . . . . .
FACTAERANTNOVA
MANEPERCENTVRIO
NESDIVISIT. . . . .
TVMQVOQ . . . SIN
STRVXITARMISVESTI
MENTAQV . . . . .
N
. . . . . IPE
DIVMDATVMFABROS
. . . . . IN
DEQEXCIVERATQVIBVS
S
OFFICINABV.BITVMEN
. . . . . RA
TIONEINITAQVIDINSIN
GVLOSDIESEFFICIPOSSET
ITAQOMNIASIMVLINSTRV
MENTABELLIPARABAN
TVRNEQVEMATERIAAR
TIFICIBVSPRAEPARATIS
ANTEOMNIBVSINIXO
GIVITIVM.VDIONEC
SVOQVISQOPERIARTI
FEXDEERATCONVO
CATISDEINDEOMNIVMPO
PVLORVMLEGATIONIB.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

. . . . QVAS IPSE RES
. . . . . .
QVASQINOPPVGNAN
DISVRBIBVSHOSTIVM
GESSISSETEXPOSVITET
ADRELIQVABELLICOHOR
TATVSESTPAVCISEDOC
TOSQVA.TVMHISPANI
AEPROVINCIAEINTER
ESSETSVASPARTESSV
PERIORESESSEDIMIS
SODEINDECONVENTV
IVSSISQVAEOMNIB·
. . . . . .
IBI . . . . . .
RESVASPRINCIPIOVE
RIS·M·PERPERNAM
CVMVIGINTIMILIB·
PEDITVMEQVITIBVS
MILLEQVINGENTIS
INILVRCAONVMGEN
TEMMISITADTVENDA
REGIONISEIVSMARI
TIMAMORAMDATIS
PRAECEPTISQVIBVSITI
NERIBVSDVCERETAD
DEFENDENDASSOCIAS
VRBESQVASPONPEIVS
OPPVGNARETQVIB·
QVEIPSVMAGMEN
PONPEIEXINSIDII·
ADGREDERETVR
EODEMTEMPOREET
ADHERENNVLEIVM
QVIINISDEMLOCISE
RATLITTERASMISIT
ETINALTERAMPROVIN
CIAMAD.L.HERTVLEIV.
PRAECIPIENSQVEMAD
MODVMBELLVMAD
MINISTRAREVELLETANTE
OMNIAVTITASOCIASCI
VITATESTVERETVRNEA
CIECVMMETELLODIMI
CARETCVINEQAVCTORI
TATENEQVIRIBVSPARES

SET NEIPSEQVIDEM
CONSILIVM . . . .
. . VERSVS . . .
NEQVEIN . . . . .
SVRVMEVMCREDEBAT
SITRAHERETVRBELLV.
HOSTICVMMAREABTER
GOPROVINCIASQOMNES
INPOTESTATEHABERET
NAVIBVSVNDIQCOM
MEATVSVENTVROSIPSI
AVTEMCONSVMPTISPRIo
REAESTATEQVAEPRAEPA
RATAFVISSENTOMNIV.
RERVMINOPIAMFORE
PERPERNAMINMARITIMA.
REGIONEMSVP . . . .
VTEAQVAEINTEGRAAD
HVCABHOSTIS . . . .
RIPOSSETETSIQVAOCCA
SIODETVRINCAVTOSPER
TEMPVSADGRESSVRVM
IPSECVMSVOEXERCITV
HIBERONESETAVTALCO
N
RESPROGREDISTATVIT
AQVIB.G . . . . . .
MEMCVM . . . OPPVG
NARENTVRCELTIB.
VRBESINPLORATAME
SEOPEM . . . . . .
. . . MISSOSQQVIITI
NERAEXERCITVIROMAN.
MONSTRARENT
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

. . . . . .
MARITIMAMNEORAM
VTPONPEIVMABILERCA
ONIAETCONTESTANIA
ARCEATVTRAQ.SOCIAGE
TEANAT'ADMETELLVMET
RVSITANIAMSECONVER
TAT HAECSECVMAGI
TANSSERITORVSPRAE
TERHIBERVMAMNEM
R
PERPACATOSAGOSQVIE
TVMEXERCITVMSINE
VLLIVSNOXADVXITPRO
FECTVSINDEINBVRSAO
NUMETCASVANTINORV.
ETGRACCVRITANORVM
FINESEVASTATISOMNIB.
PROCVLCATISQVESEGITI
BVSADCALAGVRIMNA
SICAMSOCIORVMVRBE.
BENITTRANSGRESSVS
QAMNEMPROPINQVM
VRBIPONTEFACTOCASTRA
POSVIT POSTERODIE'M
MASIVMQVAESTOREM
INARVACOSETCERINDO
NESMISITADCONSCRI
BENDOSEXIISGENTIBY
MILITESFRVMENTVM
QVEINDECONTREBIAM
. . . LEVCADAAPPELLA
TVRCONPORTANDVMPRAE
TERQVAMVRBEMOPPOR
TVNISSIMVSEXBERO
NIBVSTRANSITVSERAT
INQVAMCVMQVEREGIo
NEMDVCEREEXERCITV.
STATVISSETET.C.INSTE
LVMPRAEFECTVMEQVI
TVMSEGOVIAMETIN
VACREORVMGENTEM
ADEQVITVMCONQVISI
TIONEMMISITIVSSV.
CVMEQVITIBVSCONTRE
BIAESESEOPPERIRIDI

MISSISIISIPSEPROFEC
TVSPERVMCONVMA
GRVMDVCTOEXERCI
TVINCONFINIOVIRO
NVMPOSVITCASTRAPOS
TERODIECVMEQVITIB.
PRAEGRESSVSADITINE
RAEXPLORANDAIVSSO
PEDITEQVADRATOAGMI
NESEQVIADVAREIAM
VALIDISSIMAMREGIO
NISEIVSVRBEMVENIT
HAVDINOPINANTIB.
. . . ADVENERAT
VNDIQEQVITIBVSET
SVAEGENTISETAVTRIC

BREVIARIUM

FRAGMENTI LIBRI XCI.

TITI LIVII.

CONTREBIA a Sertorio expugnata. Is, in hiberna ducto exercitu, conventum sociarum civitatum agit, et ad reliqua belli cohortatur. Principio veris M. Perpernam in Ilurcaonum gentem mittit. Herennuleium et Hertuleium docet quemadmodum bellum sit administrandum. Ipse ad Calagurim Nasicam, sociorum urbem, venit: M. Masium mittit in Arvacos et Cerindones, C. Instelum Segoviam et in Vacreorum gentem: mox profectus per Umconum agrum, Vareiam validissimam urbem petit.

Hæc gesta

A.U.C.	A.C.	
DCLXXVIII.	76.	Coss. { CN. OCTAVIO, C. SCRIBONIO CURIONE.
DCLXXIX.	75.	Coss. { L. OCTAVIO, C. AURELIO COTTA.

[1]FRAGMENTUM

LIBRI XCI.

HISTORIARUM

[2]TITI LIVII PATAVINI.

[1]*NOCTE* tamen insequenti, [2]ipso pervigilante, in eodem loco alia excitata turris prima luce miraculo hostibus fuit: simul, et oppidi turris, quæ maximum propugnaculum fuerat,

1 *Fragmentum.* Egregios labores eruditi viri Benjamini Kennicott in edendis Bibliis Hebraicis laudaveram in priore Taciti editione Tom. III. pag. 567. nec tum spes fuit eos in Romanæ historiæ utilitatem cessuros. Id tamen felici literarum fato contigit, cum Cl. V. Paulus Jacobus Bruns Vaticanam Bibliothecam anno 1772. inviseret, antiquos qui ibi adservantur sacræ Scripturæ codices lustraturus, ut studiis Cl. Kennicott inserviret. Dum enim eos recensebat, illi oblatus est codex Latinus, designatus N°. 24. in Bibliotheca Palatino-Vaticana, qui libros Tobiæ, Jobi et Esther complectebatur. Animadvertit Cl. Bruns codicem illum esse ex eorum numero, quos, ut utamur Ciceroniano verbo in Epistolis ad Familiares VII. 18. appellare possumus palimpsestos, id est iterum scriptos. Nempe parsimoniæ causa, et ob membranarum raritatem, antiquorum librorum scriptura pumice delebatur, extritisque illis membranis novi libri inscribebantur. Porro cum Cl. Bruns in Tobiæ, Jobi et Esther codicem incidisset, eumque palimpsestis membranis constare deprehendisset, curiositate sua dignum ratus est quæ prius fuerant scripta in fugacibus literarum vestigiis investigare. Observavit primum in multis membranarum illarum paginis scriptas olim fuisse Ciceronis orationes, quas typis editas habemus. Oculos ejus gratius detinuit titulus aliis membranis minutissimo charactere exaratus LIB. XCI. TITI. LIVII. Librum enim illum in Titi Livii editionibus deesse compertum habebat. Curiositatem ejus adhuc accendebat, quod pars illa Livii in his membranis unciali, ut loquuntur, charactere, ac proinde antiquissimo, fuisset olim exarata. Aciem ergo oculorum intendit, ut extritam illam Livii partem, quanta posset perspicacitate et diligentia, legeret ac describeret. Illam postea anno 1773 Hamburgi typis edidit: confisus non defore, qui præstantissimum Romanæ et Hispanæ antiquitatis monumentum pro rei gravitate illustrarent. Exemplar Hamburgianæ editionis, Londino missum, nactus, illud statim et Supplemento explevi, et adnotationes, quibus opus erat maxime ad veterem Geographiam explicandam, addidi. Nec tamen meam hanc opellam tum in lucem emisi, quod satius duxerim illam cum altera hac Taciti editione conjungere.

2 *Titi Livii.* Tanta est apud literarum et historiæ peritos T. Livii commendatio, ut summum sit omnium desiderium, quod magna scriptorum ejus parte careant. Superiore sæculo quammaximam lætitiam iis attulit Johannes Horrion, Societatis Jesu, cum librum XXXIII. T. Livii, quem in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Bambergæ repererat, Paterbornæ edidit anno 1617. Pars libri XCI. licet exigua, quam Cl. Bruns nuper invenit in Bibliotheca Vaticana, industriam exstimulare animosque addere debet, ut Bibliothecarum foruli ipsique codices palimpsesti diligentissime inspiciantur, ne quid adhuc lateat magna cum laude et omnium gratulatione proferendum. Ne veteribus quidem Monialium Bibliothecis abstinendum vide-

subrutis fundamentis dehiscere ingentibus rimis, et [3]tum *erumpente validius ardescere* igni cœpit: incendiique simul et ruinæ metu territi [4]Contrebienses de muro trepidi effugerunt; et, ut legati mitterentur ad dedendam urbem ab universa multitudine conclamatum est. Eadem virtus, quæ inritantes oppugnaverat, victorem placabiliorem fecit. Obsidibus acceptis, pecuniæ modicam exegit summam, armaque omnia ademit. Transfugas liberos vivos ad se adduci jussit; et fugitivos, quorum major multitudo erat ipsis, imperavit ut interficerent. Jugulatos de muro dejecerunt. Cum magna jactura militum, quatuor et quadraginta diebus Contrebia expugnata; relictoque ibi [5]L. (*forte potius* Caio) Instelo, *præfecto equitum*, ad [6]Hi-

tur, cum feratur priore sæculo fuisse manu scriptos T. Livii codices in Abbatia Fontis-Evraldi, *Fontevrault*, qui propolæ turpiter sunt venumdati. Is, quod turpius funestiusque fuit, eorum membranis usus est in ludicris palmulis, *des battoirs*, obtegendis; quibus passim divenditis, cum tum maxime lusoriarum pilarum exercitationes vigerent, compertum fuit in iis codicibus contentos fuisse T. Livii libros, qui decades octavam, decimam et undecimam conficiebant; ut videre est apud Colomiès, *Bibliothèque choisie*, pag. 33. Nondum forte tamen desperandum de integro Livio adinveniendo. Illum enim exstare in Bibliotheca Turcarum Imperatoris admonuit Petrus della Valle. Ut indè eruueretur sæpe adlaboratum est sub regibus Ludovico XIII. Ludovico XIV. et Ludovico XV. munificis literarum patronis. At vanus cassusque hactenus recidit labor; responsumque semper est a Turcis, quibus eum quærendi cura imposita est, talem librum in Palatii, *le Serrail*, Bibliotheca non reperiri. Dolendum certe est quod illa inquisitio Turcis tantum fuerit commissa, Francis vero numquam permissa. Præterea audivi T. Livium non in Palatina, sed in sanctæ Sophiæ Bibliotheca delitescere: dictum quoque mihi est eum non exstare Latine, sed Græce. Magna quidem erit Latinitatis jactura, si Græca tantum Livii interpretatio maneat, at ingens adhuc foret ipsius interpretationis utilitas, cum, quod potissimum est, historiæ materiam, gestorum seriem, Livianamque narrationem sit allatura. Quod monitum volui, ut Principes, quibus literarum honor ac dignitas cordi sunt, videant quid per suos legatos hac in re tentare valeant. Operæ quoque pretium simul foret, si per Turcicam diffidentiam licet, Imperatorem exorare, ut titulos veterum suorum librorum Latinorum ac Græcorum, Arabicarum etiam interpretationum, communicatos vellet. Eoque magis instandum, quod ejus Bibliotheca, jam passa incendia, iis sit obnoxia. Hæc paulo fusius eum prosecutus, ob publicam utilitatem, et ut T. Livii fata spesque notescerent. Nunc ad Fragmentum libri XCI. illustrandum propero.

1 *Nocte insequenti.* Supplevi *nocte*; idque postulabat, quod mox sequitur *prima luce miraculo hostibus fuit. Nocte* erat sane scriptum in superiore pagina.

2 *Ipso pervigilante.* Ipso Sertorio pervigilante.

3 *Tum erumpente validius ardescere igni.* Si quis attenderit quæ supersint literæ, vacuumque spatium, is haud diffitebitur hunc esse Livii sensum.

4 *Contrebienses.* Contrebia, urbs citerioris Hispaniæ, seu Tarraconensis, nunc *Santa-Vert, dans la Mancha.*

5 *L. (forte potius Caio) Instelo, præfecto equitum.* Is mihi videtur esse G. Instelus, præfectus equitum, qui infra memoratur. Proclivis autem fuit error, ut L. pro C. maxime in unciali charactere, ac detrito legeretur. Si L. Instelus legendus est, quæ sit ejus dignitas militaris ignoratur.

6 *Hiberum flumen.* Nunc *Ebro* dicitur; de quo Plinius III. 3. *Iberus amnis navigabili commercio dives, ortus in Cantabris, haud procul oppido Juliobrica*, nunc *fuente d'Ivero, per* CCCCL. M. *pass. fluens: navium per* CCXL. M. *a Varia oppido*, nunc *Logroño*, de quo infra adhuc dicetur, *capax, quem propter universam Hispaniam Græci appellavere Iberiam.* Videre est apud eruditum Florez, *Medallas de España*, Tab. LII. num. 12. rarissimum insignemque nummum, in quo caput hominis ex ore

berum flumen copias adduxit. Ibi hibernaculis secundum [7]oppidum, quod Castra Ælia vocatur, ædificatis, ipse in castris manebat, interdiu conventum sociarum civitatium in oppido agebat. Arma ut fierent, pro copiis cujusque populi per totam provinciam edixerat: quibus inspectis, referre cetera arma milites jussit, [8]quæ aut itineribus crebris, aut [9]oppug*nationibus variisque prœliis labe*facta erant. Nova mane per centuriones [10]divisit *militi:* [11]tum quoq*ue ipsos* instruxit armis, [12]vestimentaque *addita;* [13]*et operarum im*pendium datum. Fabros *enim advocaverat,* indeque exciverat quibus officinabus [14]bitumen *excoqueretur,* ratione inita quid in singulos dies effici posset.

ITAQUE omnia simul instrumenta belli parabantur. Neque materia artificibus, præparatis ante omnibus, [15]*in ministerium*

aquam projicientis: infra HIBERVS. Inde constat tum antiqua orthographia, cui favet codex Vaticanus, tum Hyspanum fluminis symbolum.

7 *Oppidum, quod Castra Ælia vocatur.* Oppidum illud uni Livio memoratum, propinquum fuit Hibero flumini: ita sane dictum, ab Ælio aliquo qui castra ibi condiderit. In Oscæ, nunc *Huesca,* nummis memoratur C. AELIVS IIVIR, id est *C. Ælius duumvir.*

8 *Quæ aut itineribus.* Hæc Cl. Bruns sine ulla distinctione cum sequentibus *nova mane etc.* conjungebat. Quod quam vitiosum sit satis indicat rerum verborumque series.

9 *Oppugnationibus variisque prœliis labefacta.* Ita supplendum monstrant et superstites literæ, et vacuum ipsum spatium. Arma autem itineribus, oppugnationibus, prœliis deteri, labefieri notum ac compertum est. Nec de itineribus mirum videatur, cum in iis sæpe cædendæ essent materiæ, aliaque præstanda, quæ passim occurrunt in anaglyphis Columnæ Trajanæ.

10 *Divisit militi.* Supplendum, ut patet, *militi,* vel *militibus.* Placet magis *militi,* ne ambigua sint quæ sequuntur.

11 *Tum quoque ipsos.* Ipsos quoque centuriones armis instruxit. Quæ manent literæ, Supplementum satis indicant.

12 *Vestimentaque addita.* Nec difficile quoque fuit Supplementum, per se satis obvium.

13 *Et operarum impendium. Fabros enim advocaverat.* Id, ut opinor, et loco et narrationi accommodatum videbitur.

14 *Bitumen excoqueretur.* Aut *excoqueretur,* aut *eliquaretur* supplendum. Sertorius machinarum scientia et usu peritissimus, ut videre est apud Plutarchum in ejus vita, adversus hostes et bitumine et malleolis et falaricis utebatur, maxime cum incendendæ essent eorum turres. De his machinamentis Vegetius, *de Re militari,* IV. 18. *Quod si oppidani exire non audeant, majora balistas, malleolos vel falaricas cum incendio destinant, ut perruptis coriis, vel centonibus, intrinsecus flamma condatur. Malleoli velut sagittæ sunt, et ubi adhæserint, quia ardentes sunt, universa conflagrant. Falarica autem, ad modum hastæ, valido præfigitur ferro: inter tubum et hastile sulphure, resina, bitumine, stuppisque convolvitur infuso oleo, quod incendiarium vocant, quæ balistæ impetu destinata, perrupto munimine ardens figitur ligno, turritamque machinam frequenter incendit.* Falarica usos esse Saguntinos docet Livius XXI. 8. *Falarica autem erat Saguntinis, missile telum, hastili oblongo, et cetera tereti; præterquam ad extremum, unde ferrum extabat: id sicut in pilo, quadratum stuppa circumligabant, linebantque pice. Ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus posset.* Antiqua arma in Celtiberia reperta exhibet Serenissimus Princeps Hispaniæ, D. Gabriel, in egregio suo opere, *Salustio,* pag. 303.

15 *In ministerium tardior.* Locus omnino corruptus ab ipso vetere librario, si quidem in codice Vaticano legitur *inixogivitium-udio.* Ni tamen me mea fallit conjectura, ad Livii sensum proxime accedunt, quæ reposui. Erunt

tardior; nec suo quisque operi artifex deerat. Convocatis deinde omnium populorum legationibus, [16]*summatim prioris belli eventus recensuit, laudatisque civitatum consensu et militum virtute,* quas ipse res [17]*consilio providisset,* quasque in oppugnandis urbibus hostium gessisset, exposuit; et ad reliqua belli cohortatus est paucis edoctos quantum Hispaniæ provinciæ interesset suas partes superiores esse. Dimisso deinde conventu, jussis, quæ [18]omnib*us conducerent, quibusque* sibi *possent res serva*re suas, principio veris M. Perpernam cum [19]viginti milibus peditum, equitibus mille quingentis in [20]Ilurcaonum gentem misit ad tuendam regionis ejus maritimam oram; datis præceptis, quibus itineribus duceret ad defendendas socias urbes, quas [21]Po*m*peius oppugnaret, quibusque ipsum agmen Po*m*peii ex insidiis adgrederetur.

Eodem tempore et ad Herennuleium, qui in iisdem locis erat, litteras misit, et [22]in alteram provinciam ad [23]L. Hertuleium, præcipiens, quemadmodum bellum administrare vellet; ante omnia ut ita socias civitates tueretur, ne acie cum Metello dimicaret, cui neque auctoritate neque viribus par esset: ne ipse quidem consilium [24]*inierat ad*versus *eum eundi,* neque in*præsentiarum incur*surum eum credebat, si traheretur bellum: hosti, cum mare ab tergo provinciasque omnes in potestate haberet, navibus undique commeatus venturos: ipsi autem, consumptis priore æstate, quæ præparata fuissent, omnium rerum inopiam fore: Perpernam in maritimam regionem [25]sup*erven-*

forte qui conjiciant, *in hoc servitium tardior.* At displicet *servitium* hoc sensu usurpatum, nec Livianum est.

16 *Summatim prioris belli. . . . militum virtute.* Hæc conveniunt iis quæ antecedunt, et loco, qui in codice legi non potest.

17 *Consilio providisset.* Hæc quoque satis indicantur rerum serie.

18 *Omnibus conducerent, quibusque sibi possent res servare.* Antecedentia et reliquæ literæ hæc indigitant.

19 *Viginti milibus.* Libri veteres, Inscriptiones, ut et hic codex Vaticanus Livii sæpe habent *milibus, milia.* Sed et ipse quoque mox habet *mille.*

20 *Ilurcaonum.* Ilurcaones oram maritimam ad ostia fluminis Hiberi, *l'Ebro,* habitabant: nunc *la partie méridionale de la Catalogne et la partie septentrionale du Royaume de Valence.* Forte melius scriberetur *Ilercaonum.* Ipse Livius XXII. 21. dixit *in agro Ilercaonensium;* et ipse mox infra in Fragmento memorat Ilercaoniam. In Plinio III. 3. legitur regio *Ilergaonum.* Multa est apud antiquos scriptores in scribendis nominibus varietas. Iidem enim Julio Cæsari, *de Bello civili,* I. 59. dicuntur *Illurgavonenses.* Ptolemæo II. 6. Ἰλιεργαόνες.

21 *Pompeius.* In codice Vaticano librarius scripsit *Ponpeius, Ponpeii, inploratam.* Vitia sunt pronuntiationis et scripturæ, quæ ex nummis et lapidibus corrigere pronum est.

22 *In alteram provinciam.* In Hispaniam ulteriorem; videturque Hertuleius fuisse in Lusitaniæ finibus, *le Portugal,* quæ pars erat Hispaniæ ulterioris.

23 *L. Hertuleium.* Perperam Epitome Liviana libr. XCI. habet, *Herculeius;* Fragmenta Sallustii, *Hirtuleius.* Verum nomen prodit antiquissimus hic Livii codex, ut recte observavit Cl. Bruns.

24 *Inierat adversus eum eundi, neque in præsentiarum incursurum.* Quæ superant in MS. codice locusque ea suggerunt.

25 *Superventurum.* Jam pars verbi occurrit in MS. codice. Id quoque innuit, quod mox sequitur, *incautos. . . . adgressurum.*

turum, ut ea, quæ integra adhuc, [26] ab hostis *vi tuta*ri posset, et, si qua occasio detur, incautos per tempus adgressurum. Ipse cum suo exercitu [27] Hiberones et Autalcones progredi statuit, a quibus [28] *gratiam querebatur infa*mem: cum [29] *nuper* oppugnaretur [30] Celtib*erorum* urbes implorataṁ [31] esse opem [32] *ab Metello*, missosque qui itinera exercitui Romano monstrarent. [33] *Quam perfidiam ultum iri volebat Sertorius, ut insigni exemplo ceterorum fidem retineret. Illos cum pro flagitii gravitate mulctasset, variis distrahitur curis, ambiguus quonam bellum vertat, utrum fidos Romanis populos incurset*, maritimamne oram, ut Pompeium ab [34] Ilercaonia et [35] Contestania arceat, utraque socia gente, an ad Metellum et [36] Lusitaniam se convertat.

Hæc secum agitans Sertorius præter [37] Hiberum amnem per pacatos agros quietum exercitum sine ullius noxa duxit. Pro-

26 *Ab hostis vi tutari.* Supplevi quæ indicabant reliquæ literæ.

27 *Hiberones et Autalcones.* Hi populi Citerioris Hispaniæ veteribus scriptoribus non memorantur. At cum Metello ad Celtiberos tendenti iter monstraverint, manifestum est eos habitasse in ea parte Hispaniæ, quam nunc dicimus *la partie orientale de la Castille vieille, et partie d'Alava et de Navarre.* Et ut videtur ex nominibus Hiberones Hibero flumini propiores, Autalcones Celtiberis. Opinor Livium scripsisse *ad Hiberones et Autalcones progredi. Ad* exciderit aut vitio librarii, aut extrita scriptura. Immo suspicor non fuisse scriptum *Hiberones*, sed *ad Berones.* In extritis enim literis falli potuit Cl. Bruns. Manet forte veteris nominis memoria in oppido quod nunc dicitur *Briones*, et Hibero flumini vicinum est, supra *Logroño.*

28 *Gratiam querebatur infamem.* Id et loco et veteris scripturæ vestigiis convenire mihi videtur. Pro *querebatur*, si quis malit, *reposcebat*, haud repugnabo.

29 *Nuper oppugnarentur.* Supplevi *nuper;* quod cum historia consentit.

30 *Celtiberorum urbes.* Non difficile fuit Supplementum, cum maxima pars in codice MS. exstaret. Celtiberi autem, Celtis, seu Gallis, et Hiberis mixti, unde iis nomen, illudque apud Hispanos bellorum studiis celebratissimum. Laudantur a Silio Italico III. 340.

Venere et Celtæ sociati nomen Hiberis.
His pugna cecidisse decus.

Eam Hispaniæ partem tenuere, quam nunc dicimus *la partie occidentale de la Castille nouvelle, et une grande partie de l'Aragon.*

31 *Esse opem.* In MS. *ese;* ut jam alias monui, aut librarii vitio, aut detrita scriptura.

32 *Ab Metello.* Id necessario fuit supplendum. Metellus enim Occidentalem Hispaniæ partem tenebat. Pompeius autem Orientalem. Unde unus Metellus implorare opem poterat, ut subveniret Celtiberis.

33 *Quam perfidiam ultum ire.... populos incurset.* Magnus hic ob extritam scripturam hiatus, quem convenienter loco et tempori explevisse mihi videor.

34 *Ilercaonia.* Ilercaonia, seu regio Ilercaonum, erat, ut jam dixi, prope ostia fluminis Hebri, *l'Ebro;* et oram maritimam Hispaniæ, Orientem versus, obtinebat, ubi nunc *la partie méridionale de la Catalogne et la partie septentrionale du Royaume de Valence.*

35 *Contestania.* Contestania, seu Contestanorum regio, erat infra Ilercaoniam; et oram maritimam Hispaniæ, Orientem versus occupabat, ubi nunc *la plus grande partie du Royaume de Valence, et partie du Royaume de Murcie.*

36 *Lusitaniam.* Perperam aut librarius scripsit, aut Cl. Bruns legit *Rusitaniam.* Certo certius legendum *Lusitaniam*, cujus pars magna nunc *le Portugal.*

37 *Hiberum amnem.* De Hibero amne jam dictum sæpe supra.

fectus inde in [38]Bursaonum et [39]Casuantinorum et [40]Graccuritanorum fines, evastatis omnibus proculcatisque segetibus, ad [41]Calagurim Nasicam sociorum urbem [42]venit, transgressusque [43]amnem propinquum urbi, ponte facto, castra posuit. Postero die M. Masium quæstorem in [44]Arvacos et [45]Cerindones misit ad conscribendos ex iis gentibus milites, frumentumque inde [46]Contrebiam, *quæ* Leucada appellatur, comportandum, præter quam urbem opportunissimus ex [47]Beronibus transitus erat, in quamcumque regionem ducere exercitum sta-

38 *Bursaonum.* Bursaones Plinio III. 3. dicuntur *Bursaonenses.* Erant e centum quinquaginta duobus populis, qui Cæsaraugustam, nunc *Sarragosse*, juris causa, conveniebant. Principem eorum urbem Βούρσαω Ptolemæus II. 6. Celtiberorum urbibus accenset. Videntur habitasse Hispaniæ partem, quam nunc dicimus *la Mancha.*

39 *Casuantinorum.* Cum Plinius III. 3. in hoc populorum tractu memoret *Cascontenses;* et Ptolemæus II. 6. urbem Κάσκαντον, nunc *Cascante, dans le Royaume de Navarre*, trans Hiberum fluvium; crediderim Casuantinos a Livio memoratos eosdem esse ac Cascontenses: aut incompertum qui sint illi *Casuantini.*

40 *Graccuritanorum.* Urbs princeps Graccuritanorum erat Graccuris, nunc *Agreda, dans la Castille vieille.* De hac urbe Festus: *Gracchuris urbs Hiberæ regionis, dictæ a Gracho Sempronio, quæ antea Illurcis nominabatur.* Nec aliter Epitome Livii, libr. XLI. *Tib. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit: monimentumque operum suorum, Gracchurim oppidum* in *Hispania constituit.* Veterem nominis orthographiam retinuit MS. codex Vaticanus, ut constat ex nummis inscriptis MVNICIP. GRACCVRIS, id est *municipium Graccuris.*

41 *Calagurim Nasicam*] Calaguris Nasica, nunc *Calahorra dans la Castille vieille.* Hujus urbis nummus ex ære mediocri perrarus exstat apud eruditum Florez, *Medallas de España*, Tab. XI. num. 9. pag. 259. Ex una parte caput hominis nudum; ex altera parte, bos. Supra CALAGVRRI. Infra, IVLIA. Nempe Calagurris Julia Nassica municipium erat, forte ita dictum a Cornelio Scipione Nasica. Plinius III. 3. memorat *Calaguritanos, qui Nassici cognominantur.* Fuit et Calaguris Fibularia; unde Plinius loc. cit. appellat *Calaguritanos, qui Fibularenses cognominantur.* Illa Calaguris debet esse *Loharre dans la Royaume de Navarre.*

42 *Venit.* In MS. *benit.* Nempe ex vitiosa pronuntiatione librarii, quæ adhuc frequens est in Hispania, Aquitania, &c. Inde similis error frequens occurrit in veteribus Inscriptionibus.

43 *Amnem propinquum urbi.* Amnis ille est Hiberus, *l'Ebro*, sæpe nobis memoratus.

44 *Arvacos.* Plinio III. 3. et IV. 20. appellantur *Arevaci.* Celtiberis vicini erant, Occidentem versus; immo et pars Celtiberorum: unde dicebantur Arevaci Celtiberi, nunc *la partie orientale de la Castille vieille.* Nomen ducebant ab Areva fluvio, nunc *la riviere Arlencon*, qui urbem *Burgos* alluit. *Arevacis nomen dedit fluvius Areva.* Plinius III. 3.

45 *Cerindones.* Populus soli Livio nominatus; et certe Arevacis vicinus. In hoc situ Plinius memorat Pelendones, partem quoque Celtiberorum. Quatuor populis constabant Pelendones, quorum unus videntur fuisse Cerindones. Plinius III. 3. *Pelendones Celtiberorum, quatuor populis: quorum Numantini*, nunc *les ruines de Numance dans le Castille vieille, près de la ville de Soria.* In vetere Inscriptione apud Gruterum CXI. 5. PELLENDONES. AREVACON.

46 *Contrebiam.* Urbs illa diversa est a Contrebia, quam a Sertorio expugnatam initio Fragmenti vidimus. Contrebia, quæ appellabatur Leucada, debuit esse Calaguri Nasicæ vicina, Occidentem versus, si quidem præter hanc urbem opportunissimus erat ex Beronibus transitus.

47 *Beronibus.* Ptolemæo II. 6. Βήρωνες. Hiberum fluvium accolebant. Inter eorum oppida erat Tritium, nunc *Tricio, près de Najera, dans le pays de Rioxa.* Jam monui Beronum nomen manere in oppido *Briones.*

tuisset; et C. Instelum, præfectum equitum [48]Segoviam et in [49]Vacreorum gentem ad equitum conquisitionem misit, jussumque cum equitibus [50]Contrebiæ sese opperiri. Dimissis iis, ipse profectus [51]per Umconum agrum, ducto exercitu in confinio [52]Vironum posuit castra. Postero die cum equitibus prægressus ad itinera exploranda, jusso pedite quadrato agmine sequi ad [53]Vareiam validissimam regionis ejus urbem venit. [54]Haud inopinantibus *Vareianis* advenerat, undique equitibus et [55]suæ gentis [56]et Autri*gonum accitis.*

48 *Segoviam.* Nunc quoque *Ségovie, dans la Castille vieille.*

49 *Vacreorum.* Pronum est divinare emendandum esse *Vaccæorum.* At cum Plinius III. 5. memoret Vaccæos, quorum XVIII erant civitates, quas inter appellat Intercatienses, Pallantinos, Lacobricenses, Caucenses: earum quoque e numero potuerunt esse Vacrei. Vaccæi autem, quorum pars certe fuere Vacrei, eam Hispaniæ partem tenebant, quam nunc dicimus *partie de la Castille vieille et du Royaume de Léon, ubi urbes Pallentia, Valladolid, Simancas.*

50 *Contrebiæ.* Contrebiæ, nunc *Santaverí*, quam Sertorius expugnaverat, ut dictum est initio Fragmenti.

51 *Per Umconum agrum.* Umcones, ut patet ex ipso Sertorii itinere, fuere eis Hiberum flumen, supra urbem Calagurim Nasicam, ubi nunc *la partie Méridionale de la Navarre*, Orientem versus.

52 *Vironum.* Umconibus vicin erant Virones, et Hiberum flumen accolebant; nunc *la partie méridionale de la Navarre*, Occidentem versus.

53 *Vareiam.* Vareia, urbs erat Vironum nunc *Logroño, dans la Navarre*, Hibero flumini apposita.

54 *Haud inopinantibus Vareianis.* Supplevi *Vareianis*, ut locus ipse postulabat.

55 *Suæ gentis.* Gentis Vironum, quorum urbs validissima erat Vareia. Ptolemæus II. 6. Virones omisit; et Vareiam Beronibus attribuit.

56 *Et Autrigonum accitis.* In MS. codice *et Autric.* Supplevi, et Autrigonum *accitis.* Licet Cl. Bruns legerit AVTRIC. Certe fuit scriptum AVTRIG. Ptolemæo II. 6. dicuntur Αὐτριγόνες; et juxta Plinium III. 3. Autrigonum decem erant civitates. Habitabant Hispaniæ partem quam appellamus *la partie septentrionale de la Castille vieille.* Decem civitatum una fuit Virovesca, nunc *Birbiesca.*

Cl. Bruns, cum hoc Titi Livii Fragmentum edidit, Inscrip-
nem de bello Sertoriano protulit, quam Barcinone repertam
t MS. codex Marcanovæ, qui Venetiis in Bibliotheca ILL.
rnaro adservatur.

D. M. S.

BELLO SERTORIANO

VVLNERE SUSCEPTO

A KALAGVRITANO NITIA

QVEM MANV EXTEMPLO

FODI. ACQVIRENDAE

VALITVDINIS GRATIA

BARCINONAM PECII.

ESCVLAPIO VOTA VOVI.

TEMPLVM INGRATO VT

FIERET STATVI. MORTE

INMATVRA ME INTERCI

PIENTE. ET AB VALITVDI

NE. ET AB AVRA ADVLE

SCENTEM MISERABILI

TER DESTITVTVM VIDES

EQVITVM. MAGISTER. SP. POMPEANVS.

icet Marcanova curiosus fuerit veterum monumentorum ac-
mulator, illa Inscriptio, nescio quid recens et adulterinum
irare mihi videtur. Suspecta quoque visa est, Scaligero In-
riptio altera, quam tamen ex erudito Resendio, ut inventam
ud Exarramam fluvium in Lusitania, habet Gruterus, pag.
vi. num. 2.

INSCRIPTIO DE BELLO SERTORIANO.

I. O. M.

OB PVLSOS A Q. SER

TORIO METELLVM

ADQ. POMP.

IVN. DONACE

CORON. ET SCEPTRVM

EX ARG. MVNVS

ADTVLIT

FLAMINICAE PHIA

LAM CAELATAM

HIERODVLIS COE

NAM DEDIT.

Certæ et indubitatæ fidei monumentis illustratur ac commend antiquitas: suspectis spuriisque obscuratur et deteritur.

Ex edit. Tacit. à Brotier in 12*mo. Ann.* 1776.

FINIS.

EXCUDEBAT W. BAXTER, OXONII.